UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De Malis Ac Bonis Libris, Deqve Ivsta Avt Inivsta, eorumdem confixione

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

Visual Library

Th. 4906.

N. IV. 28.

Ex Legato Celsmi Principis Ferdinandi, Episcopi
Paderb: et Monasterien: de Anno 1683.

R. P. THEOPHILI

RAYNAVDI,

EX SOC. IESV.

EROTEMATA

DE

MALIS AC BONIS LIBRIS,

DEQVE IVSTA AVT INIVSTA,

eorumdem confixione.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

Collegij Soc. Jesu Paderb.



LVGDVNI,

Sumptibus IOAN. ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LIII.

PERMISSV SVPERIORVM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Illustrissimo ac Reuerendissimo Viro,

DOMINO DIDACO

DE ARCE-REYNOSO,

EPISCOPO PLACENTINO, PHILIPPI IV.

Regis Catholici à Consiliis, & in omnibus eius

Regnis ac Dominiis Supremo

Fidei Censori,

Felicitatem Perpetuam P.

Illustrissime ac Reuerendissime Domine,

CVM noui huiusce libri publicam in lucem productio, nostræ fidei commissa, dignum aliquem Patronum optare videretur, cuius eximiâ auctoritate apud bonos quidem commendatior, aduersùs improbos verò munitior esse posset: Nemo omnium occurrit, cui vel iustiùs, vel etiam alacriùs istud muneris destinaremus, quàm Illustrissimæ Tuæ Amplitudini: idque grauissimis omninò de caussis. Cùm enim hîc agatur de materia ad Officium Sanctæ Inquisitionis peculiariter pertinente, cuius summam potestatem, quà porriguntur cunque Hispanici Imperij fines, penes Il-

lustrissimam Tuam personam, sitam esse nouimus, non erat quòd ampliùs de quoquam alio opportuniore genio tutelari conciliando satageremus. Cæterùm non solis suspiciendæ illius, quâ polles, dignationis radiis nostra desideria incensa fuêre: sed etiam exquisitis illis virtutibus ac meritis, quibus istam quam semel nactus es sacratissimam Spartam perpetuò exornas, & quorum documenta infinita quotidie exhibes: incredibilem dico tuæ vitæ integritatem, prudentiam singularem, consummatam peritiam longo rerum vsu comparatam, iudicium solidissimum, omnifariam denique doctrinam. Quo fit vt omnium optimè de libri, Illustrissimo tuo Nomini nuncupati, pretio iudicaturus sis, nósque illud Poëtæ non incommodè hoc in negotio simus vsurpaturi:

Pagina iudicium docti subitura mouetur
Præsulis, vt Clario missa legenda Deo!

Neque verò dubitamus, quin si tuo calculo probetur hic liber, applausum etiam catholicum illicò consequatur: imò etiam quin ipsius auctor, Vir admodum Reuerendus, quicquid hactenùs summi fuerit ab vniuerso literatorum choro æstimatus, maior inde quodammodo ac glorioſior esse incipiat: vt vel eo nomine confidamus habiturum ipsum quo de sibi apprimè gratuletur, vbi scilicet suum Tibi non displicuisse animi fœtum intellexerit. Habituri itidem sumus & nos, si modò quam cepimus

fiduciam,

fiduciam, hunc ipsum offerendi Illustrissimæ Tuæ Amplitudini boni consulueris, nósque in tuam non modò notitiam, sed & clientelam fauẽter admittere non asperneris. Quam quidem rem, instar præclari cuiusdam thesauri, medullitùs iampridem affectâsse nos, libentissimè fatemur. Vale immortale tuarum Hispaniarum decus. Lugduni Gallor. Kl. Ianuar. Anni 1653.

Tuæ Illustrissimæ Amplitudinis

Deuotissimi Cultores,

IOAN. ANTON. HVGVETAN,
& MARC. ANTON. RAVAVD.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino

D. FRANCISCO ANTONIO

DIEZ DE CABRERA,

ARCHIDIACONO ET CANONICO

Ecclesiæ Compostellanæ, necnon Inquisitori Apostolico Regni Toletani,& Curiæ Regiæ, Hispaniæ, &c.

ECCE *quartùm, Alpium iuga transcendens, Romam reuertor* INQVISITOR ILLVSTRISSIME, *rem à te sanè non magnam petiturus, vt Censor ex munere, nec vacuum præferens nomen, sed à dotibus muneri commensis egregiè constitutus, susceptam à me malorum ac bonorum librorum cribrationem, qua furfures literarios à lecto polline secerno, iudicio tuo comprobatam velis. Facio hoc, imitatione virorum magnorum; quos inter, Latinæ sapientiæ simul atque facundiæ flos speciosus, (sic nominatum à Pelagio memini S. Ambrosium, approbante Augustino,) Sabinum Laudensem Episcopum, scriptionum suarum arbitrum dixit. Sed & Boëtius, qui fascibus Consularibus, & splendori summarum dignitatum*

haud imparem Christianæ sapientiæ gloriam nexuit; Symmachum Socerum optauit Censorem, transmittens ad eum è carcere lucubrationem de Trinitate, vt eius iudicio staret aut caderet. A S. Basilio Magno, idem expetiisse Diodorum Tharsensem, ex Facundo Hermianensi discimus. Mitto posterioris æui complures. Sed illi, de singulis scriptionibus vnico argumento addictis, Censorem quærebant idoneum. Mihi cui de libris quibuscunque, malis ac bonis, proposita disquisitio est, Censor necessarius fuit, cui esset literaria penus instructissima, eáque non librariis pinacothecis ad pompam & vanam ostentationem, sed animo condita; iudicium acre & perpurgatum, dotes denique omnes Censoris probati, eóque digni nomine.

VT TE hoc loco haberem, VIR AMPLISSIME, persuasit perspectissima mihi, per facilem ad te accessum, cum Romæ degerem, omnigena doctrina tua, & iudicij exquisitè perpoliti vis eximia; quibus animi opibus, nobilitatem generis, per magna auorum atque atauorum nomina longa serie decurrentem; & gradus queis in Regia, & in Ecclesia orbe vniuerso celeberrima emines, velut gemmis pretiosissimis aurum obryzum inoculas. Enimverò vsus sæpè, magna mea voluptate, per eam quam dixi Romanam commorationem, tua præsentia, & erudita consuetudine, Megalopoli illi non semel gratulatus sum, quod te suo splendore ac nomine dignum existimans, ad se allexerit, nunquam ab inolito doctrinæ imperio casura, quamdiu tui

similes

similes suo sinu fouebit. Dolebam tamen, cum multa deberem tuo nescio cui de me iudicio, quod pepererat humanitas tua; non habere quod referrem. At quid consilij caperem, nisi vt cuius doctrinam suspexeram, cum aliis non posset à me officiis, is in libris omnis generis versatissimus, LIBRI *de* LIBRIS *nuncupatione coleretur?*

IDIAM agitabam Romæ; hucque redditus, cœpi ad destinata animum conuertere, quo huius mei nominis tantillam partem dissoluerem. Blandiebatur argumenti fiducia, vitæ tuæ integritas, iudiciorum æquitas, doctrinæ magnitudo; omnia currentem incitarunt. Hæc (vt vocabam,) Librorum cribratio, libero solo nata, patrias immunitates violare non timet, si eruditionis tuæ tribunali se sistat: Quin gaudet, quod futura sit apud Nostrates, doctrinæ tuæ, ac veterum morum, & meæ erga te obseruantiæ monimentum perenne. VALE. *Lugduni Celtarum anno* 1653. *ineunte.*

ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINIS TVÆ.

Addictissimus in Christo seruus,

THEOPHILVS RAYNAVDVS,
ex Societate IESV.

CAROLVS SANGRIVS SOCIETATIS IESV Vicarius Generalis.

CVm librum P.Theophili Raynaudi Societatis noſtræ *de malis ac bonis libris, déque iuſta aut iniuſta eorumdem confixione*, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus vt Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. Romæ, 20. Septembr. 1645.

CAROLVS SANGRIVS.

APPROBATIO.

NOs infrà ſcripti ſactæ facultatis Theologiæ in alma Vniuerſitate Pariſienſi Doctores fidem facimus omnibus ad quos ſpectare poteſt, perlegiſſe & accuratè examinaſſe librum, cui titulus eſt, *R. P. Theophili Raynaudi ex Societ. Ieſu, Erotemata de bonis ac malis libris, déque iuſta & iniuſta eorumdem confixione*, in quo nihil reperimus vel puritati fidei orthodoxæ, vel bonis moribus contrarium, quin potius & prælo & luce eo digniorem iudicauimus, quo author magni nominis, & experientiæ, in eo pro viribus retundere ſuſcipit illud vitium, quod hac tempeſtate meritò nuncupari poteſt malleus non modò Eccleſiæ, ſed & vniuerſæ terræ. Datum Lugduni 18. Ianuarij 1653.

FR. M. MICARD, Minor.

F. STEPHANVS MOLIN, Carmelita, Exprouincialis.

LIbenter per nos licet, vt prodeat in publicum opus, cui imminet titulus *R.P.Theophili Raynaudi ex Societ. Ieſu, Erotemata de bonis ac malis libris, déque iuſta & iniuſta eorumdem confixione*, inſcriptum iſti quippè & aliis eiuſdem ingenij fœtibus Authoris nomen ſatis magna approbatio eſt. Lugduni 25. Ianuarij 1653.

DEVILLE Prouic. Generalis.

PERMISSIO.

LIbrum cui titulus eſt, *R. P. Theophili Raynaudi Erotemata de malis ac bonis libris*, à Ioanne Antonio Huguetan & Marco Antonio Rauaud typis mandari, ego Regis Procurator non impedio, ac ne quis citra eis poteſtatem factam denuo recudat intercedo. Datum Lugduni 25. Ianuarij 1653.

VIDAVD.

CONSENSVS.

VIſo Procuratoris Regij permiſſu vt dictus liber à dictis bibliopolis excudatur permitto. Lugduni 27. Ianuar. 1653.

SEVE.

SYLLABVS OPERIS.

PROLVSIVNCVLA.

PARTITIO I.

De obiecto, seu de libris configendis quadruplici Serie comprehensis.

EROTEMA I. *ALIQVI ne libri configendi?* pag. 3

II. *Quinam libri generatim loquendo, improbandi?* 5

SERIES I. Libri mali & nociui.

III. *An libri Hæreticorum configendi?* 9

IV. *Athei & nullius, vel cuiusuis fidei, ac Religionis libri an improbandi?* 17

V. *Magici ne libri configendi?* 28

VI. *Libri Astrologici fatariorum, Onirocritici, Chiromantici, & quomodolibet diuinatorij, an damnandi?* 32

VII. *An obscæni libri, eliminandi?* 39

VIII. *Famosi libri num feriendi?* 70

IX. *An libri mordaces, configendi?* 85

X. *An libri supposititij suffixione digni?* 116

SERIES II. Libri in se mali, sed non nociui.

XI. *Num libri Gentilium, Polytheismum spectãtes, improbandi* 283

XII. *Specténtne ad hanc classem, Sarracenicorum libri, præcipuè Alcoranus?* 199

XIII. *An in hoc ordine Rabbinici, Thalmudici, Cabalistici libri?* 204

XIV. *Qui libri Hæreticorum, in hoc ordine?* 218

SERIES III. Libri in se non mali, sed nociui.

XV. *Libris ne quibusdam interdicendum, ob solam lectoris fragilitatem.*

fragilitatem? 221
XVI. *An Chymici libri, configendi?* 224
XVII. *Libri de argumentis inanibus, an damnandi?* 228

SERIES IV. Libri nec in se mali, nec nociui.

XVIII. *An libri quidam idcirco configendi, quod eorum argumenta premi, nec vlteriùs agitari placeat?* 230
XIX. *An libri nullo, vel gratis conficto authoris nomine editi, sint configendi?* 232
XX. *An eo tantùm quod liber quispiam nouam doctrinam continet, sit configendus?* 238

PARTITIO II.

De ipsa librorum confixione.

EROTEMA I. *QVis modus confixionis quoad libros ipsos; siue an semper totalis, an interdum duntaxat partialis debeat esse confixio?* 256
II. *Quomodò facienda confixio, respectu habito ad lectorum conditionem?* 261

PARTITIO III.

De configendi potestate.

EROTEMA I. *PEnes quem sit librorum configendorum ius priuatum, meréque doctrinale?* 266
II. *Cuius sit librorum confixio pro potestate?* 270
III. *Quæ seruanda & declinanda configentibus alienos libros?* 278
IV. *Quod, alienos libros malè configentium peccatum?* 307
V. *Ad quid teneatur qui alienum librum malè confixit?*

Operis clausula.

Sicera mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt corde: Siue authori cuius liber confixus fuerit, quibus verbis ac vocibus, hunc lenire dolorem possit. 318

PROLVSIVNCVLA

PROLVSIVNCVLA AD EROTEMATA,

De iusta & iniusta confixione librorum.

ARGVMENTVM propè quotidianum, hactenus tamen ferè intactum, à paucis certè discussum, versaturus, in hoc opere; acturus, inquam, de iusta librorum confixione, eum mihi ordinem ineundum video, quem Aristoteles optimus scribendi Magister in facultatum ac potentiarum tractatione seruandum indicit, vt scilicet initium ab obiecto ducatur, inde ad actum, denique ad facultatem ipsam fiat progressio. Quia igitur potentia, & facultas libros configendi exercitienda est, meritò hunc ipsum ordinem inibo. Déque obiecto primùm, id est, de libris configendis; tum de eorum confixione, & eius exequendæ debita ratione, ac modo; tandem de potestate ipsa configendi disseram, quærens cuiusmodi sit, & penes quos sita legitimè, à quibus verò iniuriâ arrogetur, & quanta cum noxa præposterè eam exerant, qui potiuntur, multóque magis, qui eum sibi non suppetentem honorem assumunt. Hæc est huius opellæ ratio ordinis, atque breuiculus, nec in rem ipsam festinatò subeunti longiores præludiorum ambages, vel necessariæ sunt, vel opportunæ. 1.

PARTITIO I.

De obiecto, seu de libris configendis.

PRIVS quàm in speciali spectemus, an hi, vel illi libri sint confixione digni, dicendum est generatim, an aliqui libri digni sint confixione. 2.

nam non defuerunt qui hoc in dubium reuocarent, imò negarent. Quare esto

EROTEMA I.

Aliquíne libri configendi.

HAud dubiè libri quidam sunt configendi, quippè mali atque damnosi; quod enim in veteri est adagio, optimorum deterrimam esse vitiationem, in libris videtur testatissimum.

Vtilitates à libris bonis.

3. Nihil sanè vtilius librorum scriptione. Gilbertus id egregiè tradit *serm.47. in Cant.* verbis illis. [Bonum est si dicantur verba; sed nihilominus bonum est si scribantur verba; volat enim irreuocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum, & stabile facit, & visibile: mandatum paginæ reposcetur cùm voles. Bonus depositarius est liber, integrè quod acceperit resignans, cùm voles sumes, vbi voles leges, quandiu voles moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est. Tutò verbi medicamenta illac condis; seruantur enim illæsa.

Egregiè quoque de fructu libri boni, Petrus Venerabilis, Gilbertum ad scribendum adhortans, [Seratur (inquit) in chartula verbi Dei seminarium, quod maturatis segetibus, hoc est, libris perfectis, multiplicatis frugibus, esurientes lectores repleat, & sic panis cœlestis lethalem animæ famem depellat: sic planè, sic verbi diuini poteris fieri taciturnus prædicator, & lingua silente in multorum populorum auribus, manus tua clamosis vocibus personabit. Clausus tenebris è spelæo tuo, & in codicibus tuis, terras, ac maria peragrabis; in publicis Ecclesiæ conuentibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco speculator inclamabis: in remotis Claustrorum, & domorum angulis, illud idem seruis Dei silentibus insusurrabis. Professio te Eremitam, deuotio faciet Euangelistam, vt quod per teipsum non potueris, tuis laboribus promerearis. Animet te ad hoc agendum non paruum laboris præmium, quod pro omnibus consequeris, quibus hoc laudabili studio subuenire potueris. Nam quotquot tuorum voluminum lectione superbiam prostrauerint, luxuriam subegerint, auaritiam contempserint, iram domuerint, à quibuslibet malis vel caruerint, vel pœnituerint, vt manipuli sudoribus tuis collecti, æternarum frugum tuarum horrea cumulabunt, & dum cùm vita hominis opera eius finiri soleant, & cum deficiente deficere, tu nec mortuus morieris, nec à vita deficiens à bono opere cessabis, quando operibus tuis ad vitam mortuos reuocabis: tantóque tempore etiam post mortem tuam, apud Deum extendetur lucrum operum tuorum, quanto, (vt ita dicam,) durare potuerit vita librorum tuorum.]

4. Non præteribo S. Maximum, qui *in præfatione ad Mystagog. Ecclesiast.* sic:

sic differit de scriptionum bono. [Vehementer vrgens à me postulasti vt eorum tibi narrationem scriptis mandarem, vt qui statueres scripturam esse obliuionis medicamentum, & auxilium memoriæ, quæ, (vt dicebas,) habet naturaliter tempus, quod omnia domat, & rerum, quæ in ea repositæ sunt, pulchrarum, & honestarum typos, & figuras, per obliuionem potest insensibiliter auferre, & penitus delere; & ideo renouante ratione omnino indiget, qua dicendi facultas perpetuò vigens, impartibilem, & minimè minuendam memoriam, suæ possit naturæ conseruare. Quantò autem sit sapientius hoc agere, vt quæ audita sint, ita permaneant, vt eripi non possint, quàm solummodò audire nemo omnino nescit, qui dicendi præstantiæ vllam, vel paruam curam gesserit, & non ab omni, cum ratione & eloquentia necessitudine, sit planè alienus.] Nihil viro gloriæ cupido accidere posse commodius, quàm si egregij alicuius scriptoris gratiam promereatur, affirmat, & subiectis plerisque exemplis confirmat Sarisber. 8. *Polycrat. cap.* 14. Videndus præterea de scriptionis vtilitate idem Sarisber. *in prologon lib.* 1. *Polycratici, initio*; vbi inter alia ait, Imperatorem ab asino paulo pòst non discrepaturum, nisi quatenus eius memoria vlteriùs scriptorum beneficio prorogabitur. Denique optimè in hanc rem differit Lucas de Penna *ad rubricam Cod. de nauicular.* Nec malè Iosephus Castalio *cap.* 48. *var. lect.* Et ideò libros dici *monumenta*, quia posteritati exarantur, notat Politian. *in præfat. Miscellan.* Est igitur librorum conscriptio vtilissima, quandoquidem per librum Eremita sit Euangelista, & homo post mortem quoque superstes est, & homines ad sanctitatem cohortatur, erudítque ad bonum, & famam perpetuat cùm probati autoris, tum eorum, quorum nomina scriptioni inseruntur.

Damna à libris malis.

At nihil vicissim deterius, inutilius, damnosius, scriptione mala, & libro malo, eo quippè virus non modò præsens & raptim transiens, sed durabile, & in innumeros eadem semper præsentissima nocendi facultate grassari aptum, continetur. Habent hîc locum rationes, quibus Gregorius Neocæsar. in Origenis laudatione, ex ipsius Origenis doctrina, confirmat, libros Atheorum esse deuitandos. [Ne scilicet, (inquit,) vnaquæpiam horum, illorúmve, sententia audita, & in pretio habita, quamuis vera non sit, tanquam vera sola esset, si semel in animum nostrum irrrepserit, decipiat, sibíque nos vendicans sic afficiat, vt nec ab ea discedere, nec illam quasi lanam colore quopiam infectam eluere possimus. Vehemens enim, & volubilis quædam res est hominum oratio, varia sophismatibus atque fallaciis, vt cùm aures subierit, menti citò quæ velit ingerat, atque insculpat, & quos semel occuparit, his vt ipsam pro vera colant, omninò persuadeat. Itaque hæret intus, quamuis falsa fallaxque sit, & instar præstigiatoris alicuius regnum obtinet, ipsius quem deceperit, defensa protectáque præsidio. Prona rursus ad orationis fraudem recipiendam, præcépsque ad assensum humana mens, & prompta, priusquam diiudicet, omnésque in partes exploret, vel propter hebetudinem imbecillitatémque suam, vel ab orationis 5.

ipsius subtilitatem, ad exactum examen deficiens; temerè seipsam falsis plerumque rationibus atque sententiis dedere, quæ & errent ipsæ, & in errorem quos inuaserint, impellant. Neque hoc tantùm, sed si corrigere ipsam alia quæpiam oratio velit, haud eam iam admittat, neque aliud sibi persuaderi sinat, opinione hac obsessam tenente, & Tyranni implacabilis instar, in ea dominante.]

Iustum esse, tales libros proscribere, ex dictis eruitur.

6. Quòd si tanta est libri mali virulentia, non congruum modò, sed & necessarium est, eos, quibus ius sit, statuere de illo eliminando. Sanè si prauum collocutorem, qui perpaucos vna opera potest inficere, deuitandum studiosè esse in confesso est, quia corrumpunt bonos mores colloquia mala; quanto certius est, deuitandum esse autorem mali operis, qui simul infinitos potest corrumpere? Aiebat de S. Fulgentio autor vitæ, eius quondam discipulus, *in prologo*: [Quasi ipse loquitur, cùm liber eius nomine titulatus, legitur.] Alia addo *in Mor.d.4.n.216.* E contratio ergo cùm legitur malus liber, perinde fit, ac si aures præberentur collocutori malo, quem omnes esse deuitandum fatentur. hoc argumentum fortiùs infrà premam, tractans de vitandis hæreticorum libris. Ibidem quoque, & passim in sequentibus, praxim sapientum omnium exhibebo, non Christianorum modò, sed etiam profanorum, vnde liquebit, sententiam omnium proborum, ac prudentum, conspirare in aliquorum librorum confixionem: quod argumento sufficienti esse debet, vt iure configi intelligantur. Quod enim communiter sapientibus videtur, non potest nisi à stulto abiici, vt Cassianus rectè statuit *lib.1. de Incarn. cap.6.* attigítque etiam Tertull. *lib. de præscript. cap.28.*

7. Quam ergo dixerimus fuisse Iosephi Scaligeri frontem, cuius illa est aduersus aliquorum librorum confixionem putentissima cacochymia; *expurgatorios Indices habere, Marranorum est.* Proh supercilium, imò infrunitam audaciam! Igitur Marrani, Pontifices omnes, ac Præsules, qui Christianam Ecclesiam seculis sexcentis supra mille rexerunt, sapientissimè ac felicissimè, & expurgatorios Indices, quibus libri noxij, ex parte, vel in solidum, prout libri malignitas ferebat, abolerentur, suo tempore exhibuerunt. Ludo operam, qui homini Caluinianam ganeam ructanti, proferam Pontifices, ac Præsules, quos omnes hæretico spiritu despuit. Vrgendus potiùs fuerat tot Imperatorum, ac Regum, (hoc quidem censore,) Marranismus. Nam à summis Principibus confixos libros plerosque, & expurgatos ea ratione prouincias quibus præerant, monstrabo in sequentibus. Agnosce ergo lector, Canis Scaligeri nepotem. Principem hunc gentis suæ iactat non rarò iste de scalarum, (an Gemoniarum,) sublimitate, deiectus ad imum gradum, qualis est Leydensis Magistelli. Sed principatum quidem, quisquis tandem fuerit, quòd scalis de Philonis sententia sit non absimilis, ad suos non transmisit Canis, abactus à fortioribus. Caninum sanguinem, & animum, ac genium omnes allatrantem, mordentem, concerpentem, nulli cuiuscumque ordinis, & gradus parcentem, in hoc eius nepote recognoscimus.

Periculi

Peniculi fossarij, maledicentissimæ petulantiæ repensi, benè memores Theodori Bibliandri aquæ sextarij, grunnitus contra librorum quorumcumque confixionem, atque adeò contra Indices expurgatorios, referam infrà ex eius præfatione Apologetica pro Alcorano, qui vnus operæ illius scopus, eam cum autore, manifestè reuincit sceleris.

In Catholica Ecclesia, (cuius vsibus aduersari, insolentissimæ insaniæ damnat S. Augustinus,) Indicem amplum expurgatorium primus, (quod sciam,) confecit in Romana Synodo Gelasius. Exinde ad annum vsque 1548. alius generalis Index non prodiit. Annis verò consequentibus confecti sunt complures, vnus anno 1552. alter plenior anno 1554. rursúsque alter anno 1559. Postea etiam Pius IV. ex monito Tridentinæ Synodi, alium confecit librorum expurgatorium catalogum, cui plenè perficiendo, & omnibus numeris absoluendo, Gregorius XIII. & Sixtus V. nauarunt operam: iis tamen duntaxat in Indicem relatis libris, qui apertè hæretici essent, aut blasphemi, vel schismatis, ac scandalorum ingeneratiui, aut obscœnitate infames. Admouisse Indici extremam manum visus est Clemens VIII. quo Pontifice dilatatæ admodum sunt Indicis fimbriæ; tametsi arctè, & angustè id tunc factum videri debeat, præ posterioribus temporibus. 8.

EROTEMA II.

Qui libri, (generatim loquendo,) improbandi?

NOn est standum hac in parte, sensui cuiuscumque; à nonnullis enim, multi libri optimi, retulerunt suffixionem, iuxta illud Claudiani ad Alexium, vsurpatum ab Ennodio *lib.2. epist.6.* 9.

Ipse parens vatum, princeps Heliconis Homerus,
Iudicis excepit tela seuera notæ.

Nec Latinæ Poëseos princeps Maro, in opere ad miraculum exculta, euasit nigros calculos malè feriatorum, vt est apud Persium *satyr.1.* verbis illis,

Arma virûm; nónne hoc spumosum, & cortice pingui,
Vt ramale vetus vegrandi subere coctum?

Eadem nota inusta Lucano atque Papinio; quem tamen Sidonius post carmen 22. scriptorem vocat *præiudicatissimum*, & à dotibus optimi autoris celebrant ipsius *centur.1. epist.13.* & in Poëtica Iulius Scaliger *lib. 6. cap. item 6.* Quid in oratione soluta Tullius, nitentis eloquij idea, nónne distortis quibusdam æui suis ingeniis, (referente Fabio *lib.12. institut. cap.10.*) audiuit, scriptor *tumidus, & Asianus, ac redundans & exultans, ac penè viro mollior?* En quæ de scriptis probatissimis sint imperitorum pessimè censentium iudicia. Attendendum igitur est, non quid hic, aut ille pronuntiet; sed quid ipsa natura rei ferat. Vtplurimùm non alios libros, quàm malos, esse improbandos, & configendos, videtur extra controuersiam. Aio, *vtplurimùm*, quia recenti experimento deprehensum est, aliquos libros nullo modo

malos, visos esse idoneam confixionis materiam: sed hoc & rarum, & recens est, vt *infrà* patebit. Vtplurimum autem libri, qui confixione digni sunt visi, libri sunt mali.

Qui hoc loco dicantur libri mali?

10. *Mali libri* nomine, non intelligitur quilibet liber, boni libri nomine indignus, siue malus absolutè, vt cum Metaphysicis loquar: sed intelligitur liber respectiuè malus, hoc est, damnosus atque nociuus. Nam, vt disserit Sarisber. *lib.7. Polycratici c.*10. etiam libri in se mali, aliquid boni continent, & legi cum fructu possunt. Sanè si omnes libros in se malos, hoc est, absolutè & in se non bonos, eliminatos quis velit, maximam omnino librorum partem cadere oporteat. Quotus enim est, in tanta librorum, non dico multitudine, sed propè infinitate, quantam prurigo innumerorum scripturientium fundit in dies, qui absolutè *boni libri* nomine venire debeat? Neque hæc noua querela est. Scriptitari passim libros à doctis, & indoctis, querebatur æuo suo Flaccus, multos indicans fundi à multis malos libros. Cadítque etiam, ea, vt cum Tertulliano dicam, *imbonitas*, in pleroſque libros, qui calculo suffragatorum non idoneorum, boni interdum audiunt.

Corrupta circa librorum bonitatem iudicia.

11. Nonnullis videntur *libri boni*, qui teruntur plurimorum manibus: qua rubrica diriguntur Bibliopolæ, qui librorum venditione quæstum captant; sed est rubrica sanè fallax. Quod enim rectè statuebat Ioannes XXII. (referente Nauclero *generat.*45.) [Nihil est à veritate alienius, multitudinis, siue vulgi sententia, quia quicquid laudat, vituperio dignum est; quicquid cogitat, vanum; quicquid loquitur, falsum; quicquid improbat, bonum; quicquid extollit, infame.] Hæc vniuersè de multitudinis sensu prolata, valent nominatim in hoc negotio, verè enim dixit Gerso *lib. de laude scriptorum, consideratione* 10. [Pluries emuntur, & studiosiùs teruntur mali libri, quàm boni.] Nimirum, vt ait Terentianus,

Pro captu lectoris, habent sua fata libelli.

At lectorum plerique, potiùs apti sunt ad librum nullius momenti, quàm ad librum exquisitè bonum peruolutandum. Indignabatur primâ in Ruffinum Apologiâ S. Hieronymus, esse qui de libri bonitate, ex lectorum numero pronunciarent, cùm tam multi in libris nihili euoluendis reuoluendísque, iuges sint. [Vulgi, (inquit,) lectione contenti, Doctorum aures despiciunt, & contemnunt illud elogium quo procax imperitia denotatur:

——Non tu in triuiis indocte solebas
Stridenti miserum stipulâ disperdere carmen?

Quasi non cirratorum turba, Milesiorum in scholis figmenta decantet, & testamentum suis, Bessorum cachinno membra concutiat, atque inter scurrarum epulas, nugæ istiusmodi frequententur. Quotidie in plateis, fictus hariolus, stultorum nares verberat, & obtorto scorpione dentes mordentium quatit:

quatit: & miramur, si imperitorum libri lectorem inueniant?] Quem hîc vocat *obtortum scorpionem*, *Epist.* 16. vocat *obtortum fustem*. Et idem iterat *lib.*2. *in Iouin. ferè in fine*, vt propterea suspicari quis possit, in primo loco, pro *scorpionem*, legendum *Scipionem*. *Virgam lauream* interpretatur Casaubonus *ad Theophrasti characteres*, *cap. de superstitione*. Videndus ad eam epistolam 16. Marianus Victorius. Sensus ergo Hieronymi est, miramur libros ineptissimos inuenire lectores, cùm quotidie circulatores nugiuendi, tam confertum auditorium nanciscantur? Idem egregiè *epistola quadam ad Eustochium*: [Nullus imperitus scriptor est, qui lectorem non iuueniat similem sui; multóque pars maior est, Milesias fabellas reuoluentium, quàm Platonis libros. In altero enim ludus & oblectatio est, in altero difficultas & sudor mixtus labori. Denique, Timæum de mundi harmonia, astrorúmque cursu, & numeris disputantem, ipse qui interpretatus est Tullius, se non intelligere confitetur. Testamentum autem Grunnij Corocottæ Porcelli, decantant in scholis, puerorum agmina cachinnantium. Igitur & noster Luscius Lauinius fruatur testibus, imò fautoribus suis, vincátque multitudine, quia forsitan vincit ingenio: mihi sufficit paucorum testimonium. Peruersa igitur amussis est ad libri bonitatem dignoscendam, vulgi confertim legentis iudicium. An non enim argumentum pessimi, turba?

Alij de libri bonitate ex tituli splendore pronunciant. At quàm multi im- 12.
ponunt ea ratione lectoribus, appingentes magnificos titulos, quibus fucum faciant simplicibus? Plinius huiusmodi inanitatem refellit in præfatione ad historiam, *sub finem*. [Inscriptionis (inquit) apud Græcos mira felicitas, κηκίον inscripsere, quod volebant intelligi fauum: alij κέρας Ἀμαλθείας, vt vel lactis gallinaci sperare possis in volumine haustum. Iam *Musæ*, παρθένιαι, ἐγχειρίδιον, λειμὼν πινακίδιον; inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At cùm intraueris, Dij, Deæque, quàm nihil in medio inuenies!] Ex variis antiquis, multa paucis circa titulorum, siue inscriptionum libris præfixarum varietatem, congessit Iulius Scaliger *lib.*3. *Poëtices c.*126. Gellius quoque, (non enim aspernabor Grammatici suffragium, quem D. Augustinus *liberaliter eruditissimum* nominat, hoc tectorium insipientiæ effusè derisit *lib.*20.*c.*21. collectis multo pluribus inscriptionum, (vt vocat,) festiuitatibus. Libros mendaciis factos, nomen ac titulum splendidum veridicorum præferentes, recensui initio operis de æquiuocatione.

Sed neque, (quod multos facere videmus,) de libri bonitate, ex librorum ab Autore conscriptorum multitudine, est statuendum. Egregiè S. Basilius *epist.*74. agens de Apollinare, [Facilitati, (inquit,) scribendi, qua per occasionem ad quosuis irrepit, coniunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem libris suis repleuit, contempto Ecclesiaste, qui cauendum esse dicit, ne multi fiant libri. In multitudine autem certum est, quòd multa delinquantur. Nam quomodo potest in multiloquio vitari peccatum?] Eundem Apollinarem, Naz. quoque sugillat *orat.*52. quòd numerosam ingenij fœturam iactaret. Origenem eadem ex causa carpit Theophilus Alex. *epist.*2. *Pasch.* & Epiphan. *hær.*64.*n.*5.

Concluditur,

Concluditur, libros malos hîc non dici, qui non sunt absolutè, & in se boni; sed tantùm malos respectiuè.

13. Plerique igitur libri, ex iis, qui aliquo ex prædictis modis boni habentur, mali sunt in se, & absolutè. Nec idcirco tamen Libitinæ illicò sunt addicendi, cùm tales interdum sint, quibus aliquid insit boni. Imò nullum esse librum tam malum, vt non aliqua parte prodesse possit, censuit Plinius, referente Plinio iuniore *lib.3. epist.5.* præiuerátque Varro *lib.6. de ling. Lat.* cuius illa sunt scitè æquè ac verè dicta. [In bona segete neque nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.] Possis de magna librorum parte verè statuere quod de carminibus suis Martialis lib.6.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hîc: aliter non fit, Auite, liber.

Et *lib.7. epigr.65.*

Triginta tanto mala sunt epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Esse porrò eam librorum tenuium iuxtà, ac eximiorum varietatem in Dei Ecclesia opportunam, tanquam diuersæ, & inæqualis supellectilis multiplicitatem, ad instruendam, & exornandam magnam domum, scitè dixit Prudentius *in præfatione Enchiridij*, versibus illis:

Multa diuitis domo
Sita est per omnes angulos supellex:
Fulget aureus scyphus,
Nec ære defit expolita peluis:
Est & olla fictilis,
Grauisque, & ampla argentea est paropsis:
Sunt eburna quæpiam.
Nonnulla quercu sunt cauata, & vlmo,
Omne vas fit vtile,
Quod est ad vsum congruens herilem,
Instruunt enim domum.

Cùm igitur libros malos configendos decerno, non id statuo de libris quibusuis in se, siue absolutè malis, qui scilicet non sint exquisitè conscripti; sed de libris, qui aliis nocumentum inferre malignitate sua possunt; ideóque sint respectiuè mali. Possumus autem variè coniungendo & absolutam, & respectiuam malitiam librorum, quadruplicem eorum seriem digerere; sunt enim libri quidam mali, & nociui: sunt alij mali, & non nociui: sunt tertiò quidam non mali, sed nociui: sunt denique alij vtriusque malitiæ expertes; sed quia ita fert eorum fatum, confixioni patentes. Agendum de omnibus sigillatim.

Series

Series I. Libri mali, & nociui.

Hac prima serie comprehendam in primis libros illos, qui fidei puritatem commaculant, vt libros hæreticorum, & Atheorum: deinde eos, qui ad nefarium cum Satana commercium manuducunt, vt Magicos, hísque continentes, diuinatorios, quos vno nomine S. Lucas *Actorum* 19. *curiosos* vocauit; præterea eos, qui depretiare res sacras ob admistiones friuolas possunt, quales multi Apocryphi, scatentes fabulamentis, quibus æstimatio veris sacris narrationibus decedit; in quem ferè finem ab hæreticis non paucæ sacræ historiæ, confictæ, aut admisto furfure vitioso, adulteratæ nequiter sunt. Addendi denique prædictis libri obscœni, & famosi, vel aculeati, aut saliti supra iusti ac recti mensuram. 14.

EROTEMA III.

An libri Hæreticorum configendi?

ESse configendos hæreticorum libros, negant omnes hæretici, ac nominatim OEcolampadius, in quem agit Vellosillus *in aduertentiis ad tomum 6. Hieronymi, quæst. 9.*

Libri Hæreticorum, citrà dubium damnandi.

Quicquid verò hæretici pro se, & libris suis solliciti contendant, nulla planè est, aut esse potest dubitatio, quin hæreticorum libri sint suffixione dignissimi. Si enim viuus sermo hæretici, eiusque alloquium deuitandum est Christiano, (serpit enim vt cancer sermo hæretici, autore Apostolo;) & idcirco allocutiones hæreticorum seuerè damnant Patres, vt Cyprianus *epist. 55. ad finem, & epist. 40. n. 16.* ac S. Leo *serm. 18. de pass.* quanto magis scriptio, quæ non volat, & momento dilabitur vt verbum ore prolatum, sed perstat veluti perennis quidam fons virulentiæ transmittendæ in infinitos simul mortales, ad quos viua oratio nunquam pertigisset? Quòd si hæreticus iam concesserit in Orcum, nec alloqui vltrà superstites queat; libris tamen potest etiam iam in Tartaro sepultus, disseminare virus suum: qui proinde multo magis auersandi sunt, quàm ipsius hæretici cadauer. Nam in libro sistitur anima ipsa, & malignitas hæretici. Pulchrè sanè Themistius *orat. 13.* [Animam ego sapientis hominis, illius sapientiam esse arbitror, ac mentem atque sermonem: sepulchra verò eiusmodi animarum, libros ac scripta, in quibus tanquam in monimentis, reconditæ eorum reliquiæ seruantur.] 15.

Hoc in rem præsentem elegantissimè dixit S. Cyrillus *lib. 14. de ador.* tractans quod *Leuit. 11.* habetur, de munditia animalis fissam habentis vngulam pedis, ac ruminantis. Econtra enim, vt addit, [Immundus ex lege est, qui altero caret. Quod verò ab his abscedere oporteat, nullâque ratione eorum participes cerni, declarauit, dicens: *De carnibus non comedetis, & morticina ipsorum non attingetis.* Neque enim cum viuentibus, (inquit,) versabimini. Et si quis fortè

huiuſcemodi moriatur, propriam mentem puram conſeruabitis, ne tantillum quidem ea quæ ab ipſis facta ſint, attingentes; ſcripta nimirum & impurorum commentationes; ſunt enim hæc, hominis vitæ, reliquiæ. Quod ſtulti hæretici facere conſueuerunt; errarunt enim proculdubio ij, qui ignorantiæ, qua laborabant, authores ipſi extiterunt, ac veluti reliquias quaſdam ſuæ ipſorum impietatis, diſcipulorum ſuorum animis impreſſerunt. Hi verò ac quidem libenter admodum accedunt, menteque excipiunt, atque ineluibilem in ſe inquinationem admittunt; quippè qui cadaueroſas quodammodò carnes contrectarint, quæ extremo fœtore, immunditiáque ſunt refertæ.]

16. Non alio ergo loco habendus eſt hæretici demortui liber, quàm conditorium animæ, & malignitatis, quæ hæreticum præſtitit auerſatione, & abominatione digniſſimum. Neque enim in hæretico, perſona, vel aliud quippiam, horrori eſſe debet, præter virus doctrinæ, quæ in libro propinatur, & nequitiam ex libri doctrina inhalatam. Non exanime corpus tantùm, ſed viuum ipſum Doctorem in eius libris ſupereſſe, ait Philotheus Conſtantinop. *orat. de Triade Theologorum, ferè in fine.* Imaginem autorum in libris agnoſcit S. Chryſoſtomus verbis illis, quæ Gregorius Neocæſarienſis Iconomachorum cauſam agens, adduxit, in VII. Synodo *actione 6.* vocans libros *imagines ſcriptorias.* [Nos (inquit) per ſcripta, Sanctorum fruimur præſentia, non ſanè corporum ipſorum, ſed animarum imagines habentes: nam quæ ab ipſis dicta ſunt, animarum illorum imagines ſunt.] Optimè ait, imaginem non quidem corporis, ſed animæ Sancti, eſſe librum ab eo editum. Quis autem Catholicus velit imaginem hæretici habere, niſi quo loco imagines primariorum hæreticorum locauit Theodoſius, hoc eſt, in latrinis? Idque ſignatum à Beza videtur quoad Caluinum; nam eius imaginem, vt cacaturientis, exhibuit: quod notauit Genebrardus *in Chronico.*

Alio ſchemate fugiendam hæreticorum librorum lectionem, & impendens ab eis exitium, expreſſit Clemens Alex. *lib. 5. ſtrom.* verbis illis. [Sed nec omnibus, qui impudenter, & temerè dicunt, & ſcribunt, oportet aures præbere, nam calices quoque, qui à multis ſumuntur per aures, hoc eſt, anſas, aures quidem amittunt: præterea autem etiam ipſi excidentes confringuntur. Eodem modo ij quoque, qui multis nugis, fidei caſtam inceſtarint auditionem, ad veritatem iam tandem obſurdeſcentes, & inutiles fiunt, & in terram decidunt. Non ergo temerè pueris præcipimus, auribus eos apprehendentes, vt oſculentur eos, qui ad ipſos attinent. (latè de eo oſculandi more Lilius Gyraldus *dialogiſmo* 8. oſculum ſic infixum vocans *Florentinum.* Latè item de eo more, Gul. Canterus *lib. nouar. lect. cap.* 25.) hoc vtique tacitè ſignificantes, ingenerari per auditum, ſenſum dilectionis. Deus autem eſt dilectio, qui cognoſci poteſt ab iis, qui diligunt: ſicut Deus eſt fidelis, qui fidelibus traditur per diſciplinam: & oportet, nos ei effici coniunctos, ac familiares per diuinam lectionem, vt ſimile ſibi contemplemur, purè, & citra fraudem verbum audientes veritatis, inſtar puerorum, qui nobis obediunt.]

Principum decreta in libros Hæreticorum.

17. Hoc ſpectarunt omnibus planè ſeculis Chriſtianis, Eccleſiaſticæ leges, & Chriſtianorum

Christianorum quoque Principum rescripta, quibus seuerè interdictum legimus, librorum hæreticorum lectione. Constantini Magni in hanc rem lex, aduersùs veteres hæreticos, & eorum libros, memoratur ab Eusebio *lib.3. de vita Constantini cap.64.* & causas aperuerat *cap.63.* verbis illis ad impietatis Magistros, & conscelcratos impiorum librorum autores, [Cognoscite quibus mendaciis, vestræ doctrinæ inanitas implicata teneatur; quatenus pestiferis quibusdam venenis, vestra vsque eò inficiatur disciplina, vt per eam integri, ac valentes, ad morbum, viui autem ad sempiternum interitum abstrahantur. O veritatis inimici, hostes vitæ, internecionis consiliarij, & autores: omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficiis, ineptiis, & commentitiis fabulis exultantia. Quibus certè mendacia struitis, premitis insontes, fidelibus lucem denegatis. Nam falsa visione, & specie pietatis, semper delinquentes, omnia contagione vestra contaminatis; conscientias integras & labe vacuas, lethalibus plagis vulneratis, ipsum diem, (penè dixerim,) hominum oculis adimitis. At quid attinet singula persequi, cùm de vestris flagitiis sicut eorum natura postulat, dicere, temporis angustiæ non sinant? Nam scelera vestra adeò grandia, adeò immensa sunt, adeò etiam turpia & omni crudelitate redundantia, vt dies integer ad ea explicanda non sufficeret. Imò verò ab huiusmodi rebus aures abducere, oculósque auertere conuenit, ne singulorum explanatione, syncera & incorrupta fidei nostræ professio, commaculetur.]

Eiusdem Imperatoris edictum in hanc rem sanè luculentum extat apud Socratem *lib.1. cap.6.* In eo Imperator, *gregis nostri*, (vt Theodoretus scitè dixit,) *Zorobabel*, eandem Arrio, quam Porphyrio, ignominiæ notam inustam vult; vt quemadmodum capitalis ille Christianæ religionis hostis, conscriptos in eam suos nefarios libros igni adiudicatos viderat; sic Arrij libri impietate nihilo minores, eadem sorte essent, & nullum eiusdem monimentum relinqueretur ad posteritatem. Quòd si quis librum ab Arrio compositum occultasse deprehensus esset, nec illum statim in medium productum iniecisset in flammas, eum mox vt esset comprehensus, capite mulctandum edixit Imperator piissimus.

Memorant edictum illud,& ad Nestorij, ac Nestorianorum libros extendunt, 18.
Theodosius, & Valentinianus AA. *l. damnato, C. de hæretic.* & pleniùs *tomo 5. Concilij Ephesini c.13. & 14.& c.19. ac 20.* Laudat verò illud Theodosij,ac Valentiniani in Nestorianos edictum, Pelagius Pontifex *epist. ad Episcopos Istriæ.* Nec zelo minore Valentinianus, & Marcianus *l. quicunque, C. eodem, & l. quoniam,de Episc.& Cleric.* aduersùs Eutychianorum,& Apollinaristarum libros, & sacrilega,(vt vocant,) scriptorum monumenta armati sunt; ea enim quisquis haberet, aut seruaret, perpetua deportatione damnarunt, ipsos verò libros ignibus tradi, & flammis obliterari peruersitatem, sanxerunt. Quam etiam pœnæ iustissimam seueritatem, in rescripto ad Palladium Præfectum prætorio, ad eos porrigi voluerunt, qui docendi studio, vel discendi, nefaria illa scripta legenda cuipiam tradidissent; idque ratum præterea habuerunt in epistola ad Constantinopolitanos ciues, de Synodi Chalcedonensis firmitate tenenda, intento in Constantini Magni edictum digito. Meminitque etiam eiusdem edicti Iustinianus, ea lege, qua Anthimi hæretici in V. Synodo *actione* 1. damnati, & Seueri secundùm nomen suum *Acephali*, impios libros ignibus addicit, pœna

truncationis manuum, imò & capitis, (ait Nicephorus *lib.17. c.9.*) iis intentata, qui tale quicquam scripsissent, exscripsissentve. Extat Nouella 42. De vetitis Manichæorum, & Montanistarum libris sub pœna capitis, meminitque Petrus Siculus *in historia de Manichæis*, laudans eam ob causam Christianos Imperatores. Et similia de Manichæorum libris, habet Cedrenus *in compendio hist.* ac *in Panoplia* Euthymius.

Caroli Magni edictum aduersùs libros hæreticos, habetur *lib.1. Capitul. c.78.* Plurima talia edicta congessit Photius *in Nomocanone tit. 12. cap. 3.* Mandato Tiberij Imperatoris librum Eutychij Constantinopolitani hæreseos materialis conuicti, crematum esse, scribit S. Gregorius XIV. *mor. c.32.* vt proinde immeritò Eustathius Presbyter *in actis S. Eutychij* eum purgans, criminatores notet calumniæ. Quod ipsemet S. Eutychius retractans errorem, falsitatis arguit. Item Constantinus Monomachus, iussit coram se ignibus tradi librum Nicetæ Pectorati, Monachi, quem Humbertus Cardinalis Syluæ candidæ, & Petrus Amalphitanus Archiepiscopus, Legati Romani, hæresibus fartum demonstrarant. Edicto Recaredi Regis ex Ariano Catholici, libris omnibus hæreticorum subiectum ignem, autor est Aymoinus *lib.3. de rebus Francor. c.77.* & Autor Appendicis ad historiam Francorum Gregorij Turonensis *num.8.* Edictum Caroli V. Imperatoris, de libris hæreticorum igne cremandis, habetur apud Cochlæum *lib. de actis Lutheri, anno* 1540. sic igitur se gesserunt contra libros hæreticorum Principes seculares.

Autoritas sacra, contra libros Hæreticorum.

19. Vt minùs mirum sit, Ecclesiæ Præsules, & sacra Concilia, quorum sunt hæ partes primæ in librorum hæreticorum deletionem omnimodam, tanto studio incubuisse, ab omni æuo Christiano. Nam Concilium Nicænum I. Arij *Thaliam*, opus non modò hæreticum, sed etiam planè spurcum, & dignum scrofæ illius fœtum, vt Sozomenus *lib.1. cap.20.* & Niceph. *lib.8. cap.18.* autores sunt, abditum voluit. S. Alexander Episcopus Alexandrinus, sub finem illius insignis epistolæ aduersùs Arrium, quam exhibet Theodoretus *lib.1. histor. cap.4.* omnia Arij, & Achillæ ac complicum scripta proscribi vult, eo quòd veritatem loqui nolint: omnia autem non secus, ac præstigiatores ementiantur. Eodem æuo Pachomius, ex sensu tunc Sanctorum, & totius Ecclesiæ, quanto odio auersaretur libros hæreticorum, discimus ex ipsius Pachomij vita *cap.27.* vbi specialiter traditur, virum sanctum, Origenis, quem hæreticum habebat, execratum esse volumina, & vniuersos Fratres sollicitiùs admonuisse, vt non solùm ipsi Origenis libros refugerent, sed ne legentibus quidem aures præberent: præibátque ipse exemplo. Aliquando enim volumen Origenis cùm reperisset, aquis illud confestim mersit, & aliis Monachis vt idem præstarent, autor fuit, vt *ibidem c.45.* proditur: additúrque *cap. 53.* morientem quoque id infixisse. Quòd autem Origenis volumen merserit potius, quàm combusserit, causa refertur, quòd nomini *Dei* scripto in eodem volumine, pareitum voluerit. Sed an non immersio, æquè perditura erat Dei nomen?

20. Posterioribus seculis, idem studium sacrorum excubitorum est proditum. Vix Sedem Constantinopolitam tenuit S. Chrysostomus, cùm omni ope annisus est, &

& suffragante Theodosio Imperatore perfecit, vt pulsis ex vrbibus Montanistis, & Eunomianis, eorum codices comburerentur. Chrysostomo enim autori, & incentori, debetur lex Theodosij aduersùs hæreticos illos, & eorum scripta, quæ est 34. *in Codice Theodos. tit. de hæret.* Nec ita multo pòst, Ephesina Synodus, Nestorij libros curauit vbique flammis addici, per Theodosium Imperatorem, datis ad eum synodicis literis, quæ *tomo* 1. *Concilij Ephesini cap.* 22. & apud S. Cyrillum leguntur: caróque stetisse pio Monacho, quòd librum Nestorij cum alio volumine, (vt fit,) compactum, aliquandiu apud se nescius habuisset, ex diuino viso prodit Ioannes Moschus *cap.* 46. *Limonarij.*

Manichæorum reliquiis, lupis planè sub ouina pelle Romæ deprehensis, infremuit in eos, (vt cum Photio dicam,) voce robusta Leo: quod eius sermo 4. *de collectis*, & sermo 5. *de ieiunio decimi mensis*, & sermo 4. *de Epiph.* quartus item *de Quadrag.* & 7. *de Natali Dom.* abundè produnt. Præter cætera verò pastoralis sollicitudinis argumenta, codices eorum omnes, à S. Leone incensos, Prosper *in Chronico ad annum* 446. tradit, magnas codicum illorum moles interceptas referens. Gelasium Papam, summo studio annisum, vt lolio librorum hæreticorum Ecclesiam purgaret, non modò decretum eius in Concilio Romano, quod est à Gratiano exscriptum, *C. Sancta Romana*, abundè prodit, sed etiam quòd crematos ab eo ante S. Mariæ ædem libros Manichæorum, scribit Anastasius: id quod æquè à Symmacho Papa ad Constantinianæ Basilicæ valuas præstitum, refert liber de Romanis Pontificibus. Et cùm denuò stirps infausta sub Hormisda Pontifice pullularet, succisam ab eo Apostolica animaduersione, crematis præter cætera codicibus, scribit Anastasius.

In V. Synodo, immediatè ante canonem 1. ita sancitur aduersùs hæretico- 21.
rum libros. [In memoria tenentes promissiones de Sancta Ecclesia factas, & qui dixit, quòd *portæ Inferni non præualebunt aduersùs eam*, id est, hæreticorum mortiferæ linguæ; recordantes autem, & quæ per Oseam de ea propheta sunt, in quibus dicit, *& sponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum*; hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos hæreticos, qui vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, patri mendacij Diabolo connumerantes, illis dicemus: *Ecce vos omnes ignem accendistis, & conualescere facitis flammam ignis, ambulabitis in lumine ignis vestri, & per flammam quam accendistis.*]

Testatur insuper Anastasius in Adriano II. & *præfat. ad VIII. Synodum*, librum actorum Photij aduersùs Nicolaum Papam, ipsiusmet Photij fœtum, per Legatos S. Ignatij Patriarchæ, & Basilij Macedonis, pedibus conculcatum, & gladio perfossum, móxque decreto Synodi Romanæ, cui Adrianus præerat, apud S. Petrum, repetito in Photium autorem anathemate, fuisse combustum; cœlo ipso suffragante: nam superueniens subitò pluuiæ eluuio, non modò ignem non restinxit, sed etiam incendit vehementiùs, piceo fœtore ex incendio fœrentissimi voluminis, vberrimè inhalato. Iussu porrò eiusdem Pontificis cautum esse, vt eodem modo, quo Romæ, flammæ impiis Photij scriptis iectæ, Constantinopoli, descriptoris nequitia pœnas sumerent, ibidem proditur: & ita factum esse, liquet ex VIII. Synodo, *actio.* 8.

vbi in epistola ad Basilium Augustum, Adrianus ita vult [omnia exemplaria cremari igne, contemplantibus cunctis, vt ne vnus quidem apex, aut iota, inde supersit.] Berengarius item in Concilio Romano, iussus est à Nicolao II. coram 113. Episcopis ignem ipsemet succendere, & in eum coniicere librum hæreticum, vt scribit Lantfrancus initio confutationis Berengarij. Liber ille hæreticus, quem Berengarius hæreseos suæ fontem habuerat, & quem idcircò adactus est ipsemet in ignem coniicere, erat liber Ioannis Scoti, vt est in fragmento historiæ Aquitanicæ. Quem dicam Ioannem Scotum, eúmque fuisse à Dunsio diuersum, frustrà moneor admonere, cùm sit euidentissimum.

22. Postulatis quoque Concilij Remensis annuens Innoc. II. *epist.* 16. apud Abelardum, libros errorum Petri Abelardi, & Arnaldi de Brixia, incendio damnauit: ídque de Abelardo Gaufridus Clareuallensis 1. libro eorum, quos de S. Bernardi vita scripsit *cap.* 5. disertè prodit, & iam antè factum Suessione à Legato Romanæ Ecclesiæ, testatur S. Bernardus *epist.* 193. quæ est ad Iuonem Cardinalem, & *epist.* 191. quæ est ad Innocentium II. nomine Concilij Remensis; vbi liber Abelardi *de Trinitate*, igne examinatus dicitur, quia inuenta est in eo iniquitas, queritúrque *ibidem* S. Bernardus, surrexisse à mortuis librum illum, & cum eo multorum hæreses, quæ dormierant, surrexisse & apparuisse multis. Libros Dauidis de Dinanto tanquam hæresibus scatentes, damnatos esse atque exustos, & quòd eius erroribus occasionem præbuisse viderentur libri Aristotelis de naturali Philosophia, seu Metaphysica, recens allati Constantinopoli, eosdem quoque in Concilio Prouinciali Parisiis celebrato sub anathemate vetitos & igni addictos esse, ex Rigordo, & aliis scribit Henricus Spondanus *in supplemento historico*, *anno* 1204. *num.* 18. In Concilio Romano interdictum esse lectione librorum Wicleffi, refertur, & firmatur in Concilio Constantiensi *sess.* 8. Concilium Later. sub Leone X. *sess.* 10. Libros hæreticos proscripsit. Adrianus VI. datis ad Bambergenses literis, grauissimè dehortatus est à lectione librorum Lutheri. Et suffragatum Deum insigni miraculo sub illud tempus, immissa valida febre homini ea lectione distento, à qua febre non priùs liberatus est, quàm librum flammis dederet, scribit Resçius *lib.* 5. *vitæ Card. Hosij cap.* 5. Tandem Tridentina Synodus quorumcumque hæreticorum libros, tanquam malæ messis certam sementem, exterminauit: & hanc esse vestem leprosi, quæ *Leuitici* 13. iussa est comburi, scitè prosequitur Rupertus *lib.* 2. *in Leuit. c.* 23.

Priuatorum item fidelium iustus ardor in Hæreticorum libros.

23. Non igitur ratione duntaxat fortissima, quam initio dedimus, sed etiam praxi perpetua Christianitatis, vtróque, (vt ita dicam,) brachio, & Ecclesiastico, & laico armatæ in libros hæreticorum, perspicuum est, eam pestem esse quàm diligentissimè auersandam, meritóque libros huiusmodi ab iis, quorum interest, suffigi atque proscribi, ipsi fideles, vel silentibus Principum, ac Ecclesiæ legibus, vltrò hæc nequitiæ instrumenta addicere ignibus sunt soliti. Exempla sunt vulgatissima; vnum sanè luculentum, nec adeò antiquæ memoriæ,

moriæ, quod Annibal Codretus ad Iacobum Laynium Soc. Iesu Præpositum Generalem Tridenti in OEcumenica Synodo agentem perscripsit. ex Sacchini historia nostra ad annum 1562. quo id contigit, annotabo. Isidoro, vulgò *Issoire*, vrbe Aruerniæ, spelæo hæreseos per annos complures, tandem ab exercitu Catholico in deditionem accepta, Edmondus Augerius Christianus Orator non ex genere citharœdorum, sed potens ac Apostolicus, eò aduocatus est, tantóque motu animorum rem Christianam curauit, vt intra tempus perbreue, ad mille quingentos in Ecclesiæ caulas reuocarit. Orationem verò 40. horarum cùm instituisset, eaque concluſa augustissimum Christi corpus per vrbem circumferretur, qui libros habebant hæreticos, gratam fragrantiam in platea excitarunt, iis libris, quâ Christi corpus transibat, igni datis, incenso acceptissimo. Hi ignes, si crebri, & luculenti excitarentur, non dubium quin purgando Christiano cœlo, & peste animorum, quæ librorum maximè virulentia grassatur, festinatò auertenda, magnum compendium fieret, & impietatis diffusio facilè præcluderetur; fatendum enim est, nullo magis instrumento impietatem foueri, & promoueri, quàm librorum.

Quanquam Nazianzenus *orat. 2. de pace num. 31.* vt *ibi* notauit Billius, scripta hæreticorum, quia nihil boni inde paritur, contulit ouis subuentaneis, sic de eis scribens. [Lepidos, & elegantes vestros fœtus, imò abortus, cognoscemus, cum ruptis, aut dura, & solida disputatione confractis, aspidum ouis vana ea, & subuentanea esse, apertè demonstrauerimus, abditúmque in ipsis pietatis basiliscum in medium protulerimus. Basiliscum quidem illum, cæterùm mortuum, & imperfectum, ac motu carentem, ipsisque partus doloribus immortuum, ac priusquam giguatur, extinctum. Libet enim verbis vestris vti, vt nonnihil gratiæ apud vos ineam ob conceptionem, non minùs detestabilem, quàm ob abortum miserabilem.] 24.

Vtinam tamen scripta talia conferri possent cum ouis subuentaneis quoad impietatem, ita vt non posset inde soboleſcere impietas: quod experimento assiduo, nimiùm quantum, deprehendimus fieri. Meritò igitur libri huiusmodi perduntur, & addicuntur ignibus.

Quæ subducendis exitio Hæreticorum libris, commodare visa, disiecta.

Duo in contrarium opponi possunt. Vnum ex decreto Zachariæ Papæ, vetantis quod Synodus Romana iusserat, cremari libros Adalberti, insani hæretici. Alterum quòd in libris hæreticorum multa sint bona, & vtilia. Sed neutra oppositio est idonea: nam Zacharias Papa in ea epistola quæ habetur 138. inter epistolas S. Bonifacij, & in Concilio Romano quod in causa Adalberti Galli, & Clementis Scoti habuit, prolata quidem Adalberti scripta, subiici ignibus noluit; quod faciendum censuerant Patres; verùm ea in re non consuluit incolumitati librorum hæreticorum: sed ad perpetuam, (vt ait,) confusionem illius Adalberti, & eius sectatorum, voluit exemplar vnum eorum seruari in scriniis Romanæ Ecclesiæ. Quòd enim libri illi farti essent impietatibus crassissimis, & apertissimis, quarum defloratio habetur in eo Concilio: Adalbertus autem à plerisque haberetur vt sanctus; interfuit Ecclesiæ, 25.

eius

eius libros non prorsus petdi, vt si quando res ferret, ex operibus probaretur impietas autoris.

26. Nec item refert, quòd ad subducendos huiusmodi libros exitio, obtendisse suo tempore nonnullos, testatur Thomas Waldensis in doctrinis præmissiuis ad doctrinale fidei antiquæ, *doctr.6.* eséque postea ab aliis, in Belgio, & Lutetiæ, vel imprudenter, vel dolosè iactatum, scribit Alphonsus de Castro *lib.2. de iusta hæretic. punit. c.16.* nimirum multa bona reperiri in hæreticorum libris, ac proinde damnandos non esse, sed iis, quæ inibi mala sunt, improbatis, quæ pura, & bona sunt, (iuxta Apostoli monitum,) tenenda esse. Hoc, inquam, non refert; nihil enim hæreticis familiarius est, quàm bona quædam permiscere pessimis, vt escâ illâ quorundam bonorum pellectus incautus lector, voret hamum perfidiæ in exitium suum, & certam ruinam. Ignes suppositi cineri doloso, sunt periculosiores: quod de his libris, & inserto impietatibus bono quopiam, videtur verissimum. Quare idem de libris hæreticorum, & stillis aliquibus boni mellis, multæ amaritudini peruersorum dogmatum infossis, statuere meritò liceat, quod de propinantibus venenum in aureo calice, labris eius melle perlitis. Egregiè id tradit S. Leo *epist. ad Turibium c.15.* de libris Priscillianistarum agens.

Pulcherrimè item Beda suorum in Cantica commentariorum principio, cùm monuisset Iuliani Celanensis, Pelagianorum disertissimi, lucubrationes in Cantica, magnam Lectoris attentionem deposcere, vt bonum carpens, à spinis caueret, subiicit, prudentiùs quoque facturum, si prorsus abstineat plena periculi lectione: ne dum boni quippiam captat, vnà præsentissimum virus hauriat, & pereat. Quò aptat illud Maronis,

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga;
Frigidus, (ô pueri fugite hinc,) latet anguis in herba.

27. Ego eodem iure, huc aptarim illud Origenis *lib.1. in Iobum.* [Diabolus aduersùm nos, mille modis, ac multipliciter dimicat, congreditur, & tentat, insidiatur. Seducit, atque subuertit per multitudinem hæresum, per innumeros errores, per abundantes seductores, per pseudochristos, ac pseudodoctores, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminauit, quos atrocissimus ille produxit, quos maligniſſimus fecit, florem, & fructum in infidelitate, atque errore afferre coëgit, quibus hic, (vt diximus,) mundus repletus est; qui venerunt & veniunt in verbo Domini, in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, nomen Christianorum habentes, atque speciem pietatis, & erroribus ac impietatibus atque seductionibus, referti sunt. Isti sunt veræ ianuæ mortis, & viæ inferni. Isti sunt qui à veritate plurimos præuaricantur, & à fide innumeros aberrare faciunt. Isti sunt ministri maligni Diaboli, atque nuncij veritate carentes. Isti sunt cæci, duces cæcorum. Isti sunt nubes sine aqua, nebulæ à tempestate fugatæ, quibus caligo, vel nebula interiorum tenebrarum dignè seruatur, atque custoditur. Istos ergo fugiamus, ô viri; istos latè deuitemus, ô amici; istos odio habeamus, & infidelitatem, atque errorem qui in eis est, velut flammam ignis declinemus; pro eo ne cum illis flammæ inextinguibili in die furoris atque reuelationis iusti iudicij Dei, mancipemur.] Itaque quantumuis pia, & pura, ac nitentia esse videantur, quæ leguntur in hæreticorum libris, admista

lolio

lolio impiæ doctrinæ, meritò habentur suspecta, & ab iis, qui sibi benè consultum volunt, refugiuntur, tanquam contaminata per eam admistionem.

Nihil verò esse in libris hæreticorum, siue loquentiam, siue materias consideres, quod in Catholicorum libris aliorúmve qui sine periculo legi queant, non habeatur, colligitur ex S. Irenæo *lib. 3. cap. 4.* & latè confirmatur ab Alphonso de Castro *lib. 1. 2. cap. 16.* Et vt aliquid ignorandum esset absque huiusmodi libris, præstaret, (quod D. Augustinus *serm. 31. de verb. Apost.* dixit de hæresibus,) illud ignorare, quòd sit ista ignorantia tutior. Cauendi ergo hi libri ne exitium legenti aduocetur, iuxta Clementem Alexandrinum *5. stromatum, cap. 1.* Neque tamen inficior, quin personis à peritia & pietate benè constitutis, quia periculum nocumenti inferendi abest, & ad Ecclesiæ tuitionem necessaria est eorum opera, fas sit ab iis, quorum interest, exorare facultatem libros illos legendi; id enim infrà monstrandum est. Et has esse salis reliquias, quas residui diuinæ gentis possident, scitè prosequitur Rupertus *lib. 2. in Sophon.*

Tantum de hoc hæreseon plantario iusta censura eradicando, non enim aliunde magis gliscunt hæreses, quàm interuentu librorum. Pleniùs in hanc rem disputant, quos consulere per otium licebit, Alphonsus de Castro *de iusta hæretic. punit. lib. 2. cap. 15. & 16.* Conradus Brunus *lib. 6. de hæretic. cap. 6. & 7.* Bellarm. *lib. de laicis cap. 20.* Ricciullus *lib. 5. de iure person. extra Eccles. cap. 21.* Gabriel Putherbæus *de tollendis malis libris, lib. 3.* Baptista Cardona *lib. de expungendis hæreticorum autorum nominibus.* Quæ enim ibi habet quoad libros argumenti non reprobi, multo magis valent quoad hæreticorum libros, hæreticos abolendos. Iacobi Gretheri opus *de iure prohibendi libros hæreticos*, serò admodum ac post ista pridem cõscripta venit in manus meas supplementum bipartitum eiusdem operis, quòd inter varia theologica opuscula, postea edidit, legi iam olim. In Epimetro ad illud opus de malis libris, per octo prima capita, fusè demonstrat, quantum semper fuerit hæreticorum antiquorum, ac recentiorum studium, vt libri Catholicorum, qui ipsis habentur hæretici, exterminentur. Itaque ex ore suo iudicantur. 28.

EROTEMA IV.

Athei, & nullius religionis libri, num improbandi?

HÆreticis adiungo Atheo, quòd è duplici Atheorum genere, quos Philotheus Constantinop. *orat. de tribus SS. Patribus*, recenset, tetriores sint hæretici, etiamsi ordine temporis posteriores, vt idem obseruat: præterquam quòd sedimentum hæreseos, est Atheismus, vt dixit Clemens Alexandrinus. Itaque rectè subiungitur hæresi. 29.

Libri Atheismo formali sordentes, abominandi.

Libros ergo Atheorum configendos esse, extra controuersiam est, si sermo sit de iis Atheorum libris, quibus existentia Numinis expressè, & directè impetitur. Quin potiùs, vt Theodoretus *initio sermonum de prouid.* egregiè disputat, par esset, omnes planè mortales, imò & omnes res creatas armari in vltionem tantæ atrocitatis, & Deo pro innumeris nominibus, quibus illi omnes obstringuntur, stipendiarium hoc obsequium pendere. S. Gregor. Thaumat. *in Origenis laudatione*, omnium ab eo, præterquam huiusmodi librorum lectionem probatam, ait, verbis illis: [Philosophari nos ita iubebat, vt omnia quotquot extant, veterum tum Philosophorum, tum Poëtarum scripta colligentes, nihil omninò reiiceremus, nihílque repudiaremus, (necdum vim habere iudicandi poteramus,) præter ea quæ Atheorum essent, qui à communi hominum sensu discedentes, Deum, aut prouidentiam esse negant; hæc enim ne digna quidem esse, quæ legantur, ne qua fortè re inquinaretur nobis animus, qui quum pietatem colere debeat, sermones audiat diuino cultui repugnantes. Neque enim ij, qui templa adeunt, religiosum putant, quidquam omnino profanum contrectare. Horum itaque libros, iis qui pietatem profiteantur, nullo in numero esse debere.]

30. Cadit planè in hos libros, quod sigillatim de libris Theodori Mopsuesteni, blasphemiarum, & Atheismorum plenis dixit V. Synodus *collatione* 8. [Cùm in medium prolatæ sunt blasphemiæ codicibus insertæ, mirati sumus Dei in his potentiam, quòd non diuino igni statim incensa est lingua, [& mens quæ hæc eructauit: & nunquam concessissemus procedere lectorem prædictarum blasphemiarum, pro sola memoria illarum, indignationem Dei timentes: (vtpote vnaquaque blasphemia, magnitudine impietatis antecedentem superante, & mentem auditoris funditus permouente;) nisi eos, qui talibus blasphemiis gloriantur, videremus indigere confusione, per manifestationem earum eis inferenda: vt nos omnes zelo blasphemiarum contra eum expositarum incensi, & in medio lectionis, & post ipsam, inclamationes, & anathematismos contra Theodorum vt viuentem, & præsentem faceremus: Propitius sis Domine, dicentes; nec Dæmones ausi sunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam! ô prauitatem! ô altam illam manum, quam extendit contra Creatorem suum! Scripturas scire miser ille pollicitus, non meminit Oseæ Prophetæ, dicentis: *Væ illis, quoniam exilierunt à me: famosi facti sunt, qui impij fuerunt in me, iniqua locuti sunt aduersùm me, & aduersùm me excogitantes, locuti sunt pessima. Ideo cadent in framea, propter improbitatem linguæ suæ. Hic contemptus eorum in sinu eorum, quia transierunt testamentum meum, & aduersùs legem meam impiè egerunt.* Istis Theodorus Impius meritò subiicitur.]

Studia Ethnicorum, contra huiusmodi libros.

31. Præiuerant Christianis, in librorum Atheismo sordentium proscriptione, Ethnici. Protagorum namque Abderitem, quòd in dubium reuocasset, essétne aliqua diuinitas, séque professus esset dubium ea in re; Athenienses è suis finibus

finibus expulerunt, & libros eius quibus hæc continebantur, in concione exusserunt, vt autor est Lactantius *lib. de ira Dei, cap.9.* Quod autem apud Minutium *n.9.* habétur derisisse Athenienses eius scripta, mendosum videtur, & pro *derisserint*, legendum *deusserint*. Sicut mendosè apud Ioannem Sarisberiensem *lib.5. Polycrat. cap.4.* loco *Protagoræ*, legitur *Pythagoras*, cùm hæc narratio refertur. Libros Tullij *de natura Deorum*, quod multitudine Numinum abroganda, Atheismum inducere censerentur, à nonnullis quidem ob verborum luculentiam retentos; à plerisque tamen prorsus repudiatos, & dignos visos, qui publico edicto abolerentur, testatur in hunc modum Arnobius *lib.3. n.5.* [Sed quid aucupia verborum, splendorémque sermonis peti ad hoc dicam, cùm esse non paucos sciam, qui auersentur, & fugiant libros de hoc eius; nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumpta vincentem: cúmque alios audiam mussitare indignanter, & dicere, oportere statui per Senatum, vt aboleantur, ne vetustatis opprimatur auctoritas.]

Hi, (vt subdit Arnobius,) tametsi errore ducti, tamen [intercipere scripta, & publicatam submergere lectionem,] rebantur iustissimum, quippè pertinens ad defensionem diuinitatis. SC. aduersùs libros atheos, & improbatæ religionis, recitat Liuius *dec.3. lib.5.* qua eadem ex causa, Senatus cremandos edixit libros quosdam à traiiciente aratrum ad Numæ sepulchrum, repertos; qui si vulgati fuissent, receptam religionem, ac cultum Numinum violaturi visi sunt. Rem ex Varrone refert Lactantius *lib.1. instit.c.22.* & S. August. 7. *Ciuit. c.34. & 35.* Testatur item Iustinus *in Apolog. ad Anton.* decretam apud Ethnicos fuisse mortem, contra eos, qui Hystaspis, & Sibyllæ, & Prophetarum libros legerent, quòd inde euerti ritus patrios & induci Atheismum criminarentur. Alexander Vates, apud Lucianum in Pseudomante, librum Epicuri tanquam Atheismi fermentum, medio in foro combussit lignis ficulneis, & cineres abiecit in mare. Edicto publico antiquos eam ob causam libros Epicuri addixisse flammis, testatur Cleomedes *lib.2. Cyclicorum theorematum.* Exterminari libros Poëtarum, de Deo indigna scribentium, mandat Plato *lib.2. de Republ.* quòd scilicet hæc sit ad Atheismum lata, & expeditissima via. 32.

Leges sanè quascumque Ethnicorum Principum, quibus Christianorum libris, vastitas sæpè est indicta, spectasse ad hanc librorum Atheorum confixionem, ob inducendi per eos Atheismi metum, est extra dubium. Nihil enim apud priscos Christianæ rei propugnatores, Iustinum, Athenagoram, Arnobium, Lactantium, aliósque frequentius, quàm *Christianos Atheos*, *Christianam religionem Atheismum*, audire. Ac proinde libri Christianorum, in quos plurima sunt lata Ethnicorum Principum edicta, nominatim verò Diocletiani, vt autor est Eusebius 8. *hist. cap.3.* eo nomine ad incendium tanto ardore vestigabantur ab Ethnicis, quòd Atheismum tradere insimularentur. In quam rem multa dabit Balduinus *ad lib.1. Optati, pag. mihi* 83. Veriùs ea criminatio Manichæos appetiisset, quorum item codicibus Diocletianus ignes subiici mandauit, dato ea de re ad Iulianum Africæ Proconsulem rescripto, quod extat in collatione Mosaicarum, & Romanarum legum, antiqui scriptoris à Pithæo refossi *titulo* 15. Grassatum tamen æquè esse, idcircò incendium Dio- 33.

cletiani iussu in libros Christianos, atque Catholicos, tanquam Atheismo refertos; & qui Christiani sacros libros ad incendium tradiderunt, dictos *Traditores*, magnáque illa infamia flagrasse, quæ Cæciliano falsò impacta, schismatis Donatistarum fecit initium, fusè referunt Optatus, & D. Augustinus agentes contra Donatistas. Et planè arbitror, de hoc per Diocletianum excitato librorum sacrorum incendio, egisse Arnobium, cùm dixit ad calcem quarti libri, questus de Ethnicis Atheismum in libris Christianis peruersè damnantibus, quo scatebant vniuersi Ethnicorum libri. [Quòd si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potiùs litteras, hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri, dissoluere theatra hæc potiùs, in quibus infamiæ Numinum, propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta, cur ignibus meruerint dari? Cur immaniter conuenticula dirui?]

Ipsi priuati Ethnici, quanto ardore corriperentur, ad cladem librorum quibus Christianus propugnaretur, vel polytheismus impugnaretur, (quippè quos Atheismi patrocinium continere interpretabantur,) intelligitur ex Lactantio, in ipso fronte *libri quinti institut.* [Non est, (inquit,) apud me dubium, Constantine Imperator Maxime, quin hoc opus nostrum, quo singularis ille rerum conditor, & huius immensi Rector asseritur, si quis attigerit ex istis ineptè religiosis, vt sunt nimia superstitione impatientes, insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligat, proiiciat, execretur, séque inexpiabili scelere contaminari, atque adstringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat.]

Alij Athei, non nisi clanculariij, triplici ordine digesti.

34. Hæc de illorum quos dixi formalium Atheorum libris, rata sunt, & extra dubium. Sunt tamen alij quidam Athei, de quorum libris non vna sedet omnibus sententia; pauci enim sunt qui frontem ita perfricuerint, vt Deum esse aperte diffiteantur. Imò ij ipsi, qui nullum esse Numen, impia apud semetipsos mentis agitatione persuasi sunt, omni ope annituntur, vt propudiosum sensum occulant, siue malignitate nefarij dogmatis latebras amante, siue metu suppliciorum legibus constitutorum, aut subiti impetus, multitudinis; quæ tantæ blasphemiæ atrocitati, non expectata legum seueritate, lapidationem, aut lacerationem rependeret. Itaque Lucilium Vaninium, (qui Atheismum postea Tolosæ viuicomburio non expiauit, sed resoluit in cineres,) vidimus ipsi, priusquam detegeretur, altum corde scelus prementem, & libros in speciem non malos edentem, quibus tamen iaciebantur Atheismi semina quædam, eruptura in tempore. Qui autem clam profiteantur Atheismum, reperiuntur non rarò. Pomponium Lætum, Domitium Calderinum, Angelum Politianum, eam vixisse vitam, quæ homines mente planè corruptos saperet, & Atheismi suspicionem non leuem infigeret, ego non definio qui nolim de aliena conscientia ferre iudicium. Ita tamen legere est apud Viuem *lib. 2. de verit. fidei cap. 7.* & apud Puterbæum *lib. 1. de tollendis malis libris, pag. 81.* Omitto quòd nominatim Domitium illum, Politianus *miscellaneorum cap. 9.* exhibet Parthis, & Cretensibus mendaciorem, dum famam captat, aut tueri satagit. Sed

est

est de eodem hoc Epigramma, quod magis ad rem nostram facit, ab eodem Politiano conscriptum.

Audit Marsilius Missam, missam facis illam,
Tu Domiti: magis est religiosus uter?
Quis dubitet? Tanto es tu religiosior illo,
Quanto audire minus est bona, quàm facere.

Subolet hic versus & Domitij, & Politiani, Domitium quoad Sacri neglectum Marsilio præferentis, clancularium Atheismum. Quàm multos huiusmodi clancularios Atheos, nuperi Euangelici intulerint orbi, legere licet apud Lindanum in Dubitantio, *dial.2. cap.9.* & ita disertè testantur & queruntur arietes pusilli gregis, vt Hedio *epistola ad Melanchthonem*, & Petrus Viretus *lib.2. de ministr. verbi.*

In hoc ordine hominum, quos Atheos clancularios dicere possumus, ij primò sunt censendi, quibus religio ludus est, & sine rubore, sine scrupulo conscientiæ, facetos agunt, vel potiùs scurras in rebus quoque sanctissimis: ita vt quamuis apertè religionem, aut cultum Numinis non proscindant, tamen scommatibus, ac iocis ita deprecient, vt nullo apud se loco esse, satis prodant. At Numen cuius cultus nihili fiat, apertè exploditur, habeturque pro inani numine. Nam vero Numini, quódque secundùm hominis æstimationem tale sit, cultum, & religiosum obsequium nemo negârit. 35.

Secundò in eundem ordinem referendi sunt, qui tametsi de Deo fileant, quædam tamen dogmata conuellunt, sine quibus constare non potest dignitas, & maiestas Numinis, vt prouidentiæ diuinæ, iudicij extremi, immortalitatis animorum, æternæ vitæ, ve mortis assertio; qui enim Deum improuidum statuit, Deum negat, quia vel amore operum suorum, vel potestate illis prospiciendi, vel cognitione indigentiæ eorum, priuare Deum censendus est, ei curam adimens rerum, quas condidisse fatetur: aut eas certè non ab illo, sed ab alio quopiam editas, vel ex seipsis sine causæ vllius beneficio enatas, arbitretur necesse est, quorum vnumquodque, compendiaria est ad Atheismum via. Qui autem iudicium extremum, vel animarum nostrarum perennitatem, vel vitæ alterius statum non agnoscit, is prouidentiam apertè euertit. Nam cùm in hac vita, boni ferè luctentur cum incommodis, si alius nullus supereat status, in quo ad veritatem expendantur vniuscuiusque merita, & tribuatur cuilibet, quod iustum est; Deum improuidum agnoscere, atque adeò reuolui in Atheismum, necesse erit.

Tertiò aggregandi eidem ordini sunt, qui religiosum cultum eatenus probandum ac retinendum censent, quatenus ad continendos populos in ciuili disciplina, & obedientia politica, potest conducere; cæteroqui eum neque curantes, neque probantes: vnde prout firmandi, vel amplificandi principatus opportunitas tulerit, retineri, vel abiici religionem edicunt, vtentes ea tanquam persona super scenam. Et eiusmodi esse qui *Politici* vocantur, notauit Vasques 1. *p. disp.*20. ex Lindano, & aliis. Suis eos coloribus expressit Lensæus, ea de politicis lucubratiuncula, quæ exstat ad calcem operis de Christiana libertate. Peripateticos in hanc hominum colluuiem coniicit Origenes *lib.7 contra Celsum*, aiens illos ad oculum, & gratiam hominum, religionis 36.

gioni s externam formam probasse. An verè, excutio *lib.* 4. *de virtut. n.* 296.

Libri eorum proscribendi; ac primùm impiè facetorum, vt Rabelesij, atque Erasmi.

37. Horum omnium libri dignissimi sunt, in quos vigor censuræ exeratur: hancque ob causam, Platonis libri, quibus Socrates Numinum irrisor plerumque inducitur, notati olim sunt. Eodémque nomine, Socratem nomenclatura *Attici scurræ* donat, & mordet Minutius *n.*72. In Gallia, ex quo prodiit, pessimè apud omnes bonos semper audiuit Franciscus Rabelesius, scriptor, vel Caluini iudicio, (vt est apud Fabricium *in Apolog. contra Bezam*, intexta Balduini apologiis, *pag.*40.) planè Atheus: cui mysteria quæque augustissima, iocorum argumentum fuerunt, vt etiam mox animam efflaturus, de Sacramento Vnctionis extremæ, quod, vt consuetudini seruiret, excesserat, ea iocans, & cachinnans effutiuerit, quæ absque lachrymis referre, pollutio fuerit. Vixerat aliquando inter FF. Minores, sed ad primum buccinæ Lutheranæ clangorem, apostatauit, verus Lucianus. Redolent autoris genium facetè Atheum, scripta eius omnia, quibus plerique dum iocos captant, & remittere ingenium quærunt, Atheismi virus sensim combibunt, & res sacras nauci habere, ac sacra quæque iocos ducere, condocefiunt.

38. Locum sibi suum, in hac classe scurrarum, de sapientissimorum hominum sententia, vendicat Desiderius Erasmus. Nam quamuis aliis præterea, nec tenuibus maculis sordent eius pleraque scripta, tamen eo nominatim ex capite reprehensioni proborum patuit, quòd de rebus sanctissimis, tam iocularia, & ridicula chartis commisit, vt *alter Lucianus* audiret, mysteriis Christianæ fidei, & dogmatibus Christianis impia dicacitate & facetiis, eodem planè modo ac more exagitatis, quo Lucianus Deos suos derisit: de quo idcirco Eunapius in procemio operis de vita Sophistarum & Philosophorum, illud breuiter, ac verè dixit: [Lucianus Samosatensis, homo ad concitandum risum factus.] Quanquam Lucianus eatenus laudari poterit, quod specie dicacitatis, & vrbanitatis, polytheismum acriter insectatus est, vt propterea Platonici eum valdè commendarent: soli autem Poëtæ, tanquam Deorum suorum obscœnissimorum exagitatorem proscinderent, referente Isidoro Pelusiota *lib.*4. *epist.*55. At Erasmus, circa ipsa Sancta egit morionem. Grauissimè, & meritò, quoad Erasmum, de hoc expostulauit Albertus Pius, & in Antapologia pro Pio, Genesius Sepulueda, retundens diligenter, quæ Erasmus in Moria, (cuius plusquam viginti millia voluminum cusa, ipsemet Erasmus gloriatur in Apologia ad Iacobum Stunicam;) itemque in libris colloquiorum, impiis illis iocis scatentium, ad suam qualemcumque purgationem protulerat.

Expostulat quoque Petrus Canisius *lib.*5. *de Deipara*, *cap.*10. Erasmum dum in rebus sacris Momum agit, magnam simul fenestram Luthero, & aliis erronibus aperuisse, ad religionem vniuersam innouandam, eósque tumultus concitandos, quibus Christiana religio miserè conscissa est; non enim aliud ferè

Lutherus

Lutherus habuit, cuius exemplo ad audendum moueretur, quàm Eraſmi licentiam iocularem; niſi quòd Eraſmus, callidè duntaxat, non apertè, & ita vt iocos potiùs captare videretur, rem Chriſtianam appetiuit; Lutherus, (vt erat proiectiſſimæ audaciæ,) abiecta perſona, qua Eraſmus nequitiam tegebat, manifeſtè ac palàm graſſatus eſt. Itaque quod Kilianum Leib, Priorem Rubdorfenſem, dicere facetè ſolitum ſcribit Conradus Brunus *lib.1.de hæret.cap.10. Vbi Eraſmus innuit, Lutherus irruit.* Alij, *Eraſmum dubitare, Lutherum affirmare.* Nonnulli *fouiſſe Eraſmum oua, Lutherum excluſiſſe*, dixerunt. Denique alij alludentes ad antiquum dictum, de Platonis, & Philonis ſimilitudine ſenſuum, & eloquij, quæ parœmiæ locum fecit, *aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat*, vt Hieronymus ac Suidas *in Philone* memorant, & Photius *cod.105. aut Eraſmum Lutherizare, aut Lutherum Eraſmizare*, iactauerunt. Plagulas impiorum Eraſmi iocorum, quas Sepulueda, & Caniſius locis allegatis proferunt, dum lego, obſtupeſco profectò, & attonitus hæreo, non tam ob ſcurrilitatem blaſphemam, quàm ob celebritatem nominis, Batauico huic ſcurræ à pleriſque pro viribus conciliatam; quem maiorem futurum fuiſſe, ſi minor eſſe voluiſſet, rectè ſtatuit Iulius Scaliger, approbante Alano Copo *dialogo 3. cap.17.* vbi ex Martino Cromero *lib.3. colloq. de relig.* prurigo nouandi in Eraſmo, & ſingularitatum in doctrina captatio; faſtidium verò receptarum ſententiarum, vnde illi non vna labes, nominatim refertur.

Quæ ad immanes huiuſce muris arroſiones, & fidei, & SS. Patrum, ſpectant, non ſuſcepi hîc demonſtranda: legatur quoad Eraſmi ferè exploratum Arianiſmum, Bellarminus *in præfatione ad libros de Chriſto*, Poſſeuinus *lib. de Atheiſmis hæreticorum, ac lib. de prouocatione nouorum Arrianorum ad Eraſmum*, Valentia *lib.1. de Trinit. cap.9.* qui apertum quoque Eraſmi Macedonianiſmum contra Spiritum ſanctum, refert *ibidem cap.24.* De Dei immenſitate dubitauit, indeque eum commendat Vorſtius, vt refero *in Natur. Theol. diſt.7.n.76.* Erubeſcere vel inuitus cogatur, qui legerit, quàm ſpurcè, & irreuerenter de Chriſti conceptu locutus ſit Eraſmus, caſtigatus eam ob rem à Caniſio *lib.3. Marialis, cap. vlt.* Luctum de Chriſti morte, Chriſtianæ Eccleſiæ ſolemnem in Paraſceue, vocauit Eraſmus *Luctum Adonidis*, referente Catharino *in cap.3. Geneſ. pag.286.* Circa ſacras reliquias fœdè aberrauit, vt videre eſt apud Alanum Copum *Dialogo 3. cap.17.* Erga B. Virginem, quàm propudioſus fuerit Eraſmus, monſtrat Ferreolus Locrius *lib.1. Mariæ Auguſt. cap.4.* Canoniſmum Sanctorum vellicauit, & qui Pontifici Summo poteſtatem canonizandi abrogare viſus eſt, eam ipſe ſibi arrogauit, Reuchlino ob linguarum peritiam Sanctis adſcripto. Sanctæ verò Catharinæ Senenſis canonizationem, gratiæ vrbis & Ordinis datam, auſus eſt effutire, vt memorat Henricus Vicus *in opere de Communione Sanctorum.* Circa imagines, quàm ſe verum Iconoclaſtam exhibuerit, videndus Catharinus *lib.2. de certa SS. gloria, §. de adoratione ad imagines, à pag.60.* & Molanus *lib.2. de imag. c.54. & 55.* Sacramentale de peccatis iudicium, derifit Eraſmus, & Theologos ei, (vt dixit,) humano inuento nomen *Sacramenti* tribuentes, exſibilauit, referente Alberto Pighio *lib.2. Hierarch. Eccleſ.c.8.* Libros ſacros truncauit, vel totos præcidit, vt videre eſt apud Michaelem Medinam *lib.6. paran.* paſſim. Allegationes veteris Teſta- 39.

menti,

menti, quibus nouum scatet, falsas, non semel & à vero adhorrentes dixit, quod latè redarguit Hieron. à Rua *q.4. positiua.* Eius spurciloquia circa propensionem naturalem ad coniugium, refert & latè reiicit Michael Medina *lib.4. de sacror. hom. contin. controuers.1. cap.2.* Abstinentiam à certis cibis lege Ecclesiastica indictam, improbauit, vt ex variis eius locis eruit Castro *verb.cibus.* De cæteris eius circa fidem, vel Sacra lapsibus, consulendi Possevinus *in apparatu sacro, verb. Desiderius Erasmus*, Natalis Beda, & Richardus Cenomanus, iustis in Erasmum opusculis, Marianus Victorius *in scholiis ad Hieronymum* passim, Alphonsus de Castro *lib.3. de iusta hæret. punit. cap.8.* Hieronymus Torrensis *in præludiis ad confess. Augustinianam*, Iacobus Billius *lib.1. obseru. sacrarum, cap.9.* & alij quos in Erasmum insurrexisse, notat Franciscus Floridus Sabinus *lib.3. lect. subs. cap.4.*

40. Illud sanè, ad stuporem hominis quoad Patrum scripta perspiciendum, satis supérque esse potest, quòd homilias *in 2. ad Corinth.* quibus vix aliquid Chrysostomo dignius habemus, ei abiudicat. Item quòd *in quadam ad Cuthbertum Tenstallum epistola, & in præfatione præfixa libro S. Basilij de Spiritu sancto*, Latinè per ipsum Erasmum facto, præfidenter iactat tributum Chrysostomo commentarium in Acta, vsque adeò non esse Chrysostomi, vt meliora se, etiam ebrium, scribere potuisse confirmet. Hunc esse stuporem pecuinum, eruditus quilibet cùm perlecto eo commentario statuet, tùm etiam audito sensu grauissimorum è Græcis scriptoribus, quibus non obesiores quàm Erasmo, in his diiudicandis nares fuerunt. S. Damascenum dico, qui *3. de fide, cap.15.* agnoscit opus illud homiliarum in Acta, esse Chrysostomi, & citat ex eo aliqua, quæ habentur *hom.2.* Item OEcumenius *in catena*, agnoscit opus illud Chrysostomi esse, & passim ex illo libat aliqua, tanquam ex Chrysostomi fœtu genuino, qualem esse eum agnoscit Cassiod. *lib. diu. lect. cap.9.* testatus, de facta eius operis versione, ab ipsius Cassiodori amicis, vtique vrgente ipsomet Cassiodoro; nec loquitur de eo, nisi tanquam de Chrysostomi germano opere. Quid quòd *in Synodo Trullana, cap.16.* verbatim nomine Chrysostomi, plagulæ quædam ex eo commentario allegantur? Non dissimili sagacitate, & malè odora vi Batauus hic arrosor librorum S. Basilij, librum *de Spiritu sancto*, nothum statuit, quem Theodoretus *dial.1.* Anastasius *q.84. in Script.* Photius *in Nomoc. lib.1. cap.3.* Euthymius *in Panoplia*, Niceph. *lib.12. cap.20.* Balsamon *in Nomocan. Photij*, imò Concilium Nicænum II. *act.4.* agnoscunt tanquam Basilij. Sic impegit hic *Censor cœli, & terræ*, vt eum vocat Catharinus *claue prima Script.errore 10.*

41. Sed de his, (vt dixi,) nunc non ago; in inficetas Erasmi scriptionum facetias intentus, ad quas illud Hieronymi reponere liceat, *epist.19.* [Mel in Dei sacrificiis non offertur; nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, (vt ita dicam,) piperis austeritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantum suaue placet, nisi quòd in se habet mordacis aliquid veritatis. Pascha Christi cum amaritudinibus manducatur. Festus est dies, & natalis B. Petri festiuiùs est solito condiendus, ita tamen, vt Scripturarum cardinem iocularis sermo non fugiat, nec à præscripto palæstræ nostræ, longiùs euagemur.] Similia de illo melle à sacris remoto, alij adducti in Ape Gall. Non est probandus, vt sapienter admonet Saluianus *lib.6. de prouid.* qui risum,

risum, atque lætitiam, scelus facit, & gaudium simplex, infructuosum ducit, cùm liceat ridere, quamlibet immensuratim, quamlibet iugiter, dummodò innocenter. Itaque quod Tullius in Antonium intorsit, [Ita eras Lupercus, vt te esse consulem meminisse deberes,] ad Erasmum facilè aptatur, dicendo: Ita faceum agere poteras, vt te esse Christianum, meminisse deberes. Eius certè sales, & iocos, fuisse primam radicem cladis fidei Catholicæ in Anglia, scribit Edmundus Campianus *initio libelli de diuortio Henrici VIII.* qui ad calcem historiæ Harpffeldij habetur. Zuinglius *in articuli vicesimi explanatione*, disertè prodit, se Erasmi iocis contra Sanctorum Inuocationem, ad eam abrogandam adductum esse; neque ab ea persuasione dimoueri potuisse, aliis eiusdem Erasmi scriptionibus in Sanctorum quorundam exornationem.

Verùm ab adulterina, imò sacrilega plantatione, spurióque vitulamine, ab apostata Religiosi Ordinis, vix expectari aliud potuit. Erasmum enim si iocari de ioculari homine, in scelere licet, non fuisse filium Regis, licèt is, qui eum genuit, fuerit coronatus, vt de alio quodam dixit Petrus Blesensis *epist.21.* fuisse, inquam, Erasmum patre Gondani in Batauia oppidi propè Roterodamum, Parocho genitum, ex famula, catalogus Illustrium Germaniæ scriptorum prodit, addens, famulam prægnantem, quo crimen lateret, ablegatam ab incesto Parocho fuisse in vicinam ciuitatem Roterodamum, eámque ibi anno 1469. enixam esse Erasmum: qui cùm adoleuisset, institutum Canonicorum Regularium Ordinis D. Augustini, in Monasterio *Stein* propè Gondam, diu professus, & nouennio pòst Sacris initiatus, pertæsus monasticen, epicœnæ, & ferè nullius fidei paradigma, multis erronibus factus est: & quanto plures edidit libros, tanto densiores cumulauit errores, maior futurus, si minor esse voluisset. Iudicium est Scaligeri *in calce Poëtices.* Quanquam Basilius Poncius *lib.7. de matr. cap.1. num.6.* tanti esse apud plerosque Erasmum his verbis expostulat. [Pudet me, dum Catholicos ita Erasmi amore affectos video; nos enim illius argutas ineptias admirantes, reddidimus illustrem, dignum qui lateret, & Cimmeriis obliuionis tenebris cum omni sua prole sepeliretur.] Nec mitiùs de Erasmo pronunciatum à Iacobo Stunica, eo libro cui titulum fecit, *Erasmi Roterodami blasphemiæ, & impietates.* Videndus qui varias eius impietates, & aduersùs eum iudicia sapientum, addensat Gaspar Chicocius *lib.1. alloquiorum cap.19. & 20.*

Proscribendi item libri Atheorum clancularioriorum secundi Ordinis; cuiusmodi plerisque visus Pomponatius

Spectare ad classem secundam nonnullis sunt visi, Pomponatius atque Cardanus, iis scriptis, quibus animæ immortalitatem sustulerunt. Quanquam prior non absolutè ac simpliciter, mortalem animam censuisse videtur, sed duntaxat si ratio nuda consuleretur, vt liquet ex opere Contareni Cardinalis, *de immortalitate*, conscripto aduersùs Pomponatium, ipsius quondam Contareni in Philosophicis Magistrum. Nec aliud censuerim voluisse illos eiusdem æui Philosophastros, damnatos à Lateranensi Concilio sub Leone X. & alios 42.

longè antè à Stephano Parisiensi Episcopo, anno 1277. vel potiùs 1217. in rescripto quod extat *tomo 5. Bibl. Margarini pag.* 1319. æquè damnatos, quòd assererent, animam rationalem, secundùm fidem esse immortalem; at secundùm Philosophiam, esse mortalem. Næ, hi non Philosophi, sed vt alia occasione dixit Valdensis, *friuophili* habendi fuissent, si animam simul mortalem ex Philosophia, & immortalem ex fide, pronunciassent. Quomodo enim esse, & non esse, de eodem subiecto affirmari possit, absolutè, & simpliciter, etiamsi penes diuersa capita? Animam ergo absolutè videntur agnouisse immortalem, quòd ita apertè ferant fidei scita; quamuis nisi de animæ rationalis perpetuatione fide doceremur, soláque naturali ratione consulta, negaturi fuissent immortalitatem.

43. Quod tamen, ingeniis effrænibus, ea negatio immortalitatis animæ, spectatis naturalibus principiis, aditus esse videatur ad negandam funditus immortalitatem, iure libri eo doctrinæ reprobæ fermento vitiati, suffixione digni sunt habiti: ipseque Pomponatius, mutata mente, opus suum de eo argumento improbasse dicitur, variantibus sententiis, an id amicorum precibus dederit, an famæ suæ ac nomini cauerit, an ex animo audierit Ecclesiam, & palinodiam cecinerit, vt conscientiæ faceret satis. Venetos illud opus addixisse ignibus, nec *de immortalitate*, sed *de mortalitate animæ* fuisse inscribendum, tradit Syluester *lib.5. de Strigimagis cap.5.* expostulans quòd à se approbatum eum librum dixisset Pomponatius, quod negat se vnquam cogitasse. Idem Pomponatius, iudice Mirandulano *lib.6. euers. singul. certam.* in opere *de incantationibus*, nec Philosophum se bonum, nec Christianum bonum exhibuit, cùm effectus omnes mirificos, cœlorum influxionibus adscribat, adeò vt velit, & religiones, & leges, earúmque latores, ab iis dependere. Quare opus illud in Tridentino indice proscriptum est, & dilatam tamdiù fuisse proscriptionem, miratur Delrio 1. *Mag. cap.3. ante q.*1. In opere *de fato*, idem Pomponatius multus est in euertenda cooperatione Dei nobiscum, qui est exploratus error, quæ omnia suspicionem illam aliquorum, de Pomponatij clanculario Atheismo, vtcunque confirmant.

Itémque Cardanus.

44. De Cardano alia est ratio, si verum est quod nonnulli referunt: inter quos Martinus Delrio 2. *Mag. q.*26. *lib.*2. nempè apertè eum & absque ambagibus, mortaditatem animæ scripto ea de re libro affirmasse, nec palinodiam cecinisse vnquam; tametsi de premendo metu infamiæ, vel etiam suppliciorum, nigro illo opere, sollicitus fuerit. Non audeo prorsus fidem adhibere his de Cardano fortasse rumoribus, fortasse confictis fabulis; præsertim cùm exet eius liber *de animarum immortalitate*, cuius Lugduni à Sebastiano Gryphio anno 1545. quo immortalitatem propugnat. Asseruat eum in sua selecta Bibliotheca D. Philippus Laigneau. Quanquam cum eo ipso opere *cap.* 13. *pag.*280. apertè prodat, fato se ac monitis prohiberi, reliqua dicere quæ de anima sentiret; suspicio est, hunc Polypum ad eam scriptionem metu infamiæ adactum, verè anteriùs tale quid scripsisse contra animæ immortalitatem, quale nonnulli referunt; idque doctrinæ venenum

num eius in pectore, etiam post editum eum quem retuli librum, delituisse.

In reliquis verò eiusdem Cardani scriptionibus ferè omnibus, magna omnino apparet doctrinæ fermentatio, perspersis identidem, quâ Atheismis, quâ exploratis hæresibus, quâ magicæ impietatis propudiis. Nam *lib. de supplemento Almanachi cap.*22. statuit legem Iudaicam à Saturno esse; Christianam, à Ioue, & Mercurio; Mahumetanam à sole, & Marte ex æquo dominantibus, quorum alter iustitiam, alter sæuitiam infundat, Idololatriam à Luna, & Marte. Idem in opere *de Genituris*, *in octaua*, ait Christianam legem foueri ab igneo trigono, Mahumetanam ab aqueo. Et genitura vndecima, Lutheri sectam ait innaluisse, propter spicam Virginis, quam quia Martem admixtum habet, & caudam, infinita capita reddere asserit. Vim supernaturalem, siue gratiam gratis datam Galliæ Regibus, ad curandum strumarum morbum, Cardanus *lib. contradictionum medicarum*, ad vsum longum aromatum retulit; ridendus potiùs, an deflendus, ambigit Brodæus *lib.*8. *miscellaneor.* (posthumo,) *cap.*10. Esse enim citra omne dubium, gratiam gratis datam, apertissimè euincit Andr. Laurentius *lib.*1. *de strumis*. Sed deteriora sunt, quæ de Christo ipso vomuit Cardanus; Christum enim ipsum fato subiecit, & quòd tali astrorum positura editus esset, oportuisse eum in cruce mori, non erubuit scribere, verecundante, quantum arbitror, charta, & ipso atramento, (vt de Iuliano S. Augustinus quæsiuit,) in minium verso, ad tantam impietatis atrocitatem, à S. Augustino tanto antè confossam *tractat.*104. *in Ioan.* ad illud, *Pater, venit hora*. Mundum æternum esse, impiè affirmauit, ex maris falsò supposita æternitate, argumentatus. Hominem primò è putri genitum, sicut mures, aut ranas, effutiuit. Energumenos ab atra bile cieri, non ab nidulante in eis spiritu agitari, commentus est. In opere *de subtil. lib. de Dæmonibus*, ea de domestica Magia, & patris sui paredro, scriptis prodidit, quæ suspicionem de eius furua magia valdè infigunt. In summa, tam multis, tam tetris horrendísque propositionibus, omnes ferè libros suos incestauit Cardanus, vt suffixioni meritissimò patere possit, tanquam homo nullius religionis ac fidei, & inter clancularios Atheos secundi ordinis in quo versamur, æuo suo facilè princeps. 45.

De Machiauello, & aliis tertij ordinis clancularijs Atheis, omni iure eliminandis consensio vniuersalis.

Tertiæ classis ductor, omnium consensu est Machiauellus, *libris discursuum, ac de Principe*, vsque eo tetris, ac proiectæ in religionem, & sancta omnia audaciæ, vt ipsi quoque Sectarij in eum calamos strinxerint, & omni studio libros eius exterminandos esse, sint professi. Hoc item alij benè multi, & fortissimè, & diligentissimè monstrarunt, ac præter cæteros, Thomas Bosius variis in Machiauellum lucubrationibus, de vera fortitudine, de imperiorum dependentia à veris virtutibus, & aliis nonnullis. Item Molanus *lib.*1. *de fide hæreticis seruanda. cap.*3. Catharinus *opusc. de elimin. libris noxiis*, Petrus Ribadeneira *in opere de Principe*, Thomas Firehebertius *lib. de infelicitate Principis* 46.

Machiauelliani, Hieronymus Osorius *in Regis institut. & de Christian. nobilit. lib.*3. Posseuinus *lib.*16. *Biblioth. cap.*5. Menoch. *in Hierop.* Sepulueda *in opere de militari discipl.* Adamus Gontzen *in Polit.* passim, Petrus Gregor. *lib.*13. *de Republ. cap.*12. *à num.*21. & vir doctissimus, nec mihi absque candoris & virtutum doctrinaque elogio nominandus, Henricus Wangnerech *lib.*2. *&* 3. *vindiciarum politicarum contra Scioppium.* Docet Machiauellus illis libris, *satis esse, pietatem, religionem, humilitatem, simulatione præseferre; quò flauerint venti, eò obuertendam esse nauem, cùm necessitas tulerit, intrepidè peccandum esse; Principes probare debere falsa miracula in populo, ad populum, quo res feret, excitandum. Et in eundem finem reuelationes falsas tanquam à Deo deriuatas, confingendas esse, & spargendas in vulgus: fato agi, & regi omnia, belli iustitiam, in ea quam sibi quisque statuit necessitate consistere; Principi vt omnem spem pacis præcidat, violandos esse insignibus iniuriis aduersarios; specioſum prætextum iis quos Princeps punire velit, esse obtendendum; factiones esse alendas inter subditos; prauis moribus implendam esse ciuitatem, aut prouinciam quam sine bello vlcisci velit; datæ fidei habendam esse rationem, quamdiu commodum est; humanam animam, eadem cum anima bruti mortalitate cadere, & perire censebat.* idque non occultè mussabat, sed spargebat in vulgus, vt Catharinus suprà notat: rectè addens has esse Diaboli fistulas, per quas loquitur, & improuidos plerosque dementat. At exitus impiissimi nebulonis metuendus est eius æmulatoribus; nam blaspemans euomuit reprobum spiritum. Sunt eiusdem genij, quotquot omnem religionem, habent veluti indifferentem.

Claudo eo Nazianzeni initio, quo Iambicum secundum orditur,

Pereant profani, qui Deum summum negant;
Tantámque mundi, (verba quàm nulla explicent,)
Concinnitatem, cuipiam causæ dare,
Quæ cuncta faciat, seruet & cuncta, abnuunt.

Nec ipsi tantùm iustum Dei iudicium sint experti, sed eadem sorte sint eorum codices: hoc est, pereant ipsi quoque, ita vt nihil tam exitialis, tam detestandæ doctrinæ, vspiam sit reliquum.

EROTEMA V.

Magicîne libri configendi.

47. MAgiæ, (atque adeò etiam magicorum librorum,) Apuleius in Apologia, vt Magiæ sibi impactam dicam amoliretur, duplicem proponit notionem. Vnam, qua *Magus* idem apud Persas sonat, quod Latinè *Sacerdos*; ita vt aliud non sit Magum esse, quàm ritè nosse, scire, atque callere leges cæremoniarum, fas sacrorum, ius religionum. Sic enim Platonem notat idem Apuleius, magiam interpretatum θεῶν θεραπείαν, cùm commemorat quibusnam disciplinis puerum regium adolescentem Persæ imbuerent. In quam rem fusè ex variis antiquis Brissonius *lib.*2. *de regno Persarum*, exponens Magorum munia. Hanc ergo Magiam, piam, & diui-

niscientem,

niſcientem, iam inde à Zoroaſtre & Oromazo autoribus ſuis, nobilem cœlitum antiſtitam, ait Apuleius, artem eſſe Diis immortalibus acceptam, colendi eos ac venerandi pergnaram. Atque ita libros huiuſmodi magicos, non damnandos, ſed peruolutandos cenſet. Alteram *Magi* notionem profert, qua more vulgari, eum propriè Magum exiſtimant, qui communione loquendi cum Diis immortalibus, ad omnia quæ velit, incredibili quadam vi cantaminum polleat: addítque, ferè communi quodam errore imperitorum, Philoſophis obiectari, vt qui prouidentiam mundi curioſiùs veſtigant, & impenſiùs Deos celebrant, eos verò vulgò *Magos* nominent; quaſi facere etiam ſciant, quæ ſciant fieri, vt olim fuere Epimenides, & Orpheus, & Pythagoras, & Oſtanes. Huius itaque Magiæ libros, æquè ac magiam ipſam, non niſi communi errore imperitorum, vocari in inuidiam, ac damnari, arbitratur Apuleius.

Exploſa Magiæ diſtinctio, Apuleiana.

Verùm omnis hæc eius diſtinctio, vana & auerſanda eſt. Vt enim contra eum dixit S. Auguſtinus 8. *Ciuit. cap.* 19. [Cur tam grauiter iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt Numinum colendorum ?] Agit de artibus magicis, atque operibus, eo ſenſu vſurpatis, quem Apuleius approbauit tanquam genuinum. Itaque exploſo infamis Magi, de Magia libriſque magicis iudicio, (nam & ei Magiam carò væniſſe, nec per eam ab humili ſorte exemptum eſſe, tradit *epiſt.*5. S. Auguſtinus,) ſolidiora proferamus. Aliter ergo de Magia, & libris magicis diſtinguendum eſt. Aliqui enim ſpectant ad Magiam naturalem, aliqui ad panurgicam, quæ eſt diſtinctio Magiæ, in qua aperienda multus eſt Calaſiris *lib.*6.*hiſtor.Æthiop. Heliodori*,& Ioan.Picus *initio Apologiæ.* 48.

Libri de Magia naturali, haud improbandi.

Priores, ſi non prætergrediantur fines ſuos, non eſt quòd configantur: ſunt enim rerum naturalium vires permultæ, vulgò abditæ, quas viri iſtiuſmodi rerum ſtudioſi, longa cura ſcrutati, vsúve edocti, chartis committunt citra periculum vllum, imò cum fructu non modico, & cum laude. Et ita rectè ſtatuit Victoria *relect. de Magia num.*7. & 8. Medina 2. *parænet. cap.*7. Perer. *lib. de Magia, cap.*3. Franciſcus Picus 7. *de prænot. cap.*7. Sixtus Senenſis *lib.*2. *Bibl. v. Curioſarum artium libri.* Pineda *lib.*3. *de Salom. cap.* 23. Et præiuerant antiqui, hanc Magiam agnoſcentes vitij expertem, imò laudantes. Multos adducit Langius *lib.*1. *epiſt. medic. in* 72. & *lib.*2. *epiſt.*46. [Veram quidem illam Magiam, (inquit Philo *lib. de ſpecial. leg.*) hoc eſt, perſpicuam ſcientiam, per quam naturæ opera cernuntur clariùs, vt honeſtam expetendámque, non plebeij ſolùm ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim Perſici, tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familiariter.] 49.

50. Hac arte vsum Apollonium Tyaneum, scribunt nonnulli, vt Euseb.4. *præpar. cap.*1. & Medina 2. *parœn. cap.*7. Quanquam, si nullam præterea aliam Magiam in Apollonio agnoscunt, hallucinantur apertissimè. Et doleo, planè ita de Apollonio visum Iustino, aut, (quisquis est alius,) autori *qq. ad Orthod. in* 24. mera enim naturali Magia vsum Apollonium prodit. Sed quæ de Apollonio dicuntur apud Eusebium in opere contra Hieroclem, præsertim in confutatione *lib.*7.& apud Lactantium in eiusdem Hieroclis castigatione, quam suppresso Hieroclis nomine instituit *lib.*5. *cap.*3. Apollonium panurgum, & infamis Magiæ scientem, planè euincunt. Idem pronunciandum censeo de aliis plerisque antiquis, quos hac vna Magia claruisse, nonnulli censent apud Medinam 2. *parœn. cap.*7. cuiusmodi referunt fuisse Tespionem apud Gymnosophistas, Hiarcham apud Brachmanas, Buddam apud Babylonios, Abbarim apud Hyperboreos, Zoroastrem apud Persas, Zamolxidem apud Thracas, quibus benè multos ex sua mente addit idem Medina. Ego, (vt dixi,) idem de his quoque pronuncio; nec dubito quin si vera sunt, quæ de eis sunt prodita, inter panurgos, & damnatæ Magiæ professores sint recensendi, cùm referantur de eis pleraque planè superantia omnem naturalium causarum ad idonea passiua applicatarum efficacitatem, qua vniuersa legitima, & merè naturalis magia continetur.

De naturali ergo Magia synceta, & impermixta, nemo litem cuiquam mouerit, & conscriptos de ea libros, nemo iure suspectos habeat, aut configat. Nihil tamen procliuius, quàm vt specioso naturalis Magiæ nomine, obtegantur quæ spectant ad Panurgicam. quo nomine Baptistæ à Porta Magiam, ob abditum plerisque locis fermentum non bonum, cauendam esse, obseruauit Delrio *lib.* 1. *Magicor. cap.*3., de aliis plerisque lubricis eiusdem argumenti operibus pronuncians; & idem facit Franciscus Picus *lib.*7. *de prænotione cap.*2.

Qui de Magia panurgica, detestandi.

51. Magici verò libri panurgici, (qui scilicet doctrinam continent patrandi mirabilia & insolita, interuentu pacti taciti, vel expliciti cum Dæmone initi,) pabulum flammarum esse debent, siue ad Theurgiam, siue ad Goëtiam pertineant, iuxta diuisionem à D. Augustino traditam 10. *Ciuit. cap.*9. & denique ex quocumque genere sint doctrinarum illarum, quæ pertinent [ad consultationes, & pacta quædam significationum, cum Dæmonibus placita atque fœderata.] Verba sunt eiusdem S. August. *lib.*2. *de doctr. Christian. cap.*20. *& ibidem cap.*23.

Quod de abolendis his libris diximus, cautum est iure perantiquo. Nam inter ipsos Ethnicos cautum fuit, ne libri istius furfuris, ad hæredes transmitterentur, vel retinerentur; sed ignibus traderentur. l. *caterœ.* ff. *familiæ herciscundæ.* Datum sæpe Magistratibus negotium apud Romanos, vt huiusmodi libros conquirerent, eósque cremarent; qui autem illos apud se haberent, plecterentur, legimus apud Liuium *lib.*29. & sæpè alibi, vt videas, rectè dixisse S. Augustinum *lib.*1. *de consensu Euang. cap.*9. scripta magica, [non solùm disciplinam Christianam, sed ipsam terrenæ Reipublicæ administrationem, iure condem

condemnare.] Eodem modo contra magicam doctrinam ab Origene, (cuius verba refert,) approbatam, insurgit ex legalibus seculi scitis, Theoph. Alexand. *lib.* 2. *Pasch.* mox referendus. Nimirum, tametsi penes Christianos duntaxat, liquidè perspecta est Magiæ virulentia, atque malignitas, ideóque disciplina Christiana eam seueriſſimè proscripserit; tamen filij quoque huius seculi, quorum non prorsus obturatus est oculus, ab ea abhorruerunt. Iudicium est Tertulliani *lib. de anima*, *cap.* 57. his verbis expressum. [Quid ergo dicemus Magiam, quam omnes penè fallaciam; sed ratio fallaciæ solos non fugit Christianos, qui spiritalia nequitiæ, non quidem sociâ conscientiâ, sed inimicâ scientiâ nouimus, nec imitatiua operatione, sed expugnatoria dominatione tractamus, multiformem hanc lucem mentis humanæ, totius erroris artificem, salutis pariter animæque vastatricem.] Verbum ab Ethnicis quoque comprobatum, de his libris magicis Poëtæ Phocylidis est, Μαγικῶν βιβλίων ἀπέχεσθαι, *Abstine à Magicis libris.*

Inter Christianos, ab initio nascentis Ecclesiæ seruatum scimus, vt libri magici ignibus adiudicarentur. Hùc enim spectat quod habet S. Lucas *Actor.* 19. post narratam plurimorum conuersionem ad prædicationem S. Pauli. *Multi credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus suos: multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus; & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.* Tanquam perspicuum veræ conuersionis signum profertur, quòd libros *curiosarum artium* incendissent, qui illis fuerant addicti. *Curiosas* portò *artes*, non alias ibi accipiunt S. Chrysostomus, ac Beda, & passim alij, quàm Magias panurgicas. Vocem Græcam περίεργα, quam Lucas adhibuit, sonare curiositatem in magica studia impensam, Henricus Stephanus *lib.* 2. *schediasm. cap.* 28. demonstrat ex Herodiano, & Platone. Et eodem modo Latinam *curiosi* vocem, vsurpasse Flaccum, ostendit. Itaque hauddubiè libri *curiosi*, de quibus Lucas agebat, Magiæ præsertim erant. Hermogenem Magum iussum esse à S. Iacobo libros magicos in mare abiicere, scribit Abdias *in Iacobo.* De S. Cypriano antea Mago, postea verò deprehensis irritis magicis præstigiis in S. Iustinam Christianam, & ipso Christiano, ac Dæmonum, & superstitionis Ethnicæ eiuratore, ita scribit Nazian. *orat.* 18. [Mutationis perspicuum argumentum edit, magicos enim libros publicè proponit, déque praui thesauri imbecillitate triumphum agit: amentiam prædicat, ingentem ex illis flammam excitat, & diuturnam imposituram quæ ne vni quidem carnis flammæ opem afferre potuerat, igne absumit.] Eadem ex Eudociæ Reginæ opere metrico de laudibus S. Cypriani, exhibet Photius *cod.* 184. Parisiis suo tempore, librum magicum aureis mille æstimatum, (fortè quòd eo pretio vænisset, aut vænire posset,) ignibus datum publicè fuisse, scribit Gerso *lib. de laude scriptor. consider.* 10. Similiter ignibus tradidit magicum librum S. Antoninus Florentinorum Archiepiscopus, vt in eius vita prodidit Vincentius Meinardus, narrans quo incommodo filij cuiusdam Petri tonsoris exagitarentur, quandiu improuidus Pater, librum illum apud se habuit, ac lectitauit. 52.

Liquet impiam hanc peritiam per se sordere, eiusque proinde libros, flammis subiectis meritò exterminari, vt taceam ex alio quoque capite, iure cremandos 53.

mandos esse, nempe quod magicis hisce libris hæreses ferè contineantur. Nihil enim familiarius est Mago, & hæretico, vt probat Stapletonius *orat. 1. Academica, tota*, & Alphonsus de Castro *lib. 1. de iusta hæreticor. punit. cap. 14.* Idem dixerat iam olim Tertull. *lib. de præscript. cap. 43.* verbis illis. [Notata sunt commercia hæreticorum cum Magis compluribus.] Pulcherrimè idem tradidit Theoph. Alex. *epist. 2. Pasch.* hinc præter cætera, Magiæ probra demonstrans,

Iuuat egregia Magiæ impugnatione à Theophilo adhibita, hunc locum de libris eius doctrinam continentibus, meritò perdendis, obsignare. Sic igitur habet, [Confundatur Origenes inter cætera flagitiorum genera quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, qui in tractatibus suis, his locutus est verbis: *Ars magica non mihi videtur alicuius rei subsistentis vocabulum; sed etsi sit, non est operis mali, nec quòd haberi possit contemptui.* Hæc dicens, vtique fautorem se esse demonstrat Elimæ Magi, qui Apostolis repugnauit, & Iamnæ atque Mambræ, qui Moysi magicis artibus restiterunt. Sed nullas Origenis patrocinium habebit vires; quia Christus Magorum præstigias suo deleuit aduentu. Respondeat nouæ impietatis assertor, immò apertè audiat, si non est malum ars magica, non erit malum, & idololatria, quæ artis magicæ viribus nititur. Quod si malum est idololatria, malum erit & ars magica, ex qua subsistit idololatria. Cùm autem idololatria, Christi maiestate deleta sit, indicat & parentem suam artem magicam, secum pariter dissolutam, Propheta super hoc liquidò proclamante: *Sta nunc incantationibus tuis, & multis veneficiis tuis, quæ didicisti ab adolescentia tua, si potuerint prodesse tibi.* Cùm igitur hæc Prophetarum scripta testentur, & nullus vnquam ausus sit memoriæ prodere, Magorum artes inter optima quæque numerandas; leges quoque publicæ, Magos, & maleficos puniant, scire non possum, qua ratione impulsus Origenes, qui Christianum se iactat, Sedechiæ pseudoprophetæ æmulator existens, cornua sibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis, armatus incedat; nec sapiat quicquam de cœlesti Hierusalem, neque imitetur Moysem, & Danielem, Petrúmque, & alios Sanctos, qui contra Magos, & incantatores quasi in acie stantes, indefesso certamine dimicarunt.] Sic ille aduersùs Origenem, tanquam Magorum patronum: cuius tamen luculenta aduersùs Magos, & acceptam ab eis notitiam, disputatio, legi apud eum potest *homil. 16. in Numer.*

EROTEMA VI.

Libri Astrologici, fatariorum, onirocritici, chiromantici, & quomodolibet diuinatorij, an damnandi?

54. COmes Magiæ est Astrologia, vt Nazianzenus affirmat *orat. 3.* describens Iuliani Apostatæ studia Asiatica, post Gallum fratrem à Constantio Cæsarem renunciatum. Imò per Astrologiam facilè proludi Atheismo, æquè

ac

ac ei proludit Magia, legere licet apud Franciſcum Picum *lib.3. de Prænotione cap.7.* Itaque cùm de libris magicis ſit dictum, pergo ad Aſtrologos, qui vel ex eo numero ſunt, quorum doctrina libertatem humanam, aſtrorum, aut fatorum in aſtris expreſſorum efficacitate, deuincit, ſpoliatque flexibilitate in alterutram partem; vel certè ex eorum ſunt numero, à quibus prædictiones per aſtra deſcribuntur. Vtrique ſunt confixione digniſſimi.

Libri Aſtrologorum fatariorum, damnandi.

Nam qui à fato cœleſti, libertatis eladem, vel impeditionem inuehunt, fœda hæreſi ſordent, & immani confuſione, quantum in autoribus eſt, vniuerſum genus noſtrum peſſundant. Imò verò ſi Iſidorum Peluſiotam audimus *lib. 3. epiſt. 191.* atheiſmum apertè inducunt; ſic enim de iis ſcribit: [Qui res omnes permiſcent, ac leguminum, (vt dici ſolet,) mixturam faciunt, ſanæ mentis mihi minimè videntur. Nam ſi Deus eſt, fatum non eſt: ſi autem fatum, non dicam, quod cum eo pugnat; vertatur enim in eorum capita, qui vt hoc dicatur, procurant; hæc blaſphemia.] Abrumpit prudentiſſima apoſiopeſi orationem, qua vſam aliquando ſcripturam ipſam, notaui *in tractat. de Iuda cap.8. num.11.* vt cùm *Pſal.54.* deſcribitur ingratiſſimus Iudæ in Chriſtum animus, dicitur, de hoſte quidem aliud fore dicendum: at de homine vnanimi, & duce, & noto; ibique abrumpitur Oratio. Idem hîc fecit Iſidorus, cùm Dei negatio eſſet inferenda, cohorruit ſcilicet ad Atheiſmi nomen, eóque calamum, & chartam polluere, auſus non eſt. 55.

Autores horum librorum, à Valentiniano Auguſto *appendice 8. ad Codicem Theodoſ.* puto dici *in aſtra peccantes*, quos negat debere exſolui in Paſchate, quamuis demptis perpaucis aliis criminoſiſſimis, cæteros *in ea communi omnium celebritate*, (ſic enim *Paſcha* vocat,) velit abſolui. Plurima in huiuſmodi auctores, & libros, iuſtiſſimámque eorum ſuffixionem, peti poſſunt ex Euſebio *lib.6. de præpar.* quo Ethnicos quoque, aduersùs iſtiuſmodi Scriptorum genus, ſtrenuè anniſos prodit. Inter Chriſtianos idem ab omni æuo ſeruatum eſt. Mathematicum ex hoc ordine, deſcribit his verbis S. Auguſtinus *in calce Pſal.61.* [Seductus ab inimico cùm eſſet fidelis, diu Mathematicus fuit, ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia loeutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Maris, & iuſtum non faciebat Deus, ſed Iupiter, & alia multa ſacrilega non parua.] Et inferiùs poſt deſcriptam ſeriam eius conuerſionem, & prolatum exemplum ex *cap. 19. Actorum*, quo librorum incenſio per eos, qui nefarias artes abiecerant, memoratur; ſubdit D. Auguſtinus. [Perierat ergo iſte. Nunc quæſitus, inuentus, adductus eſt; portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem miſſis, ipſe in

refrigerium transeat.] Meritò comburendos publicè & in Episcopi præsentia, libros impios attulit hic Mathematicus. Nam ita disertè sub ea tempora edixerunt Honorius, ac Theodosius Imperatores *l. Mathematicos. C. de Episcop. audient.*

Alij Astrologorum libri diuinatorij, quatenus ferendi.

56. Qui verò libri Astrologici, illæsa licèt libertate, prænunciationes aliquas futurarum rerum describunt, exterminandi sunt, si semoueas quæ ad rem rusticam, vel nauticam, vel medicam pertinent. Quoad has namque materias, locus est non quidem scientiæ certæ, sed coniectationi aliquali, ob imperfectam vim cœlestis influxus multipliciter impedibilem: hoc ergo do lubens, tametsi nullo modo ad rem medicam conducere posse Astrologicas prænotiones latissimè versat Thomas Erastus toto *lib.1. & 2. epistolar.* De aliis materiis præter tres antedictas, rusticam scilicet, nauticam, & medicam, quippiam prænuntiare ex astris velle, fatuum est, nec vno peccato sordet, vt latè prosequitur Picus toto *lib.5. de prænotione*, post Patruum *lib.12. in Astrologos*, & Delrio 4. *Mag. cap.3. quæst.1.* Atque adeò libri de eo argumento, ignibus sunt tradendi, tam qui natiuitates, (vt vocant,) quàm qui alias quasuis iudiciariæ huius Astrologiæ propagines complectuntur; vt egregiè prosequitur Orig. *sub finem homiliæ tertiæ in Ieremiam.* Horum autores, [nimis errare, & vendere imperitis hominibus miserabilem seruitutem,] dixit S. Augustinus 2. *doctr. Christ. cap.21.* Mox etiam Astrologicam doctrinam vocat, [magnum errorem, magnámque dementiam.] Et mox *cap.24.* [quæ omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis.] Nimirum, quia hæc est idololatriæ portio, vt habet etiam Hesychius *lib.5. in Leuit. pag.350.* Quanto studio in libros diuinatorios exterminandos incubuerit Valens, docet Ammianus *lib.28.* indéque multis Philosophis & nominatim Maximo illatam necem, testatur. Libros Sibyllinos, quòd diuinationibus scaterent, cremauit Stilico, in quem propterea Rutilius *lib.2. Itiner.* concitatur, quia

> —— *æterni fatalia pignora regni,*
> *Et plenas voluit præcipitare colus.*

Non tamen ita aboleuit Stilico Sibyllinos libros, quin similium librorum super fuerit deinceps vsus. Scribit enim Luitprandus Ticinensis, in sua ad Nicephorum Constantinopolitanum Imperatorem legatione, Græcos & Saracenos, huiusmodi libris vsos, quos *Danielis visiones* vocabant. Ipse autem Luitprandus vocat *Sibyllinos*, vtique à similitudine. Signabatur autem in illis visionibus, series temporum, & euentus maioris momenti.

57. Apud aliquos tamen Ethnicorum, vsus erat librorum, in quibus etiam minutalia negotiorum notabantur; ita vt nihil propè aggredi auderent, quin priùs consuluissent huiusmodi codices, circa euentum rei susceptæ. eiusmodi est quod Iuuenalis sic sugillat *satyr.6.*

> *Illius occursus etiam vitare memento,*
> *In cuius manibus, cen pinguia succina, trita*

Cernis

Cernis Ephemeridas : quæ nullum consulit, & iam
Consulitur : quæ castra viro patriámque petente
Non ibit pariter, numeris reuocata Trasilli.
Ad primum lapidem vectari cùm placet, hora
Sumitur ex libro. Si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licèt iaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

An ad hunc locum respexit Ammianus *lib.*28. cùm Romanorum corruptissimos mores describens, ait præter cætera. [Nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur se cautiùs posse, antequam Ephemeride scrupulosè sciscitata didicerint, vbi sit, v. g. signum Mercurij, vel quotam Cancri syderis partem polum discurrens obtineat Luna.] Nimirum ex regulis Astrologicis quid tali syderum positu suscipiendum, dimittendúmve esset, statuendum putabant. Cautum verò id maximè, diebus qui *Ægyptiaci* dicebantur, erantque illis nefasti, ita vt nulla opera per illos dies inchoare absque infortunio se posse censerent. A quorum dierum exacta, ac supra ipsorum Ægyptiorum diligentiam scrupulosa obseruatione, Proclum laudat in eius vita Marinus *num.*21. & meminit eius fatuitatis S. Augustinus *in cap.*4. *ad Galat.* circa illud, *Dies obseruatis, & menses, & annos, & tempora*; vbi præter cætera ait. [Vulgatissimus est error Gentilium, vt vel in agendis rebus, vel in expectandis euentibus vitæ, ac negotiorum suorum, ab Astrologis, & Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora obseruent.] Subdit verò S. Augustinus, cùm Apostolus huiusmodi obseruationem dierum grauiter eo loco notauerit, mirum planè esse, quomodo [plena sunt conuenticula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum à Mathematicis accipiunt. Iam verò ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut huiusmodi quorumlibet operum, diebus, quos *Ægyptiacos* vocant, sæpè etiam nos monere non dubitant.] Hos mox addit, ex Ephemeridibus vitam naufragam gubernare, nec paucos ex numero fidelium eiusmodi fuisse, sed innumerabiles, qui cum magna confidentia in faciem ipsimet Antistiti dicerent, *Die post Kalendas non proficiscor.* Verè vanitas vanitatum, & insaniæ falsæ. Non nisi duos fuisse quolibet mense dies *Ægyptiacos*, scribit Lilius Gyraldus *lib. de annis, mensibus, atque diebus*, quinam illi dies essent complexus breui carmine, quod apud eum dimitto legendum.

In libros de vanitate genethliaca.

Hæc generatim de iusta librorum diuinatoriorum confixione. Sigillatim autem, quæ spectant ad vanitatem Genethliacorum, diligenter planè prosequitur antiquus autor commentarij adscripti Origeni *in Iobum ad cap.* 38. ex Perionij interpretatione, & S. Ambrosius 4. *Hexaëm cap. item* 4. Ex recentioribus Castro *lib.*1. *de vatic. cap.*10. Ioannes Picus *in opere contra Astrologos*, Franciscus eius nepos *in opere de Prænotione*, & Alexander de Angelis, agens contra Astrologos. Pulsum secundò ex Ecclesia Aquilam, hac de causa, scribit S. Epiph. *lib. de ponder. & mensuris.* Existimo ad hanc genethliacam vanitatem 58.

pertinuisse, *Catacrianos* illos libros, quos ab Adriano conscriptos, autor est Spartianus. Quod enim Lilius Gyraldus *dialogo* 3. *historiæ Poët.* κατ' Ἀδριανῦ, (quod videlicet ipse de se Adrianus æquè, ac Antoninus Græcè scripsisset,) denominatos putat libros illos, & oblæsione aliqua, vel vitiatione vocabuli, *catacrianos* dictos, mera diuinatio est. Nec magis placet, quod Hermolaus Barbarus, eodem Gyraldo referente, legit *Catachlyanos*, id est, *caliginosissimos*, ab ἀχλὴ, vel ἀχλὺς, quod *caliginem* sonat. Inutilitet enim eandem vocem bis iteraſſet Spartianus, cùm de Adriano dixit, [Catacrianos libros obscurissimos, Antimachum imitando scripsit.] Alciatus ex eodem Gyraldo, condemnatorios libros interpretatur, à verbo κατακρίνω. Scaliger verò ex Casaubono ad historiam Augustam, interpretatur *Catachrianos*, quasi κατὰ χρῆσιν λεγομένων. Casaubonus legit *Catacaymos*, quod in eis incendium aliquod describeretur. Ianus Parrhasius κατ' Ἀκκιάνυ, quasi *contra Accianum*, (prout libri quidam nominant non Tatianum,) Adriani tutorem, scripti essent. Quæ omnia meræ diuinationes sunt, nullo subnixæ, fundamento. Verisimilius itaque Heribertus Rosvveidus *tabula* 7. pro Baronio, quòd qui sub Ariete nascuntur, ab Astrologis dicantur κριαν ῖ, *catacrianos* existimat dictos, libros, qui de genituris natorum sub Ariete differerent. Cuiusmodi fuit Antinous Adriani deliciæ, vt ex nummo Antinoi genesim exhibente, proditum est.

59. Nec mirum videri potest, Adrianum hominem Ethnicum, omnium, (vt Tertullianus ait *cap.* 5. *Apolog.*) curiositatum exploratorem, & nominatim Astrologiæ peritum, & per eam diuinandi studiosum, quod testatur in Ælio Vero Spartianus, de vanissima illa geniturarum prænotione librum scripsisse; cùm superiore seculo non defuerit Episcopus, qui librum de eadem vulgarit. An vt mentitionem S. Anastasio impingeret, qui *lib.* 1. *in Hexaëm*, *ferè initio*, Mathematicam coniecturalem, hanc inquam, vanam, & alogorum stultilogiam, (liceat S. Bernardi verbum vsurpare,) exitialem luem nominat, à qua liberauerit Ecclesiam, verum quod in terris versatum est Verbum?

Origenes *hom.* 12. *in Num.* hunc præter cæteros ait, esse agrum, & vineam Seon Regis iniquorum, id est, Satanæ, quem fideles non subeunt. Sic enim scribit *sub finem homiliæ*. [Nos sumus qui transire volumus per hunc mundum, vt peruenire possimus ad Terram sanctam, quæ repromissa est Sanctis, & mittimus verbis pacificis ad Seon, promittentes nos non habitaturos in terra eius, nec moraturos cum eo; sed transituros tantummodò, & incessuros via regali, nec declinaturos vsque, neque in agrum, neque in vineam; sed nec de lacu eius aquam bibituros. Videamus ergo quando nos ista promisimus, quando hæc verba Diabolo denunciauimus. Recordetur vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas Baptismi; cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid denunciauerit Diabolo; non se vsurum pompis eius, neque operibus eius, neque vllis omninò seruitiis eius, ac voluptatibus pariturum. Et hoc est quod his legis sermonibus adumbratur, quia non declinet Israël neque in agrum eius, neque in vineam eius, sed neque aquam de lacu eius se esse potaturum. Non enim vltrà disciplinæ diabolicæ, non Astrologice, non Magicæ, non vllius omninò doctrinæ, quæ contra Dei pietatem aliquid doceat, poculum sumet fidelis; habet enim suos fontes, & bibit de fontibus Israël, bibit

dæ

de fontibus Saluatoris ; non bibit aquam de lacu Seon, nec relinqueus fontem aquæ viuæ, congregat sibi lacus confractos.

Tertullianus falsa hæc, (vt verbo Sidonij vtar *lib.7. epist.11.*) ideóque fallentia, professos, atque adeò etiam libros de huiusmodi rebus conscriptos, eliminat prorsus à Christiana Ecclesia, sic scribens *lib. de idololatria cap.9.* [Cùm magia punitur, cuius est species Astrologia, vtique & species in genere damnatur. Post Euangelium nusquam inuenies aut Sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut Magos, nisi planè punitos. Vbi literator, vbi conquisitor huius æui ? Nónne infatuauit Deus sapientiam huius seculi ? Nihil scis Mathematice, si nescibas te futurum Christianum : si sciebas, hoc quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione : ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica præcauit. Non est tibi pars, neque sors in ista ratione. Non potest regna cœlorum sperare, cuius digitus, aut radius abutitur cælo.] 60.

Gentiles quoque, libros huiusmodi censuerunt abolendos. Nam hi sunt ex parte libri illi improbatæ lectionis, quos Vlpianus l. *ad Labeonem. ff. de iniuriis*, commemorat; quosque Liuius, de Bachanalibus loquens, narrat ex SC. conquisitos, vt ignibus traderentur. Sed & Augustum, supra duo millia librorum fatidicorum, (ex hoc genere maximè,) Græcè & Latinè conscripta, ignibus commisisse, scribit Suetonius *cap. 31.* & Dio Cassius *lib.54.*

Libri Onirocritici repellendi.

Alij diuinatorij libri, sunt Onirocritici, & Chiromantici. Onirocriticos ex antiquis habemus, Artemidorum, Achmetem, Astrampsychum. In Synesium quoque hac ex causa multis agit Franciscus Picus *lib.6 de prænotatio. cap.8.* & æquè agere poterat in Synesiani illius libelli, vasto satis commentario in eum edito, explanatorem Nicephorum. Alios in eodem argumento versatos, adducit Tertullianus *lib. de anima cap.46.* Breuiter autem statuendum est cum Serario ad *cap.11. Esther quæst.5.* & Sanche multos adducente 2. *in Decal. cap.38. num.49.* libros omnes Onirocriticos, si supra meram coniectationem eorum, quæ ad temperiem pertinent, porrigantur, vanos & abolendos esse. Nam ex somniis aliquam coniecturam duci posse de humore prædominante, ratum est apud Physicos, & Medicos ; benéque à Pineda exponitur *lib.3. de Salom. cap.18. num.4.* Itaque hoc sobriè vestigare, & scripris consignare, vitio vacat. At qui ex somniis naturalibus, futura contingentia prædicere audent, vel occulta rimari, planè delirant, nec absque graui offensa Numinis. Sunt quidem somnia nonnulla diuina, quorum non est vana fides ; & de huiusmodi somniorum genere, censeo fuisse illud fratri suo oblatum, cuius occasione breuiter, sed perpulchrè de non contemnendis vsquequaque somniis, disserit Petrus Cluniac. *lib.6 epist.14.* Eodem pertinent, quæ diffusiùs, & accuratè sunt scripta à variis, nominatimque à Pererio *lib.1. in Daniel. & lib.2. de Magia c.3. q.6.* & à Fernādio *præludio 7. ad visiones*, Castro variis locis operis *de vaticinio*, necnon à Loyerio *lib.4. de spectris c.22. & 26.* Alia verò 61.

somnia quæ naturalia sunt, nihil extra ea quæ diximus, & eo modo quo diximus, possunt portendere. Itaque audiendum est diuinum Oraculum, per Siracidem *cap.*34. *Nisi ab Altissimo fuerit missa visitatio, ne des in somniis cor tuum.* Ac proinde etiam libros de somniis, dimitte somniatoribus, de quorum nugis multa Bulengerius toto *lib.*5. *de diuinat.* Aliqualem tamen vsum horum librorum nugiuendorum, aperit eruditissimus Pineda *lib.*3. *de Salom. cap.*18. *num.*4. *&* 5. furta quædam eorundem Scriptorum è sacris literis detortis, proferens *num.*6.

Necnon Chiromantici.

62. Non dissimile iudicium ferendum est de libris chiromanticis, vt plenè prosequitur Picus Nepos *lib.* 6. *de prænotione cap.*1. Nam diuinatio quam tradunt, præterquam ad aliquam temperamenti, & illud consequentium notitiam, est omninò vana, & damnata. Itaque tametsi hoc genus coniectationis cùm Pythagoras in probandis discipulorum ingeniis adhibuit, teste Iamblico in eius vita *cap.*17. tum Indi sapientes in vxoribus ducendis ex Nicostrato apud Stobæum *serm.*189. Tamen ferè inane est, & libri quoque, in quibus ea mensura transcenditur, damnandi sunt. *Veteres libros per corporum signa, pandentes interna*, vocat Ammianus *lib.*15. Zopyri, Loxi, Polæmonis, de huiusmodi nugis scriptiones, memorat Origenes *lib.*1. *contra Celsum*, quarum aliquæ etiamnum extant. Non est porrò verum, vanitatem illam vanissimam, qua colluuies hominum latè descripta, & exagitata à Crespetio *lib. de odio Satanæ, discurs.*12. & à Delrio 4. *Mag. cap.*3. *quæst.*5. necnon à Tarquinio Gallucio *ad lib.*1. *Ethic. Arist. cap.*1. *quæst.*7. (Italis *Ægyptios*, Gallis *Bohemos*, se mentiuntur,) ex vola manus, & eius lineis prænunciat actus liberos euenturos, approbari à Iobo verbis illis *cap.* 37. *qui in manu omnium signat, vt norint omnes opera sua.* Non enim id ad lineas manuum pertinet, sed ad notitiam imbecillitatis nostræ; quam inde capimus, quod toties à Deo vetemur agere per aëtis vicissitudines, quod alioqui operarentur manus nostræ.

Et quomodolibet aliter Diuinatorij.

63. Quanquam sunt innumeræ aliæ diuinationum species, quas fusissimè recensent Franciscus Picus in opere *de prænotione*, Bulengerius in opere *de diuinat.* & Petrus Ancoranus *tract. eiusdem argumenti*; ac proinde de illis quoque possunt conscribi libri improbandæ lectionis: tamen quòd infrequentiùs occurrant libri de illis aliis diuinationibus conscripti, fastidio ad eos sigillatim excurrere, contentus vniuersè pronuntiare, si præter propositos, aliqui præterea sint alij diuinatorij libri, ex quacumque dæmoniaca doctrina, omnes abolendos esse, iuxta illud rectissimè dictum ab Origene *homil.*16. *in Num.* [Hæc omnia, id est, siue auguratio, siue extispicium, siue quælibet immolatio, siue etiam sortitio, aut quicunque motus auium, vel pecudum, & inspectio quæcumque fibrarum, vt aliquid de futuris videantur ostendere, in operatione Dæmonum fieri non dubito, dirigentium, vel auium, vel pecudum,

dum, vel fibrarum motus, aut sortium, secundùm ea signa, quæ docuerunt iidem Dæmones obseruari ab iis, quibus artis huius scientiam tradiderunt: à quibus omnibus, is qui homo Dei est, & in portione Dei numeratur, penitus esse debet alienus, nec in iis aliquid habere commune; quæ occultè machinis Dæmones operantur, ne fortè rursus per hæc Dæmonibus societur, atque eorum spiritu, & virtute repleatur, & ad idolorum cultum denuò reparetur; hæc enim omnia religio nostra diuina, & cœlestis abiurat.] Et inferiùs adducta ventriloquæ de Paulo testificatione *Actor.*16. [Si Paulus testimonium sibi eum dare non patitur, sed dolet super hoc; quanto magis dolere debemus, si quando decipi videmus animas ab iis qui velut diuino alicui spiritui pythonis, aut ventriloquo, aut diuino, aut auguri, vel aliis, quibuslibet huiusmodi Dæmonibus credunt? Propter hoc ergo, *non erit*, (inquit,) *auguratio in Iacob, neque diuinatio in Israël.* Sed quid iis additur? *In tempore*, (inquit,) *dicetur Iacob, & Israëli, quod perficiet Deus.* Quid est *in tempore dicetur*? Cùm oportet, & cùm expedit, hoc est, *in tempore.* Si ergo expedit prænoscere nos futura, dicentur à Deo per Prophetam Dei, per Spiritum sanctum. Si verò non dicuntur, neque denunciantur, scito quia non nobis expedit ventura prænoscere. Quòd si idcirco non dicuntur nobis, quia nobis ea scire non expedit, qui diuersis artibus, & Dæmonum inuocationibus gestiunt futura prænoscere, nihil aliud faciunt, nisi quòd cupiunt ea discere, quæ sibi scire non expedit.] Tandem *hom.5. in Iosuë, ad finem.* [Est & illud opprobrium Ægypti, quod si neglexeris, etiam post Iordanis transitum, & post Baptismi secundam circumcisionem vetustæ consuetudinis inustione suggeritur; obseruare auguria, requirere stellarum cursus, & euentus ex iis futurorum rimari, seruare somnia, cæteríque huiusmodi superstitionibus implicari. Idololatriæ namque mater est Ægyptus, ex qua certum huiusmodi opprobria pullulate, quæ si transito iam Iordane susceperis, & iis te rursus laqueis illigaueris, tecum sine dubio opprobria Ægypti trahis. Sed si quando te talis curiositas interpellat, & de corde tuo huiusmodi hostis erumpit, dic ei; quia Iesum ducem sequor, in cuius potestate sunt, quæ futura sunt. Quid mihi scire, quæ futura sunt? Quæcumque ille vult, hæc futura sunt. Ideò ergo vt in nobis verè secunda circumcisio compleatur, per quam vetera Ægypti opprobria deponamus, ab his omnibus segregati prorsus esse debemus.]

EROTEMA VII.

Num obscœni libri eliminandi?

OMninò & configendi, & exterminãdi sunt obscœni libri; hoc ipsi Gentiles, hoc Christiani iam olim edixerunt: tametsi repullulat semper hæc pestis, & nullum est sæculum, imò vix annus, quo noua censuræ materia ab ingeniis impuris, incentore Satana, non subministretur. Dixi de iustissima horum librorum suffixione, sat multa *lib.6. de virtut. num.*159. *& num.*202. quia tamen ferax est huiusmodi sentinarum regio, in qua hæc chartis committo, vt iugi 64.

iugi à multis annis experimento deprehendo, & expostulat Coluenerius ad *lib.*2. *Cantipratani cap.*49. contestans non minùs ab his libris, quàm ab hæreticis imminere damnum, non erit inutile, hîc quoque de hoc argumento pauca attexere ad ibi dicta, & ad alia, quæ habent Mantuanus in opere metrico aduersùs scriptores impudicos, & Cardanus *lib.*4. *de sapientia*, addicens hos libros flammis, ac Catharinus *opusc. in malos libros*, necnon Laurentius Gambara *lib. in obscœnos Poëtas*, cui Antonij Possenini lucubratio est supposita. Nolo dimissum Georgium Fabricium, tametsi Lutheranum, qui grauiter disserit de his libris exterminandis *in præfat. ad suam Poëtarum Christianorum collectionem.*

Platonis, & aliorum Ethnicorum concitatio in obscœnos libros.

65. Illúdque in primis statuendum, ex grauissima Platonis disputatione *lib.*10. *de Repub.* (qua qui poëtices fœtus possint in benè constituta Republica admitti, qui excludi omninò debeant, latè expendit,) eam poëticam scriptionem, (& idem est de quacumque alia,) è Repub. excludi debere, quæ incendendis cupiditatibus venereis sit accommodata, eo quòd si Musæ voluptuosæ admittantur in Rempublicam, regnatura sit in ciuitate voluptas, lege, & eo quod ad communem vtilitatem optimum præstantissimúmque semper iudicatum est, (ratione nimirum,) penitùs exturbatis.] Et paulo antè, [Poësis hæc in nobis illa nutrit, (*ea nimirum irrigando*,) quæ summa ariditate potiùs erant extenuanda, & efficiendo, vt illa in nobis imperent, quæ parere potiùs debuerant, vt meliores, & feliciores ex deterioribus, & infelicioribus euaderemus.] Nimirum quicquid Lipsius *epistola ad Pithœum*, de suo inter hæc legenda rigore, non frigore, scribat; liber obscœnus eas cogitationes legentis animo infigit, quæ turpium motuum sint seminarium, vnde cùm homo plus iusto ex naturæ deprauatione ferueat, & pronus sit ad malum, igni oleum addit, qui lectione impuri scriptoris, suggerit libidini fomentum, & appetitum rebellantem efferat magis ac magis.

66. Aliis præter Platonem Ethnicis, librorum obscœnitas exosa fuit. Aristotel. 7. *polit. cap. vlt.* in hos libros concitatur. Et *in Poëtica cap.*1. Hermogenem, & Nicocharem, ob libros obscœnos sugillat. Lacedæmonios impuris libris interdixisse, scribit Valerius *lib.*6. *cap.*3. Idem interdictum inter Charondæ leges habetur apud Diodorum *lib.*12. Extat etiam lex Persarum de eadem re, apud Herodotum *lib.*1. Quid Romani? Patet ex Ouidij damnatione. Nam tametsi reuera pœnas dedit infamationis Principis; tamen prætenta est scriptionis impuritas, vt ipse de se Naso fatetur, qui *lib.*2. *de remed.* inuitus eloquitur, cauendum esse ab huiusmodi lectione. Eius esse *Priapeia* perperam Virgilio Parthenio inscripta, confirmat Politianus *lib. miscellan. cap.*59. ductus Senecæ autoritate, qui vnum eius operis versiculum allegauit Nasonis nomine. Quanquam Floridus Sabinus *lib.*1. *subsec. c.*6. spurcum illud poëma contendit, varios habere autores. Cùm enim pro æui illius corruptela, omnes ferè Poëtæ aliquid turpi illi numini inscriberent, inde extitit ea carminum farrago, non à solo Ouidio, qui tamen si vel ex parte tam lutulenti carminis fuit autor, iure damnatus

damnatus est. Martialis octauum librum ad Cæsarem transmissurus, exemplo Nasonis didicit, puras chartas eò esse inferendas, vt ipsemet illius libri initio testatur. Sensum Iuliani Apostatæ de impurorum librorum lectione, petere licet ex prolixo fragmento primo nuper edito, vbi tametsi Sacerdotem informat; tamen ratio interdicti horum librorum, est vniuersalis: verat enim sacerdoti Ethnico libros amatorios, quia [nescio quo pacto hominum ex libro afficiuntur animi, ac paulatim cupiditates incitantur, ex quibus demum flamma ingens accenditur, cui quidem longè antè obuiam est eundum.] Surena Dux Parthorum, inuento inter Crassi abs se cæsi, spolia obscœno opere Milesiæ Aristidis, omni infami nota atque opprobrio illum respersit, eam ob causam.

Christianorum in obscœnos libros seueritas.

Quòd si Ethnici spurcos huiusmodi libros tanto studio sunt auersati, mirum videri non poterit, Christianos Doctores in hanc animorum pestem, perpetuò egisse fortissimè. Appendo aliquos. 67.

S. Athanasius sæpe exprobrat Arrianis, impurissimam impurissimi Arrij scriptionem, cui titulum fecerat, *Thalia*. Is liber, cuiusmodi fuerit, & quis *Sotades*, quem eo opere Arrius expressit, infrà attingam.

S. Basilius Orat. de libris Gentilium. [Vt à Poëtarum, (inquit,) disciplinis, quòd varij sint in dicendo, incipiam, non omnibus quæ dicunt mentem adhibendam, sed eis tantùm quæ bonorum hominum, facta dictáve nobis enarrauerunt; illáque imitari, & omnibus modis similes eis esse conari censeo. Quando verò ad infames & nefarios homines veniant, hæc omninò vitare, his aures obstruere, non minùs quàm Vlysses ad cantus Syrenarum fecisse, dicunt, oportebit. Nam prauis assuescere sermonibus, via quædam est ad rem ipsam. Ideò omni custodia animi cauendum est, ne per sermonis voluptatem deliniti, prauum aliquid simul assumamus; veluti qui venena cum melle concinnant, atque occultant. Non itaque Poëtas laudamus contumelioſos, non cauillantes, aut scommata iactantes, non amantes, vel ebrios, non qui in cibis, & mensurarum lautitiis, seu cantibus obscœnis felicitatem ponunt.]

S. Hieronymus *epist.* 14. has esse ait siliquas porcorum, queis filius prodigus ventrem non satiauit, sed inserit. Et *epist.* 127. *mansione* 13. hæc esse ait, sepulchra concupiscentiæ, ad quæ post virulentias Ægyptiorum, Domini igne torquemur, & efficimur sepulchra dealbata, foris speciosa, & intus plena omni spurcitiâ. 68.

S. Augustinus 1. *Confess. cap.* 16. hoc esse ait *flumen Tartareum*, & verbis vno se dignis, contra hanc turpitudinem, tonat.

S. Paulinus, qua solet pietate & florulentia, in rem præsentem differens *epist.* 38. hæc esse ait Sirenum carmina, audientibus exitialia. [Pernicioſam, (inquit,) istam inanium dulcedinem literarum, quasi illos patriæ obliteratores, de baccarum suauitate Lotophagos, vt sirenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus euita.] Et mox. [Nam & voluptatum pestifera dulcedo, patriæ nobis obliuionem facit, cum homini Deum, qui est patria omnium communis, obliterat; & illecebræ cupiditatum, illam sirenarum fabu-

lam veritate cladis imitantur. Nam quòd illæ Sirenæ fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum; habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum; quorum vsus in crimine, pretium in morte numerantur. Has oportet vltra Vlyssis astutiam cauti, non auribus tantùm, sed & oculis obseratis, & animo quasi nauigio præteruolante fugiamus, ne sollicitati delectatione lethifera, in criminum saxa rapiamur, & scopulo mortis affixi, naufragium salutis obeamus.]

69. Isidorus Pelus. *epist. ad Thalelæum Monachum.* [Ipsam quoque fœditatis, & obscœnitatis lectionem fuge: (nam ea miram ad aperienda vulnera iam cicatrice obducta vim habet;) ne alioqui vehementiore cum impetu spiritus improbus reuertatur, ac deteriorem & pernicioſiorem tibi priore ignorantia cladem inferat.]

S. Cyrillus *lib.3. de adorat. in fine*, has statuit esse pennas vpupæ, luto semper ac sordibus pastæ; & quæ infœlicitas maneat Christianum, lutosis hisce studiis intentum, sic aperit tractans visionem amphoræ, ideſt, iniquitatis, quam mulieres duæ vpuparum specie pennatæ, assectabantur. [Nonnulli non crediderunt Euangelio Christi, neque hanc ex peccato redemptionem amplectentes, eodem onere premuntur, suis ipsorum id ceruicibus accersentes ob mentis infirmitatem, ac mollitiem, animæque effœminationem. Hi omni spiritu malo circumferuntur, & in quoduis immunditiæ genus vehementissimè propulsi, omne suum studium ad malum conferunt. Studij verò istius, atque diligentiæ signum est, ala, quam etiam vpupæ esse aiunt. Vpupa verò genus est auis, quæ semper cœnosissimis, fœtidissimisque locis aduolitat, & ex cœno, atque immunditia sibi victum parat. Quotquot itaque omne suum studium adhibent ad immunditiem, hi meritò alas vpupæ habere dicuntur. Muliebri etiam specie atque effœminati sunt. Denique eandem cum regnante in ipsis peccato, formam præ se ferunt. Quemadmodum enim vniformes Christo facti sunt per sanctificationem, qui sub ipso, & cum ipso sunt: eadem planè ratione, iniquitatis formam ac speciem referunt, qui hanc respuerunt. Deferunt autem mensuram in Babylonem, atque illic domum quærunt, quo quidem, (vt arbitror,) figuratè significatur, quòd qui ea, quæ Christi sunt, amplecti noluerit, & peccati obstructionem amârit, ad solam immunditiem studia sua omnia conferens, eiicietur quidem è sancta Hierusalem, hoc est, primogenitorum sancta Matre, pulchráque illa cœlesti ciuitate; & tantum pro grauissimo pressus peccati pondere, cum Babyloniis habitabit, hoc est, portionem ac sortem habebit cum impiis idololatris; nihil enim ab idololatris differunt, qui redemptionem per Christum impiè reiecerunt.]

S. Isidorus *lib.3. de summo bono, cap.13.* studiosam lectionem impurorum librorum, æquat cum immolatione facta Dæmonibus, quòd inde anima excitetur ad incentiua libidinum, & Satanæ hostia cadat.

Rupertus, exponens plagas diuinitus illatas Ægyptiis, *ad Exodi cap.8.* imitatus Origenem *ibi homil.4.* & August. *ser.87. de tempor.* carmina obscœna Poëtarum, ait esse *ranas Ægyptias*; indéque omne virus nequitiæ exortum queritur. Et alibi, hâc vnâm esse ait de tribus ranis egressis ex ore bestiæ *Apoc.16.* Nimirum spurci Poëtæ, dulcibus mendaciis, vt Minutius iam olim post Senecam *lib. de vita beata cap. 26.* expostulauit, effecerunt vt peccandi frænum, nempè verecundia,

verecundia, pessum iret,& homo bruteſceret. In ſumma omnes Chriſtiani DD. hanc esse animorum pestem certissimam, semper sunt conteſtati, & annuit inter ſectarios, à Nua *dissert.6.*

Damna à lectione obſcœnorum.

Ratio quasi à priori, cur horum librorum lectio omni iure vetetur, superiùs iacta est ex Platone, duciturque ex naturæ corruptæ inflammatione acriore per istiusmodi ignitabulum, quo fornax Babylonica, cuiuis noſtrûm conserta succenditur, in exitium non scriptoris modò, qui librum composuit, sed & lectoris, qui iisdem impuris ignibus corripitur, per hoc quasi colloquium mutuum cum scriptore: vt propterea creditus Prosper *lib.3. de vita contempl. cap. 6.* agens de concupiscentiis turpibus, & earum concitatione ex colloquiis,quorum parem esse vult, ac lectionis rationem dicat: [Hæc & his similia colloquentes, suggerunt concupiscentiæ suæ materiam. Hæc tamen ideò concupiscunt, quia aut loquuntur libenter, aut audiunt: qui nisi concupiscentiæ morbo corrupti essent, numquam vel loquerentur talia, vel audirent, quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendunt. Ac ne me ista veraciter arguentem, quisquam iudicet arguendum, nouerit propter hoc fortè ab antiquis fuisse decretum, ne qui adolescentium, legerent Geneseos librum, & partem pariter Ezechielis Prophetæ, vel Canticum Canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarundam scripta sunt mulierum;] & mox. [Sed nè fortè hæc spiritualia secundùm carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illæ significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent, consultò, Iuniores legere sunt illa prohibiti, quæ sicut spiritualiter accepta viuificant, ita carnaliter intelligentibus, ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat. Eorum quisque nomina frequenter habet in ore, quorum desideria vulnerato gestat in corde; aut turpitudinem quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, sed diuino.] 70.

Quod ait ad cauendam incensionem camini nobis interni, vetitum esse Hebræis iuniotibus legere quædam capita Ezechielis, & Canticum Canticorum, & librum Geneseos; notatum quoque est à S. Hieronymo *in proœmio ad suos in Ezechielem commentarios, & epistola ad Paulinum de libris sacris*; quibus locis negat, eum qui annos triginta non implesset, libros illos legere permissum. Sicque intelligendum est, quod Nazienz. *in Apologetico* ait, post 25. annum, concessam in virtutis præmium, iis qui benè se gessissent, eam lectionem. Atqui, vt benè argumentatur Petrus Hoëdus *lib.1. Anteroticorum cap.65.* si verabantur olim in populo carneo, ad certam vsque ætatem, sacri quidam libri, idonei commouere improuidos, quanto iustius est, *spurcos libros*, qui eidem impuro igni naphtham, & fomitem omnis generis subministrant, velle ab omni ætate eliminatos? Hinc verò efficitur, autorem spurci libri non modò grauissimè sibi nocere cùm scribit, sed aliis quoque nocere pergere, etiam cùm quiescit; imò cùm iam illum pœnitet conscripti libri: vulgatur enim nihilominus, & teritur omnium manibus liber, etiam eorum, quos autor nunquam viderit, aut audiuerit. Quin etiam post autoris mortem, & vi- 71.

tam sanctè licèt concluſam, prorogatur damnum, pergítque homo fortè iam ſanctus & cœlo illatus, eſſe organum Satanæ, & fieri animabus in ruinam.

72. Itaque Petrus Bleſenſis *tract. de confeſſione Sacram. ſub medium*, intrepidè Magiſtrum impunitatis ex hoc nominatim, hîc æquè valido capite, vrget, quòd aliis non viuus modò, ſed etiam poſt mortem, ſit nociturus. [Tu, (inquit,) qui pro tuo proprio, & ſpeciali peccato, tam grauia paſſurus es, quàm grauiora pro multorum peccatis expectas, quorum innocentiam argumentoſa libidinis aſtutia ſubuertiſti. Aliqui eorum fortè iam deceſſerunt, & in inferno poſiti ſunt, vbi mors depaſcit eos; vbi in fornace gehennalis incendij ſulphurea, infelices, more feruentium & liqueſcentium metallorum igne inextinguibili cruciantur. Tu verò totius flamma concupiſcentiæ carnalis ebulliens, contemnis terribilia Dei iudicia; nec tormenta illorum, nec imminentem tibi diem tuæ damnationis attendis.] Et mox. [Ad cumulum tuæ perditionis accedit, quòd cùm factus ſis Princeps Sodomorum, & Gommorrhæ, immunditiæ tuæ diſcipuli poſt te ſedebunt in cathedra poſtilentiæ, ſerpéque peſtis canceroſa in multos, & veniet ſuper te ſanguis omnis eorum, quos corrupiſti ſanguine, opere, vel exemplo. Sanè ideo irremiſſibilis fuit culpa Diaboli, & inuenta eſt iniquitas eius ad odium, quia in malitia, quam nullo ſuggerente commiſit, fuit ſubuerſio & ruina multorum. Quis æſtimare ſufficit, quam execrabilis, & damnabilis ſit apud Deum & homines Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit; atque malitia Pharaonis, qui ſubmerſit paruulos Hebræorum? Et illi quidem, non animarum, ſed corporum homicidæ fuerunt. Quanto igitur deteſtabilius eſt, eorum non dicam homicidium, ſed parricidium, qui tot innocentum animas occiderunt? Proculdubio, quanto eſt excellentior anima, corpore, tanto infeliciores ſunt Pharaone, hi proditores, & damnabiliores Herode. Putas quòd diſſimulando tranſeat, & non requirat Deus de manu tua, quod in concupiſcentiis, & immunditiis tuis nobiliſſima eius periit creatura?] Accommodentur iſta ad ruinam aliorum per lectionem libri, ſiue ſuperſtite, ſiue demortuo autore: quandoquidem, (vt dicebam,) autor etiamſi defunctus, adhuc aliis nocet per opus ſuum.

Quatenus ſpurci ſcriptoris defuncti, cruciatus creſcant, cum damno ſuperſtitibus irrogato.

73. Infert porrò inde Gerſo *tract. contra Romantium à Roſa*, impurum ſcriptorem, ſi damnetur, nouis ſubinde cruciatuum acceſſionibus in Tartaro cumulari, vel ſi in Purgatorio detineatur, protrahi diutiùs eius ſupplicium ob noua damna exorientia lectoribus. Videtur idipſum ante Gerſonem dixiſſe S. Baſilius *lib. de vera virginit.* tractans quæ ſint apud Apoſtolum peccata præcedentia, & ſubſequentia iudicium, in ſecunda explicatione, quam his verbis concipit. [Sicut Sanctum atque admirabilem Paulum, dum adhuc eſſet in corpore, alia quidem præceſſerunt opera: cùm plurimi ex his, qui propter doctrinam, & conuerſationem eius perfecti euaſere, in æternam illam vitam præcedentes, ſudorum præmia, quos pro illis pertulit, apud iuſtum iudicem Deum illi parauerunt; alia verò ſolutum carneis vinculis, & iam cum Chriſto regnantem,

vſque-

vsque ad hanc diem consequuntur, eorum scilicet, qui per eum in sacris Epistolarum eius monitis, se ad virtutem exercentes, laudes semper, ac præmia præclaro illi duci, & præceptori optimo, hinc transmittunt: sic econtra, alia quidem præcedunt peccata eorum, qui pessimis sermonibus, & operibus læsi atque impediti à virtutis tramite, in infernum præcessere, supplicia suæ damnationis autoribus illic paraturi; alia verò etiam sequuntur, eorum scilicet, qui post ipsorum mortem, per summam nequitiam, & exempla pessima, quæ mundo reliquere, dum ea imitari pergunt, maximè læduntur: nam sicut hodie quoque, Beatus Dauid ad veram religionem, & ad Dei cultum, prouidentiæque agnitionem mundo perutilis est, & qui propter illum in religione proficiunt, hinc iam ex rectè factis suis consequentes ei transmittunt laudum voces: ita & Marcion, & reliqui hæreticorum dogmatum duces, quia per eam peruersitatem doctrinæ, quam mundo inuexere, maximè nocent; cuncti qui salutis suæ damna per eos in hac vita perceperunt, autores perditionis suæ, & si dudum vitâ functos, atrocioribus illic suppliciis tradunt. Si enim qui scandalizauerit vnum ex pusillis huiusmodi, morte dignus iudicatur; profectò qui tam multos per vitam reprobam, quot pernicioſorum operum mundo exempla reliquerit, aut in animarum perniciem falsa dogmata ingesserit, scandalizat; post mortem quoque, omnium qui sua causa pereunt, digniſſimè ac iuſtiſſimè mortis reus habebitur; per singulos eorum, qui sui causa hîc seu vulnerantur, seu moriuntur, autore etiam vulnera mortémque suscipiente. Porrò si iuxta hunc sensum, alij præcedunt actus, aliíque subsequuntur; & sicut qui ex nequitia sequuntur, maiori supplicio huiusce perditionis autorem per singulos eorum qui pernicioſa vel doctrina, vel vita pereunt, tradunt; qui verò à virtute subsequuntur, maioribus, & dignioribus præmiis per singulos eorum, qui inde salutis emolumenta quæsierunt, & à sceleribus conuersi sunt, huiusmodi magistrum donant: & virgo igitur habet in alterutram virtutis, vitiorúmque partem, actus quosdam, partim præcedentes, partim subsequentes.]

En clarè expressam à S. Basilio, Gersonis sententiam propositam, quæ est etiam Gabrielis *lect. 56. in Canonem, litera X.* & Ioannis Nider *lib. 2. de reform. cap. 16.* Fauet Epiphanius sic ad Hieronymum scribens, de malis scriptoribus. [Non contenti perditione sua, volunt plures mortis habere participes; quasi multitudo peccantium, scelus minuat, & non numerositate lignorum, maior gehennæ flamma succrescat.]

Est tamen ea sententia accipienda cum grano salis. Certum quippe est, nequaquam inferri damnatis noua damna stabilia, ob continuatam, vel etiam crescentem, ab eorum ad inferos detrusione, damnositatem libri impuri, alitérve noxij: sed quicquid ex autorum illorum operibus, nequitiæ illitum est ipsis autoribus, castigatur repensa à primo damnationis momento suppliciorum acerbitate, si sit sermo de pœna stabili, nec deinceps varianda. Certum præterea esse debet, animam non detineri diutiùs in Purgatorio, propter noua damna aliis aduenientia, ex iis quæ homo gessit scripsitve, dum viueret. Qua etiam ratione in Heteroclitis spititualibus circa Purgatorium *sect. 2. p. 2.* ostensum est, neminem ob damnum tertij perseuerans ex dilata per hæredes restitutione, diutiùs retineri in Purgatorio, contra Petrum Soto *lect. 5, de Purgat.* cui in speciem fauet narratio apud Cantipratanum *lib. 2. Apum* 74

*cap.*23. *num.* 27. & reuelatio apud S. Brigitam *lib.* 6. *reuelat. cap.*85. quæ loco allegato ad legitimum sensum traximus cum Tyræo, Peltano, Bellarmino, Suare, Valentia, Coluenerio, ibi adductis. Quamuis autem hæc ita se habent; tamen sicut in Beatis præter statam, & inuariatam gloriæ mensuram ab initio collatam, admittuntur accessiones quædam accidentariæ, certis occasionibus aduenientes Beato, & raptim dilabentes, vt intelligitur ex gaudio quod dicitur esse in cœlis, super vno peccatore pœnitentiam agente: ita facilè intelligitur, damnatos vltra statam mensuram cruciatuum ab initio illatam, subinde accipere auctaria quædam cruciatuum, fluxa, & transeuntia, eo quòd eorum libri, qui supersunt, pergant nocere: &, v. g. aliqui subinde eorum occasione damnentur, fiántque socij auctorum priùs damnatorum. Societas quippe damnatorum, acuit tormentorum acerbitatem, vt S. Chrysost. expendit *in Psal.* 49. ad illud, *Inuoca me in die tribulationis*; *& hom.*25. *in ad Romanos, initio partis moralis.* Ad eum ergo accessum nouorum subinde damnatorũ, occasione libri impuri; vel ad patefactionem identidem factam malorum quæ liber à damnato conscriptus mundo infert, accedit transeunter aliquid noui angoris, vltra statam, ac stabilem mensuram supplicij, repensam à damnationis initio. Et hoc sensu, dictum Gersonis de noua subinde pœna auctoris damnati, ob progressionem nocumentorum libri impuri ab eo editi, trahitur ad sensum probabilem, quem tradit Altissiod. *lib.* 4. *cap. de suffragiis pro damnatis, ad* 4. *quoddam argumentum.* Nec est quod vetet, proportionale quid existimare de animabus Purgatorij, quamdiu ibi hærent, ob non detersum plenè reatum peccatorum: quamuis verum sit, non detineri ibi diutiùs, ob noua mali libri nocumenta, si reatus ex autorum culpa residuus, sit planè abrasus.

Qui serò sapuerunt, & libros suos obscœnos perdiderunt, & qui contrà.

75. Hæc considerantes plerique librorum obscœnorum olim scriptores, laudabili mutatione sapientes facti, eos exterminari fategerunt. quod factum est ab Ænea Syluio, cùm Pontifex Pius I I. est renunciatus. Factum item à Catharino, vt ipse de se testatur, *lib. de libris noxiis eliminandis*, vbi profitetur, iuuenilia sua, tametsi à Bibliopolis expetita, ingentis lucri spe facta, renuisse concedere. Imò maluisse flammis dedere, quàm se simul cum illis aliquando æternis ignibus tradere concremandum. Homo Dei Cæsar de Bus, vt est in eius actis apud Iacobum Marcell m *lib.*1.*cap.*8.& apud Iacobum Biunais *lib.*1. *de vita eiusdem cœci oculati, cap.*6. ab incensione iuuenilium eroticarum scriptionum, suam ad Deũ conuersionem est auspicatus. Idem alij quidam cum laude præstiterunt. Econtrario autem, magna semper infamia flagrabit Heliodorus Episcopus, qui prælegit Episcopatu abire, quàm libros suos amatorios perdere, vt scribit Nicephorus *lib.*12.*cap.*34. Et fuit tamen Heliodorus in erotica illa scriptione, verecundior Achille Tatio, iudice Photio *cod.*94.qui *cod.*87. obscœnissimum nominat opus illud Achillis, de rebus Leucippes,& Clitophontis,quod non ita pridem prodiit. Auctus tamen est Achilles Episcopatu, non suppresso eo opere, vt prodit Suidas.

Iure

Iure in huiusmodi scriptores, (præsertim ne serò quidem sapientes ,) intorseris illud Philonis *lib.1. de vita Mosis , initio.* [Facultate scribendi abusi sunt , tum in oratione soluta , tum in poëmatibus , versi ad comœdias , & fabellas Sybariticas notæ turpitudinis, obscœnitatisque : cùm debuissent naturæ donis vti , ad prodendas res gestas , vitásque bonorum virorum , vt nec honesta exempla vetera , nouáque traderentur obliuioni , ac silentio , cùm prælucere possint posteris ; nec omissis melioribus argumentis,auditu indigna anteponerentur , prætexta probris honestatis specie.]

Nec malè etiam ferias hos scriptores , eo ipso telo , quo S. Augustinus Licentium Poëtam licentioris & solutioris calami appetiit, *in calce epist.40.* [Ornari abs te Diabolus quærit. Si calicem aureum inuenisses in terra , donares illum Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingenium spiritaliter aureum , & ministras inde libidinibus , & in illo Satanæ propinas teipsum ?] Videndus item S.Bernardus *lib. de natura & dignitate amoris diuini,cap.1.*

Ad excusationes in peccatis , hac in parte.

Quæ pro retinendis , ac impunè versandis obscœnis libris , interdum pro- 76.
lata sunt , & in dies proferuntur ab impuris hominibus , eiusmodi sunt , vt eorum vitam aperiant , & scripta damnent , non etiam purgent : verè enim huiusmodi scripta , deprauatæ Scriptorum vitæ sunt testimonia , quicquid Martialis *lib.1. epigr.4.* & Poëtæ veteres multi , quos Raderus *ibi* profert , excusarint, contendentes lasciuam sibi esse Musam , vitam probam , & puram. Verùm quod creditus Tullius *in responsione ad Sallustium* de verbis dixit , æquè valet circa scripta. Collegit enim Sallustium esse vitâ infamem , quòd infamia loqueretur. [Neque enim , (ait ad eum ,) qui ita viuit , vt tu , aliter ac tu loqui potest : neque qui tam illoto sermone vtitur , vita honestior est.] Sermo simulachrum est operum , (ait apud Laërtium Solon ,) & cuiusmodi sunt mores, eiusmodi est etiam oratio ; & rursus qualis est oratio, tales mores, vt habet vetus adagium apud Aristidem *in 2.Rhetor. aduers. Plato. defens.* & quod S. Gregorius 12. *mor. cap.14.* ad illud , *Docuit iniquitas tua os tuum* , & concinnè Christianus Pædagogus *lib.2. cap.6.* admonet ; obscœnitas vitæ , est obscœnitatis verborum radix. Idipsum de spurca scribentibus dicamus , iuxta illud Mureti in iuuenilibus ;

Rarò moribus exprimit Catonem,
Quisquis versibus exprimit Catullum.

Scitè item Iulius Scaliger *lib.5. epidorp. tit. Similes vita & libri* ;

Audens in honestis meis fundere versus,
Musisque pudicis , maculas dare impudicas.
Lasciua quasi pagina , sit vita probata.
Impurus erit ; quod habet vas, fundere soleuit.

Excusationes ergo prædictæ vix aliæ sunt , quàm quæ à Gerson *contra Romantium à Rosa* Ioannis Meldunensis , referuntur propositæ ab iis , qui fœtentissimo illi ac spurcissimo libro , præsidium quærebant. Iuuentutem aliqui autoris , & laxatum ea ratione animum excusabant. Erant qui libri eruditionem, & qui scriptionis nitorem allegarent. Nonnemo aiebat , Ioannem illum , non

in

in sua persona, sed in aliena dixisse, quæ improbanda in eo libro videri possent; in persona nimirum fatui amatoris, qui decenter, & congruè non poterat induci, loquens, nisi effœminatè, & minùs pudicè: quod non plus illi vertendum vitio contendebant, quàm Dauidi, quod loquentem Atheum induxerit, & Salomoni, quod in persona fatui, mortalē animā hominis, & Deum improuidum visus sit effutire. Aliqui mixturam bonorum, & malorum causabantur; itaque de Apostoli consilio, omnia quidem in eo libro legenda, sed sola bona probanda contendebant.

Contra indulgentiam ex autorum iuuentute, & captata animorum laxatione.

77. Verùm nulla excusationum, quas tunc obtendebant, hodiéque obtendunt obscœnitatis patroni, idonea est. Nam iuuentus quæ primo loco proferebatur, non dat facultatem, iuueniliter, id est, impurè agendi, séque & alios ad turpitudinem, & æternum exitium petrahendi. Nemini enim dedit Deus peccandi spatium, vt est apud Sapientem. Et quo sunt iuuenes vegetioris, & inflammabilioris naturæ, eo quòd in eis nondum planè restinctus sit ignis natiuus, ob quem Deus Sacramentum regenerationis nostræ, in aqua instituit, vt philosophatur Clemens Rom. eo periculosior illis est lectio, & scriptio impura. Pulcherrimè de illius ætatis flagrantia, & procliuitate ad carnis ardodores, S. Hieron. *epist.* 2. S. Ambros. *lib.* 1. *de interpellatione Iob cap.* 7. S. Aug. *serm.* 246. *de temp.* Creditus Tullius *in Consolat.* Eo itaque diligentiùs, ac sollicitiùs, ab huiusmodi incentiuis scelerum abhorrere par est, qui in flagranti illa ætate plus satis se ipsis feruent. Viderint igitur qui libros impuros, iuueniles lusus interpretantur, quibus in rebus ludere ausint. Et quàm indigna non Christiaano tantùm, sed quocumque æquo æstimatore, sit ea excusatio, qua iuuenilis laxatio fœdissima, & cum aculeo remordentis in præsentia conscientiæ coniuncta, obtenditur æternorum cruciatuum immmanitati, quam impurus Scriptor emercatur.

78. Similiter aliqui specie ioci mordent; in quos Seneca *lib.* 1. *epigr. veter. Poët.* Postquam enim descripsit hominis fellitos iocos, & retulit excusationem, quòd iocando facta esset confixio, subdit, eam excusationem disiiciens:

Bellus homo, & validè capitalia crimina ludis,
Déque tuis manant atra venena iocis.
Sed tu pérque iocum dicis, vinúmque; quid ad rem,
Si plorem, risus si tuus ista facit?
Quare tolle iocos. Non est iocus esse malignum.
Nunquam sunt grati, qui nocuere, sales.

Addo, non minùs concinnum, tametsi recentius à Christiano Poëta S. Bahusio carmen de fœdis iocis.

Nihil nisi virgineum, lector, noua Musa propinat;
Nam Cypriį lasciua tela cæculi,
Non hîc vlla sonant, non hîc quæ frænat olores.
Petis oculis ludit, aut ludit iocis.
Ludimus, ingenui verum intra claustra pudoris
Excedere hæc; non ludere est, sed lædere.

Sunt

Sunt hi ioci,& illi,de quibus agebamus, illiberales & auersandi. Quasi verò aliæ honestissimæ à lectione relaxationes deessent, quibus iuuentus absque Numinis iniuria & nocumento, distineri cum laude possit. Probanda sanè animorum quies atque remissio ex lectione, aliquódque laxamentum à contentione indulgendum. Hoc quis adeò ferus ac forreus sit, vt non agnoscat? At captanda est remissio ab honesta lectione, vel sacri libri, vel profani, sed vitio vacantis, ac non lutulenti, cuiusmodi suppetunt innumeri, cùm in alio genere, tum maximè inter historicos, sine labe, ac virtutis excidio oblectantes lectorem. Videnda castigatio hominis hæc laxamenta captantis, quam instituit Blesensis *epist.76*. Egregiè quoque Boëtius initio consolationis, ægritudinem animi, ac mœstitiam pectoris non depelli huiusmodi vel scriptione, vel lectione, his verbis tradit, inducens repulsas à Philosopho accedentes ad consolandum Musas Poëticas. [Quis has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere? Quæ dolores eius non modò nullis fouerent remediis, verùm dulcibus insuper alerent venenis? Hæ sunt enim, quæ infructuosis affectuum spinis, vberem fructus rationis segetem necant, hominúmque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem prophanum, vti vulgò solitum, nobis blanditiæ vestræ detraherent, minùs molestè ferendum putarem. Nihil quippè in eo nostræ operæ læderentur. Hunc verò Eleaticis, atque Academicis studiis attigistis innutritum. Sed abite potiùs Sirenes vsque in exitium dulces, meisque cum Musis curandum, sanandúmque relinquite.] 79.

Non abludit ab hoc loco, quod Max. Tyrius *serm.7.* de Mithæco condimentario narrat, quem Lacedæmonij finibus suis excluserunt, quòd voluptatem cibationis, quam illi à labore petitam vellent, Mithæcus à saporum adulteriis, (vt cum Tertulliano loquar,) inhonesto, vt æstimabant Lacones, principio, deriuaret. Æquè, ac potiore etiam iure excluso oporteat, qui animorum pabulum quærunt, quod eos effœminet, & cum captatæ remissionis fugitiua voluptate, amaritudinem virulentam in præcordia transmittat. Hæc planè est dulcis illa, sed mortifera delinitio sensuum, per cantum Sirenarum, quæ tandem addicit confusioni. Accipe id ex S. Ambrosio *lib.3. de fide cap.1.* [Hieremias de Babylone memorauit, quòd habitabunt in ea filiæ Sirenum; vt ostenderet, Babylonis, hoc est, secularis confusionis illecebras, vetustæ lasciuiæ fabulis comparandas, quæ velut scopulosо in istius vitæ littore, dulcem resonare quandam, sed mortiferam cantilenam ad capiendos animos adolescentium viderentur. Quam sapiens, etiam ab ipso Poëta Græco inducitur, quasi quibusdam prudentiæ suæ circumdatus vinculis,præteriisse.] Hoc est, mel iuxta Hesychium *in cap.3. Leuitic.* cuius dulcedinem Deus auersatur,& inferri altari suo vetat. Apes quidem Poëtæ, vt latissimè prosequitur Muretus 8. *var. cap.1.* At mel illud, mel sardoum, & venenatum, cuius dulcedo planè auersanda. 80.

Ex his concidit, quod aliqui circa libros Poëticos obscœnos excusarunt, dicentes subiectam materiam omnino ferre admisceri aliquid impurum, alioqui fore insulsam & illepidam scriptionem; & ita fecisse omnes qui ei scriptionis generi dedere operam, cæteroqui probos. [Lasciuam verborum licentiam, (ait Martialis *in epistola præfixa Epigrammatis*,) id est, Epigrammatum

tum linguam, excusarem, si meum esset exemplum. Sic scripsit Catullus, sic Marsus, sic Pædo, sic Getulicus, sic quicumque perlegitur. [Et mox,

Innocuos censura potest permittere lusus.
Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Nec ita multo pòst.

Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne possint, nisi pruriant, inuare.

Idem excusat in Apologia Apuleius, cum conscriptis obscœnis carminibus argueretur. Similiter Catullus scribens ad Aureliam & Furium.

Nam castum esse decet pium Poëtam
Ipsum; versiculos nihil necesse est.
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi & parum pudici;
Et quod pruriat, incitare possint
Non dico pueris, sed iis pilosis
Qui duros nequeunt mouere lumbos.

Eodem tegmine suas carminis petulantias excusabat Naso 2. *de Trist.* dicens præter cætera.

Nec liber indicium est animi, sed honesta voluntas.

Id quod pluribus exequitur. Et addit exemplum anteriorum, refugientium insipiditatem Poëseos.

Sic sua lasciuo cantata est sæpè Catullo
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulganit amores,
In quibus ipse suum, fassus adulterium est.
Par fuit exigui, similisque licentia Calui:
Detexit variis qui sua facta modis.
Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen? Apud quos
Nomen adest rebus, nominibúsque pudor.
Cinna quoque his comes est, Cinnáque procacior Anser;
Et leue Cornifici, párque Catonis opus.
Et quorum libris, modò dissimulata per illos;
Nomine nunc legitur dicta Metelle tuo.
Is quoque Phasiacas Argon qui duxit in vndas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ.
Nec minùs Hortensi, nec sunt minùs improba serui
Carmina. Quis dubitet nomina tanta sequi?

Dubitabit fanè, imò refugiet quiuis honestus & probus. Sapienter enim Valerianum monebat Eucherius in Paræneſi, cùm diceret. [Obsecro te, delictum alienum semper vt opprobrium respice, nunquam vt exemplum.] Opprobrium fuit tantorum, (scilicet,) nominum, quòd scriptiones suas insipidas duxerint, nisi obscœnitatibus pruritum cientibus respergerentur. Hoc nemo probus assumet in exemplum. Nec subiectam materiam id ferre verum est, cùm abiicienda sit cœnosa quæuis materia scribendi tanquam indigna probo viro,

cui

cui magis sapiet, imò solùm sapiet, quod pudicum erit, nec illicitum ciebit pruritum. Et ita statuendum esse liquet ex paulo antè disputatis. Quod autem de vita proba scribentis, licèt impudica, allegabatur, iam *suprà* euersum est.

Aduersùs excusantes obscœni operis eruditionem.

Eruditio in fœdo opere promercalis, (quod secundum erat impuritatis perfugium,) inidonea excusatio est ad illius lectionem, vel asseruationem. Quinimò indignissimum est, eruditum, velut suem, circulum aureum naribus præferentem, doctrinam immergere in volutabrum illud, vt optimè philosophatur Cassianus *coll.*14. *cap.*16. Possumúsque cum eodem *ibidem*, diffiteri, aliam quàm *falsi nominis scientiam*, vt 1. *Timoth.*6. dicitur, his immundis vasis contineri; [Nemo enim, (inquit *idem cap.*14.) in vas fœtidum atque corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit. Faciliùs enim quamuis odoratissimum myrum semel horrendis imbuta fœtoribus testa contaminat, quàm vt aliquid ex eo suauitatis, aut gratiæ, ipsa concipiat: quia multo citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur.] 82.

Sit vero aliquid eruditionis in his libris. Non deërunt puri fontes, & illimes, è quibus hauriatur latex doctrinæ absque vlla cœnositate. Et vt deessent alij, (quod nunquam dabimus,) præstaret aliquid ignorare, potiùs quàm in exitium æternum ruere. Benè, homo cæteroqui sanctitatis nequaquam exquisitæ, Laurentius Valla, laudem idcirco à Viue *lib.*3. *de tradendis disciplinis*, assecutus est, quòd in verbum quoddam obscœnum cùm incidisset, cuius explicatio expectanda videretur in opere Grammatico verborum explicationi addicto, dixerit tamen, ignorari malo, quàm me docente sciri. Nec minùs congruit, Christianum lectorem profiteri, ignorare se malle aliqua, quàm discere. Et consonat illud Chrysostomi *hom.*5. *de prouid.* [Melius est aliquid ignorare, quàm turpiter scire.] Poterítque is qui ita animo compatratus erit, securus cum Iobo dicere, *& si ignoraui, mecum erit ignorantia mea*, id est, interprete S. Gregorio 14. *mor. cap.*14. proderit mihi, quòd aliqua ignoraui, aliis verò è contrario oberit, sciuisse, quæ ignorare præstitisset. Hoc planè verissimum agnoscitur in iis, qui turpia sciunt, vel quorum cognitio nisi adiunctis fœcibus turpitudinum exquiri non potest. [Melius est aliquid nescire securè, quàm cum periculo discere,] ait Hieron. *epist. ad Eustoch. de custod. virginit.* & agit de castitatis, ac pudicitiæ periculo. Concinit item D. Augustinus *cap.*27. *Enchir.* dicens. [Sunt quædam, quæ nescire, quàm scire, sit meliùs.]

Hæc ad eos maximè pertinent, qui vltrò gemmas legunt è stercore. Quanquam in illis quoque disciplinis, ad quarum ambitum pertinet tractatio aliquorum obscœnitati affinium, ea parcitate captatur, vel proditur eruditio, à modestis tractatoribus, vt non necessariis omnino reciſis, ea ipsa, quæ proponere necessitas adigit, verecundè, & adhibitis verborum circumlocutionibus exprimant. Quamuis enim Tertullianus *lib. de anima cap.*29. duri ingenij homo, negat pudere debere necessariæ interpretationis, & naturam venerandam esse 83.

dicat, non erubescendam; ideóque plerumque licentiùs in ea describenda feratur, quæ non nisi insinuari, vel etiam premi conuenientius fuisset, id quod ab Abulensi per simplicitatem malitiæ nescium, variis locis præstitum, obseruare sæpè memini. Tamen, in illis quoque disciplinis, quas dixi necessariò in eas fæces stylum immergere, pudicus lector Lactantij consilium probabit, monentis *lib. de opif. Dei, cap.*13. [vt indumento verecundiæ, quæ sunt pudenda velentur.] Scripturæ veluti verecundiam, vt cum Tertulliano loquar, *lib. de ieiunio cap.*6. id est, in exponendis turpibus honestatem, exhibet Genebrardus *in Psal.*50. *ad vers.*1. & Pineda *cap.*31. *Iobi, ad vers.*10. Adeundus etiam Orig. *homil.*6. *in Ezech.* Imò non proferri in tota Scriptura voculam, quæ turpem quampiam, & obscœnam actionem designet, asserit latè Mendoça *in cap.*1. *Reg. in expos. literæ ad vers.*19. *num.*6. & linguam Hebræam idcircò dici *linguam sanctam*, quòd desint illi voces, quibus vel fœda opera, vel membra quæ pudor celare docet, denominentur, notauit Rabanus *lib.*14. *etymolog.* adductus à S. Bonau. *lib.* cui titulus, *Principium sacræ Scripturæ*, vbi de munditia Scripturæ in turpibus exponendis, pluscula. Pudentiores Ethnicos, idipsum seruasse, monstraui *lib.*6. *de virtut. num.*154.

84. Nunc illud vnum ex D. Augustino addam, 14. *Ciuit. cap.*23. vbi cùm adigeretur exponere, vnde sit impotentia mentis, ac œstrum, quo agitantur qui dant liberis operam; dixissetque, in Paradiso, nisi Adami culpa beatum illum statum temerasset, nihil inhonestatis, aut inuerecundiæ in eo opere eiusque idiunctis omnibus, fuisse cernendum; exhibens planè luculentum paradigma modi quo sunt hæc argumenta tractanda, cùm tractanda sunt, eóque adigit iusta necessitas, vel non dimittenda vtilitas, subdit. [Quòd modò de hac re nobis volentibus diligentiùs disputare, verecundia resistit, & compellit veniam honore præfato à pudicis auribus poscere, cur id fieret nulla causa esset; sed in omnia, quæ de huiusmodi membris sensum cogitantis attingerent, sine vllo timore obscœnitatis, liber sermo ferretur; nec ipsa verba essent, quæ vocarentur *obscœna*; sed quidquid inde diceretur, tam honestum esset, quàm de aliis, cùm loquimur, corporis partibus. Quisquis ad has literas impudicus accedit, culpam refugiat, non naturam: facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillimè pudicus, & religiosus lector, vel auditor ignoscet, donec infidelitatem refellam, non de fide rerum inexpertarum, sed de sensu expertarum argumentantem; leget enim hoc sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, quæ immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam: præcipuè, quia non damnabilem obscœnitatem nunc, sicut ille, commemoramus, atque comprehendimus, sed in explicandis quantum possumus humanæ generationis affectibus, verba tamen, sicut ille obscœna deuitemus.]

Excursio

Excursio opportuna in quosdam fori rabulas, operis Thomæ Sancij de Matrimonio, allatratores?

Volo per hanc occasionem non silere, quàm iniquè ac malignè, grauissimus scriptor, & in morali Theologia æuo suo facilè Princeps, Thomas Sanches, laceratus sit à quibusdam fori rabulis, quorum vitæ spurcitias, & fidem heteroclitam, alij iam pridem prodiderunt. Sed & hæretici, de quorum impudicitia & spurcitiis alibi plenè, nec parcè Iosephus Stephanus *lib. de vnica Religione cap.*11. & Gretserus *lib.*3. *aduers. cap.*7. magno hîc zelo concitantur, quod recèns admodum petulanter fecit Ludimagister Bernensis Christophorus Luthardus, ad parallelum Caluini cum priscis hæreticis Simonianis: spurciloquia sua in Sanchem, mendaciter affingens Academiæ Parisiensi. Scripsit ergo Thomas Sanches de Sacramento Matrimonij insigne volumen, Clementi VIII. Pontifici Iurisconsultissimo, sub cuius Pontificatu est editum, summè probatum, eóque exornatum elogio, quod ab oculo non liuente, & iudicio non anteoccupato, confertissima eruditio, tractandi methodus accurata, perspicuitas insignis, & planè singularis diligentia, decora denique omnia eximij scriptoris, extorserant. Eius operis libro vno, quo de coniugali debito agitur, nonnulla proponuntur, & enodantur dubia de fœdis actibus, qualia passim apud Summistas, & alios matrimonij tractatores, leguntur impunè. Hinc molliculi quidam, Curios simulantes, & Bacchanalia viuentes, in Thomam Sanchem concitantur: fuerúntque qui de illo talia chartis illinerent, quæ referre vetat pudor. 85.

Sed Sanchem, hominem sanctissimæ vitæ, & perpetuo virginitatis candore nitentem, vt graues scriptores prodiderunt, (pangunt ei luculentum elogium Ioannes Bourghesius libro cui titulus est, *Societas Iesu, Deiparæ Sacra cap.*20. & Crombetius *lib.*2. *de studio perfect. cap.*12.) Sanchem, inquam, possumus iisdem verbis se purgantem inducere, quibus in sua causa vsus est Petrus Blesensis *tract. de confess. Sacram. sub medium*, cùm huiusmodi cloacinam aliquandiu versasset, vt eam expurgaret. [Turpe, (ait,) reputas, de tam turpi materia loqui; sed turpior est Infernus. Si fœdus est sermo, fœdius est putrescere in peccato. Num quid audebis facere, & ego illud dicere non audebo? Testis in cœlis Deus, etiam conscius in excelsis, quod zelo, & sitio salutem animæ tuæ, & tota hæc exhortatio mea procedit ex medullis animæ, & adipe charitatis.] Pro *exhortatione*, substituo *disputationem*, quæ ex eo fine edita, non potest videri probrosa autori, nisi si est Medico indecorum, vel probrosum, quod ad ægri curationem, spurcitias fœtentissimas, & olidissima eiectamenta emoueat.

Qui Patres spurca parcè, & prudenter, vt Sanches, attigerint.

Ratiocinatio est S. Chrysostomi *hom.*37. *in* 1. *ad Cor. in fine*, cùm spurcitiis libidinantium refellendis institisset, eósque vt reprehenderet, descripsisset. [Hæc, (inquit,) si dicta sunt apertiùs, quàm par sit, nemo me reprehendat; nolo enim dicendi grauitate ornare orationem, sed graues, & honestos facere auditores. 86.

Propterea Prophetæ quoque, nulli huiusmodi verbo pariunt, volentes Iudæorum exscindere libidinem, & intemperantiã: sed eos quoque tangunt apertiùs, quàm nos nunc, propter ea quæ diximus. Medicus enim volens exscindere putredinem, non eò spectat, vt mundas conseruet manus, sed vt illum liberet à putredine: & is, qui humilem vult excelsum reddere, ipse priùs fit humilis, & qui studium ponit, vt occidat insidiatorem, se quoque cum illo cruentat, & hoc eum facit clariorem.] Hæc & alia ex eodem Sancto Doctore signare in hanc rem memini in opere *de calumnia sect.2. serie 3. cap.10. ex homil.5. in 1. ad Thessalon. & ex lib.3. aduers. Vituper. vitæ monast.* Nec aliter alij Patres.

87. S. Epiphanius *hær.26.* Spurcitias Gnosticorum exorsus eloqui, primùm abrumpit cœptum sermonem, [vt ne audeam quidem, (inquit,) totum eloqui, nisi sanè cogerer propter excellentem animi mei dolorem per ea, quæ vanè ab ipsis fiunt, stupore perculsus. Ad qualem magnitudinem, ac profunditatem malorum hostis hominum Diabolus, ducit ipsi credentes, vt polluant & mentem, & cor, & manus, & ora, & corpora, & animas eorum, qui ab ipso in tanta cœcitate eruditi sunt? Timeo autem ne fortè magnum hoc venenum, totum reuelem, velut cuiusdam Basiliſci serpentis faciem ad perniciem magis legentium, quàm ad correctionem: polluit enim reuera aures magnæ huius audaciæ blasphema collectio, & hæc turpitudinis coaceruatio, & enarratio, ac fraudulentæ huius turpis operationis cœnosa maleuolentia, &c. Attamen, quia neque præterire possum in totum, cogor omnino effari. Nam & S. Moses Spiritu sancto plenus scribit; *si quis viderit cædem, & non manifestauerit, maledictus fuerit talis.* Quapropter non possum magnam hanc cædem, & magnam istam lethalem operationem, silentio præterire, & non declarare: fortassis enim vbi declarauero prudentibus hunc lapsum, velut puteum interitus, timorem ac horrorem inducam, ad hoc vt non solùm vitent, sed etiam lapidibus impetant obliquum illum serpentem, ac Basiliscum in profundo barathro latitantem, vt ne appropinquare quidem alicui audeat.] Et mox, enarratis ex parte Gnosticorum turpitudinibus. [Reuera, (inquit,) erubesco dicere turpia, quæ apud ipsos fiunt, iuxta Apostoli illius sancti dictum, nempe; *quæ apud ipsos fiunt, turpe est etiam dicere.* Attamen non erubescam dicere, quæ ipsi facere non erubescunt, vt omnibus modis horrorem incutiam audientibus turpia quæ ab ipsis perpetrantur facinora.] Rursus *infrà.* [Et oportebat quidem hæc neque dicere, neque digna putare, quæ in literas referantur: verùm sepeliri velut mortuum quendam fœtidum, & pestilentem graueolentiam exhalantem, vt ne etiam per aures læderet hominem. Et si quidem præteriisset talis hæresis, & non esset ampliùs in mundo, bonum esset hanc sepelire, & neque omninò de ipsa dicere. Quandoquidem verò, & peragitur, & vos hortati estis nos, vt de omnibus dicamus, partes ipsius coactus recensui, vt veritatem non silentio præteream, sed exponam ad auertendos quidem auditores, ad confusionem verò eorum qui faciunt.] Tandem *sub finem* post longam huiusmodi obscœnitatum congeriem. [Quid verò aliud dixerim, aut quomodo excusſero lutosum hunc laborem? Cùm velim quidem dicere, & non velim; sed cogar, vt ne videar quid de rebus his occultare, & timeam ne horrenda ipsorum delicta reuelando, aut polluam, aut offendam, aut eos, qui voluptatibus, aut cupiditatibus ducuntur, ad curiosiùs de hoc inuestigandum impellam.

lam. Attamen ego quidem innocens fuerim, & vniuersa S. Ecclesiæ soboles, & omnes qui hunc librum legerint, & hac subseminatione, & maligna Diaboli improbitate.] Breuius idipsum, in rebus gestis S. Gregorij Nazianzeni, dixit Gregorius Presbyter allegato Ethnico quodam, qui etiam fœda, vtiliter interdum scribi, ac legi dixit.

Retulerat coram omni plebe Christiana, Cyrillus Hierosol. *catech. 6. sub finem*, Manichæorum fœditates, longè horribiliores, quàm quales Thomas Sanches operi solis eruditis seruituro, commiserat; nec crimini sibi vertendam censuit S. Cyrillus, eam alienorum probrorum commemorationem, illa duntaxat excusatione vtens. [Annunciat hæc Ecclesia, & docet, attingíque sordes illas, vt tu non polluaris: dicit vulnera, vt tu non vulnereris.] Et *paulo pòst*. [Propter vestram securitatem, etiam perditionem curiosè scrutabamur; sed Dominus liberabit nos ab huiusmodi errore.]

Hincmarus Remensis, Antistes magni suo æuo nominis, *opusc. de diuortio Lotharij, & Tetbergæ*, coactus est stylum demittere in spurcitias longè fœtidiores, quàm vspiam apud Sanchem legantur, hæc præfatus, quæ Sanches suis allatratoribus iure possit reponere. [Nemo nos execret impudicos, de huiusmodi impudicitiis, quas verecundæ aures erubescendo refugiunt, sermocinantes; quia timore Christi, quem in se locutum fuisse, veraciter dixit Paulus, inter alia de talibus disputauit. Illa quæ ex interrogatis sentire poterimus, nequaquam tacere audebimus, tenente nos eo, atque dicente, *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Nemo etiam debet exacerbari, audiens turpitudines infirmitatum, quas venenata Diabolicæ malignitatis calliditas, humanæ infligit fragilitati, sciens se secundùm Apostolum, circumdatum esse infirmitate, & considerans seipsum, ne fortè & ipse tentetur. Neque debet metuere, (Beato dicente Gregorio, *in regula pastorali*,) vt dum aliena tentamenta condescendendo cognoscit, eisdem tentationibus, etiam ipse pulsetur, quia & hæc eadem, per quam populi multitudo in lutere, iubente Domino per Moysem facto, diluitur, aqua proculdubio inquinatur. Nam dum sordes diluentium susceipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur. Et tanto alienarum infirmitatum impuritates, & patienter audire, & infirmis medicinali consilio, prout cuique expedire viderit, debet modis omnibus subuenire, quanto Deum, (vt ipse per Prophetam dicit,) sustinendo laborare in nostris iniquitatibus, & occulta dedecora nostra, & ipsarum etiam cogitationum immunditias conspicere, & misericorditer portare diuina expectatione, ignorare non potest.] Ioannes Saresberiensis *epist.* 291. haud dissimiliter. 88.

Hæc pro se Sanches, ad illos quos dixi spurcos, zelum castitatis, & sanctimoniæ ementientes, iure reponat. Apud prudentes autem, & conscios temperationis qua Sanches in eo argumento est vsus, purgationem nullam desiderat, præsertim si liuor oculos non fascinet. Vnius & grauissimi & doctissimi è recentioribus testimonium ex eius *disput.* 43. *selecta de Sacram. num.* 16. dignum videtur quòd hîc non prætereatur. [Thomæ Sancio, (inquit,) cedant omnes 89.

omnes scriptores rerum moralium. Semper namque quoties huius tanti Doctoris curam in perquirendis autoribus tam Theologis, quàm Iurisperitis intueor, & rerum examinatarum copiam, in admirationem rapior, & contineri non possum quin cupiam omnia ossa mea in linguas verti peritas, quibus exactè, (si possem,) laudes dignas tanto viro, manifestas vniuerso Orbi traderem. Mirabilem Deum esse in sanctis suis regius Propheta Psal. 67. est testatus. Mirabilem quoque fieri in doctis suis, nullus dubitauit. Mira ergo Dei largitas, lucem & sapientiam communicantis huic Doctori, ostenditur; modò dilectio excedens erga sacratam Societatis IESV Religionem elucet, cùm tot tantósque filios sapientia & literis præditos, ei præstiterit, & inter illos hunc Thomam Sanches gigantem exhibere fuerit dignatus. Maximè dilecta Deo Religio, intende prosperè, procede, & regna,] Audiat blatero Sancij dehonestator, & quidem non Religiosum, vel Monachum, qui notari possit adulationis; sed secularem Theologum, eruditioni, accurationi, circumspectioni Sancij, in versandis fœdis cæteroqui materiis, testimonium perhibentem.

Quid verò per Thoma Sanche in hac parte purgando laboramus, cùm eidem crimiaationi, diuina Scriptura, eiúsque siue Autor Spiritus sanctus, siue Amanuenses Canonici scriptores, patere possint? Notauit hoc Radulphus Flauiacensis agens de plerisque spurcitiis in Leuitico expressis. [Multi, (inquit,) cùm in scripturis talia reperiunt, abominantur, auertunt auditum, & penè si auderent, legem diuinam, quod in ea talia scripta sint, reprehendere niterentur. Sed meminisse debemus, quia aliud est de vitiis cogitare, aut loqui sub ratione peccandi, aliud ea intentione discutere, vt subtiliùs agnita, faciliùs euitentur. Nobis potiùs imputari deberet, qui audire talia digni sumus, quàm legem diuinam in aliquo reprehendere præsumere.] Addit quod in hanc rem attentissimè expensum velim. [Nos temeraria præsumptione arguimus lumen, quod nos ipsos nobis ostendit; arguimus verbum Dei, quod sine suo vitio, nostra vitia reprehendit. Quid agis humana superbia? Tantæ sunt sordes tuæ: in has fæces deuoluta es; & sermo Dei qui curam tui suscepit, non aliter subuenire tibi posset, nisi in stercora tua quodammodo manus mitteret; & vt tibi sordes detrahat, (si dici fas est,) ipse contraheret. Sicut tamen radius Solis incontaminatus cloacas penetrat, sic stylus Spiritus sancti, propter suam munditiam vbique attingit, & nihil inquinatum in illum incurrit. Quòd autem sordescere visus est, tibi adscribe; tui enim causa factum est.] Hæc pro Canonico scriptore, ipsóque Spiritu sancto à Radulpho disputata, æquè pro Thoma Sanche faciunt, & pro quocunque sobrio Scriptore, quem proximi iuuandi necessitas stylum in fæces scelerum demittere adegerit, cum ea temperatione ad metrum necessitatis admensa, quæ tales limites non transgrediatur.

Hæc modestia, & parcitas, ac circumspectio scriptionis, meritò exigitur à captantibus necessariam eruditionem, siue Medicis, siue Theologis; & à prudentibus ac pudentibus Doctoribus cùm in eam necessitatem adducuntur, omni studio retinetur. Qua in parte imitantur scripturam, quæ adacta res per se turpes memorare, obducit eas nitentibus vocibus, potiúsque adhibet Antiphrases. Audi Chrysostomum *hom.4. de patientia Iobi*, ad illud, *si non in faciem benedixerit*

benedixerit tibi. [id est, (inquit,) *maledixerit* ; nam Scriptura benedictis maledicta velauit. Et quare hæc scripta sunt ? Vt tu fidelis discas, cùm alieni mali turpia narraueris, eadem verborum honestate velare : neque honesteris turpibus operam præbens, sed turpium locutionem fugiens. Propterea, (inquit Apostolus,] *omne verbum turpe non exeat de ore vestro.*]

Contra excusantes nitorem sermonis in libro obscæno.

Æquè reprehensioni patet obtendiculum tertium impuritatis, nempè cupiditas combibendæ elegantiæ. hæc quanta sit deceptio, doceo verbis S. Augustini 1. *confess. cap.* 16. [O flumen Tartareum ! iactantur in te filij hominum, cum mercedibus, vt discant, & magna res agitur, cùm agitur hoc publicè in foro, in conspectu legum, super mercedem salaria decernentium, & saxa tua percutis, & sonas, dicens, hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis, sententiisque explicandis maximè necessaria ; ita verò non cognoscerемus verba hæc, imbrem aureum, & gremium, & fucum ad templa cœli, & alia verba, quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc ; Iouem quo pacto Danae misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cælesti magisterio. At quem Deum, (inquit ?) qui templa cæli summo tonitru concutit. Ego homuncio id non facerem ? Ego verò illud sponte feci, ac libens. Non omninò per hanc turpitudinem verba ista commodiùs discuntur, sed per hæc turpitudo ista confidentiùs perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa atque pretiosa, sed vinum erroris quod in eis nobis propinabatur ab ebriis Doctoribus ; & nisi biberemus, cædebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium, licebat.] 90.

Nolo inficias ire, quod de pulchris turpiter loquentibus dixit Laërtius *lib.* 6. eos ex eburnea vagina plumbeum gladium educere, aliis quoque conuenire ; & scriptoribus præsertim, eloquentia qua pollent ; & elegantia abutentibus ad escam fœdæ voluptatis. Fateor, inquam, scriptores nonnullos per insignem ingratitudinem in Numen, beneficiis eius splendidissimis, eloquentia, & sermonis venustate, atque concinnitate inuentorum, abuti in Dei ipsius inhonorationem ; posséque de hac indignissima per eos rei tam pretiosæ inquinatione, dici quod de Symmacho eloquentiâ ad impietatem abutente, scriptum est à Prudentio in ipsa propè meta prioris libri aduersùs eum.

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipse
Tullius, has fudit diues facundia gemmas.
Os dignum aterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter, quàm si rastris quis tentet eburnis ;
Cœnosum versare solum, limóque madentes
Excolere aureolis si fortè ligonibus vluas.

Splendorem dentis nitidi, scrobs inquinat atra,
Et pretiosa acies, squalenti sordet in hara.

Hoc in plerosque obscœnos scriptores æquè cadere, eorúmque pretiosam aciem squalenti in hara sordere, Catullus, Martialis, Petronius, aliíque perspicuè comprobant.

91. Sicut tamen non sapiat, qui vultus nitorem eo pharmaco aut malagmate captet, à quo vitæ impendeat certum exitium; ita nemo sapiens vnquam deliget inquinari sordibus longè teterrimis, vt nescio quam venustatem nullius pretij, tanto cum damno assequatur: satiúsque fuerit, librum simpliciter ac inuenustè conscriptum, sed solidum ac pium terere, quàm impurum verbis nitentissimis splendentem. Perbellè S. Cyrillus *lib.7. in Iulianum.* [Numquid si quis aureo cochleari helleborum infundat, & alteri non aureo, sed ex vilissima materia, apum laborem, hoc est, mel imponat, & sorbere iubeat quod placuerit, nunquid materias inspiciens, palmam dabit deterioribus; vel rectè iudicans vtile nociuo præferat, etiamsi in vilissimo proponatur vasculo?] Rectè item de se Blesensis. [Secularis lex, glorioſa supellectili verborum, lepidáque orationis vrbanitate lasciuiens, inebriauerat mentem meam. Sed abhorret Propheta aureum calicem Babylonis, vbi designatus est lepor eloquentiæ, ædificans ad gehennam.] Ita ille *epist.26.* Prouidendum itaque cuique, ex S. Gregorij 27. *mor. cap.1.* præclaro monito, [ne cum virtutum flore, morum vitia colligat, & in eo quod loquendi notitiam assequitur, viuendi se imperitia transfigat, &c. nedum improuidè dictorum flos legitur incautè legentis manus, morum spina laceretur.] Idem egregiè admonet S. Basil. *orat. de leg. lib. Gentil.* omnem hîc animi custodiam deposcens.

Quin etiam ægrè adducetur pectus verè Christianum, vt nitorem, aut concinnitatem dictionis arbitretur, quæ cum tali, rei subiectæ fœditate, coniuncta est. Nam dictio nihil esse videtur, præter thecam, aut vaginam sensorum intùs abditorum. Spurcitiem porrò sordium intra thecam, aut vaginam conditarum, refundi in hæc inuolucra & tegmina, nemo non videt. Hoc spectarunt, qui solœcismum in Christiano esse dixerunt, peccatum quodcumque, etiamsi nitentibus ac luculentis verbis expressum. [Apud Christianos, (ait S. Hieronymus *lib.1. contra Heluidium*) solœcismus est magnus, turpe quid vel narrare, vel facere.] Nec dissimiliter loquitur Petrus Damiani *sermone de S. Anthimo, in fine.* Quòd si, iuxta Sidonium, quidam barbarismus est morum, sermo iucundus, & animus afflictus, (planè accommodatè; nam iuxta Flauium Caprum, Priscum Grammaticum de Ortographia, *Barbarus* idem est quod *vitiosus*; & *barbarismus* idem quod *vitium*,) multo sine dubio incongruentior & fœdior est barbarismus, sermo iucundus ob elegantiam, aut sales, & animus eo sermone afflictus, imò confossus, imò vita gratiæ & sanctitate priuatus. Scortum denique, nemo probus adducatur, vt amari abs se velit, tametsi mundo immundo, supra honestam matronam niteat; hoc ipsum est in libro obscœno, dictionis elegantia, quod in scorto venustas, & externus ad prolectandos improuidos apparatus.

92. Melli venenum tegenti, eloquentiam elegantiámque sermonis fœda conuestientem, componit Lactantius *lib 5. cap.1.* Sed planè egregie S. Basilius *orat. de legendis Christiano Gentilium libris.* Optimè item Orig. *homil.2. in Ierem.* expen-

dens

dens illud ex *cap. 5. Hierom. Calix aureus Babylon*; exponit eum calicem aureum, nitorem sermonis, quo obscœna & nefaria, obtecta propinantur. Sic verò scribit præter cætera. [Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, quod parabat potari; sed neque in paulo meliore, & æreo vase, vel stanneo, & quod ista præcellit, argenteo: verùm eligens vas aureum, in eo poculum temperauit, vt qui viderit decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, & totus oculis hæret in specie, non consideret quid intrinsecus latitet, & accipiens calicem bibat, nesciens calicem Nabuchodonosor. Intelligens autem calicem aureum in præsenti nominatum: sed animaduertas pessimorum dogmatum verba mortifera qualem habeant compositionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum diuisionem; cognosces quomodo vnusquisque Poëtarum, qui putantur apud vos disertissimi, calicem aureum temperauit, & in calicem aureum venenum iniecerit idololatriæ, venenum turpiloquij, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt dogmatum, venenum falsi nominis scientiæ: sed meus Iesus contrà fecit, sciens aureum calicem zabuli, & præcauens ne aliquis ad fidem suam veniens, suspicaretur etiam Christi talem esse calicem, qualem esse requirat, & per similitudinem materiæ, formidaret errorem: ideò curauit, vt haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sæpè vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu; & dogmatum venena considerans, deprehendi calicem Babylonis.]

Non dissimiliter S. Hieroym. *in cap. 3. Ionæ*, circa illud, *peruenit verbum ad Regem Niniue*, multa prolocutus de iis, qui inter homines habentur *Reges*, hoc est, de excultis doctrinâ viris, qui nouissimi audiunt verbum, & deposito fulgore eloquentiæ, serò se simplicitati, ac rusticitati tradunt; calicem aureum Babylonis, ex quo inebriatur omnis terra, interpretatur eloquentiam secularem, quæ ita verborum nitorem quærit, vt sordes sensuum negligat. Id quod maximè de obscœnis scriptoribus, cum nitidè & disertè scribunt, vsurpatur. Cauendum igitur est, ne ex illo aureo poculo hauriatur venenum exitiale bibenti.

Non est proinde ferenda petulcitas Angeli Politiani, qui Prologum in Plauti 93.
Menæchmos, in gratiam cuiusdam Pauli Comparini conscriptum, his dehonestauit versibus, aduersùs Prædicatores obstrepentes, contendens ob summum in Plauto nitorem dictionis, & elegantiam, ob quam iam olim dictum est, Latinè vellent etiamsi Musæ loqui, nullis vsuras, nisi Plautinis vocibus, probandum maximè esse Plauti vsum adolescentibus; tametsi & rebus, & personis spurci Comici. Sic igitur ille *lib. epist. 7.*

Sed qui nos damnant, histriones sunt maximi,
Nam Curios simulant, viuunt Bacchanalia.
Hi sunt præcipuè quidam clamosi, leues;
Cucullati, lignipedes cincti funibus,
Supercilioſum, incuruiceruicum pecus.
Qui quòd ab aliis & habitu, & cultu dissentiunt,
Tristésque vultu vendunt sanctimonias,
Censuram sibi quandam & tyrannidem occupant,
Pauidámque plebem territant minaciis.

Insipienter omninò, ac indignè Sacerdote, & Canonico; quam personam malus iste Angelus sustinebat.

94. Flagellare iuuat huius è sacro Ordine hominis, inuerecundiam, adscripto iudicio Camerarij in Præfatione Plautina. Tametsi enim à Religione Catholica extorris fuit, tamen quantoperè alienus fuerit à sensu eorum, qui illicem. ad obscœnas scriptiones habent elegantiam sermonis, his verbis aperuit. [Puerili ætati in primis hoc impendet periculum, morum sanctitatis, & innocentiæ atque pudoris. Quem si simpliciter, & quasi ex professo, lædunt poëmata, multo erit satius, penitus illa aboleri, & vt περίεργα βίβλια concremari, quàm omninò inspici, nedum proponi studiis puerilibus. Atque fuerunt quædam semper, & nunc sunt talia, quæ exterminanda de scholis existimamus. Nam quod ille ait defendens lasciuiam carminum suorum,

Vita verecunda est, Musa iocosa mea.

Et alter pronunciare audet, tum demum salem & leporem habere versus,

Si sint molliculi, & parum pudici.

Horum vterque planè desipit, neque assensionem inuenire à nobis debet. His igitur nequaquam assentiemur commendatoribus obscœnitatis: multo autem minùs illi scurræ, qui obscœnè loquentes, ait, Romana simplicitate loquis; & talia scripta prorsus excludemus è scholis puerilibus, & ab illis tanquam à peste bonæ mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atque si qua scripta tota sunt huiusmodi, tota exigantur, & reiiciantur: sin minùs, & in illis est alicubi aliquid quasi purulentum, & γαγγραινῶδες, illud recidatur vt reliqua, depulso veneno tutò attingi possint. Præstaret enim, vel ineruditissimum esse aliquem, quàm per eruditionem imbui spurcitia, & impuritate; vel etiam impietate, scelere, furore.] Confer hoc iudicium hominis laici, & Lutherani, cum sensu Politiani Sacerdotis; nec dubitabis vter in tam diuerso statu, sanctiùs, iustiùs, puriùs pronunciauerit.

Aduersùs hoc tertium impuritatis obtendiculum, multa peti possunt ex S. Isidoro *lib.3. de summo bono cap.13.* Ego adscripto Epicteto ex Arriani *lib.4. cap 11.* abeo. [In cœno, & sordibus, pulchritudo non inest; nec in cœno se equus volutat, aut generosus canis, sed sus tantùm, & putidi anseres, vermiculi item, & araneæ.]

Disiecta excusatio, quòd obscœnus scriptor loquatur in aliena persona.

95. Obtendiculum quartum impuritatis proferebatur, quòd pleraque in turpibus libris impura atque obscœna, ab autore libri dicantur, non ex persona sua, sed ex persona eorum, qui referuntur loquentes; Scorti, v. g. aut lenonis, quos cum decoro & congruè induci fœda loquentes, necesse sit, cùm grauia, & casta non deceant eas personas. Hæc excusatio apud Photium *cod.106. imbecillum patrocinium* dicitur. [Nam, vt maximè, (inquit,) in disputatione hoc pacto rectam sententiam declinare, ab eáque recedere non omninò absurdum, aut reprehensione dignum videatur; (nam ibi, pleraque ex eius qui contrà disputat, sententia, & opinione, ac quasi vi fiunt,) in scripta

scripta tamen oratione, quæ legis instar omnibus in communi proponenda sit, si quis hanc, sui purgandi causa, blasphemiæ conscriptæ defensionem afferat, is sanè ad imbecillum confugiet patrocinium.] Sic ille, (iure an iniuria, in præsentia non refert,) Theognosti libris insperforum errorum excusationem vanam, quòd ex aliena persona propositi essent, iure repellens. Theognostum quidem S. Athanasius scribens in illud Euangelij, *quicumque dixerit verbum contra filium hominis*, appellat priscum, admirandum, & perquam studiosum, vt propterea haud inanis sit suspicio, Photium in aliquem Theognosti adulteratum codicem incidisse. Quod tamen errorum eius libris insperforum, (vndecunque irrepserint,) ea proferretur defensio, meritissimò improbat Photius. Reuera enim hæc ieiunissima planè excusatio est, & nullius iudicij hominem redolet. Sic enim Lucianum, & alios pleroscque Atheos purgaremus, quòd horrenda, quæ in Numen euomunt, adhibita persona scurræ cuiuspiam, quem ea infamia onerant, in vulgus efferant. Nec iuxta hanc rubricam, liceret Platonis mentem è libris quos conscripsit expiscari; quod obuium semper foret, causari, non Platonis, sed personarum quas congruè decori seruiens inducit, fuisse sententiam, quæ apud Platonem legitur. Abbatem Chæremonem Cassianus *collat.* 13. multa disputantem inducit, pro errore tribuente quandoque homini suæ salutis initium. Et fuerunt qui Cassianum, ratione planè gemina ei, quam nunc agitamus, excusatum ab errore vellent, quod alienam mentem expressisset. Sed exploси sunt; quia, vt probè vidit S. Prosper *initio libri contra Collator.* qui alienam mentem adeò studiosè & accuratè proposuit, [ostendit manifestè, eius se quam inducit per omnia probasse, ac suscepisse sententiam.] An verò qui infamiam alteri impingit sub alieno nomine, non est innoxius, & habebitur nitens, sceleríque purus, qui virtutem, qua nihil est speciosius, spurco opere in aliena persona contaminarit? Quis item Christianum ferat, pro Turcismo libros edentem, sufficientérque se purgari censentem, si Sarraceni, vel Apellæ recutiti nomine, hæc à se prolata excuset? Iulianus Apostata, teste Nazianzeno *orat.* 3. cùm adhuc ementiretur Christianum, propugnabat Ethnicismum, & impugnabat Christianismum, quasi exercitationis gratia differens, & sub aliena persona. Quis hoc non est detestatus? Homo excucullatus, (proh scelus!) hac ipsa tetra vafritie, pæderastiam scelerata scriptione, quasi ex aliena persona celebrauit. Iudex qui miserum tandem à Deo in peccatis suis deprehensum capite minuit, vt eam propudiosam scriptionem percurrerem, & suæ innocentiæ aduersùs murmurantes attestarer, adegit.

Tentasse quendam aliquando Parisiis, hac arte impugnare Christiana dogmata, & Iudaismum instaurare, scribit Gerso *lib. contra Romantium à Rosa.* Addit autem, eum à Cancellario Parisiensis Academiæ, coram Episcopo, & frequenti cœtu, adactum esse ad palinodiam. Eo porrò excusante, locutum se esse vt Iudæum; subintulit Cancellarius: *Locutus es vt Iudæus, revocabis vt Christianus.* Ridendum se propinauit in colloquio Poissiaco Theodorus Beza, referente, qui aderat, Francisco Balduino, cùm pressus loco potentissimo D. Augustini, quo dixit, Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ 96.

Catholicæ autoritas commoueret ; respondit, quòd ipse à Caluino, Caluinus à Musculo, qui ei pro cortyna erat, didicerat ; respondit inquam, Augustinum eo loco fuisse lecutum, vt Manichæum : quam caluam fatuitatem cùm audiret Petrus Martyr, qui Bezæ in eo conuentu assidebat, nasum corrugauit, vt erat emunctioris naris, tametsi non melioris mentis, quàm Beza. Ita refert Balduinus in responsione ad Bezam *pag.* 140. Præiuerat Bezæ, & huiusmodi Bambalionibus, Pelagius, quem S. Augustinus *lib. 2. Retractat. c. 33.* refert, aliquando hæresim suam, cùm nondum adoleuisset eius malitia, subdolè in scriptis suis tradidisse non ex persona sua, sed tanquam ex mente aliorum. Et S. Hieronymus *sub finem epistolæ ad Ctesiphontem*, contra Pelagium, & Pelagianos, ait, illius sectæ magistros curasse spargi errores suos per discipulos, vt tanquam non ex magistrorum nomine, ac persona locuti viderentur, si contingeret eos conuinci. Itaque huius excusationis munimentum vndecumque rimas agit.

97. Vt verò missas faciam alias materias, in quibus aliquando attentis circumstantiis, nequitiæ expressio, alienæ personæ nequam, & impiæ committi potest ; (quo pacto Dauid, & Salomon, absque culpa, negationem Numinis, & immortalitatis animæ, personis Atheorum crediderunt, non absque adiunctis quæ dictorum malignitatem probo cuiuis abominandam proderent:) tamen in præsenti negotio, perinde planè est, siue ex aliena, siue ex tua persona, pudorem extermines. Vtroque enim modo, idem planè sequitur peruersus effectus ; concitatio nimirum libidinis, & impurorum ignium inflammatio, quæ ex tali lectione proficiscitur, quicumque tandem sint, qui loquentes referantur ; quia æquè excitantur cogitationes, quibus fomes intrinsecus, luxuriæ flammam concipiat. Imò turpitudo personæ cui committuntur hæ obscœnitates, non parum promouet nequitiæ negotium, augétque impudicitiæ illecebram.

Contra excusationem ex admistis spurciloquio, plerisque bonis.

98. Postremum impuritatis munimentum, quo Robertus Titius *prælect. 2. in Catullum*, omnibus illius, ac similium obscœnorum scriptorum spurciloquiis, patrocinium quæsiuit, ex eo petitur, quòd pleraque bona, nec rarò etiam pia, contineantur libris obscœnis. Sed hoc disiectum est *suprà*, in simili pro libris hæreticis excusatione ; & rectè in illud intorqueas, quod à S. Gregorio scriptum est *lib. 1. Moral. cap. 2.* [quia nonnulli sic bona quædam faciunt, vt tamen à quibusdam malis minimè suspendantur ; benè postquàm timens Deum dicitur, recedens quoque à malo perhibetur. Scriptum quippè est, *Declina à malo, & fac bonum.* Neque enim bona accepta sunt, quæ ante eius oculos malorum admixtione maculantur. Hinc namque per Salomonem dicitur : *Qui in vno offenderit, multa bona perdet.* Hinc Iacobus obtestatur, dicens, *quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Hinc Paulus ait, *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Valet hîc quoque illud Augustini *in Psalm. 63.* ad illud, *scrutantes scrutinio.* [simulata æquitas, duplex iniquitas ;] verè enim pietas & bonitas hæc, non nisi ad calicem illinendum, & simplices ludificandos, adhibetur.

Hîc

Hæc verò impudorata consociatio pietatis cum impuritate, auersanda est, iisdem propè vocibus, quibus Ennodius *declam.* 12. exagitauit absurdissimum factum eius, qui Mineruæ virginis statuam in Lupanari cum Venere collocauit. Sic enim in eum ferratæ dictionis secures stringit. [Percipite, quæso, animis, & interna æstimatione tractate, qualis sit, qui & virginitatis oculos, & lupanaris secreta violauit; & in vtroque sacrilegus, nec flagitiâ veneratur, quibus inimicam testem adhibuit, & castitatis profligat ruborem, quam indignis adsociat. Expostulo à te, humani generis ostentum, qui leuitatem tuam ad Mineruæ simulachrum, religionis cultus adduxerit, dum integritatis hostem, illata de loci fœditate monstret iniuria, nec reuerentiam te exhibere venereæ pollutioni clamat publicata corruptio.] 99.

Et mox. [Feciſti religione tua acerbius, quòd delinquis. Res summo digna piaculo, miscere discordantia, & in vnum colligere, quibus nisi secretum præstiteris, contumelias irrogasti. Creditis inueniri hominem de hac mundi gemina conuersatione neutrum tenentem, & nec amicum virtutibus existere, nec fidum vitiis inueniri?] Rursus paulo pòst: [Odi, principes viri, morum suorum remissos iudices; condemno qui per negligentiam serenorum actuum in dubium trahuntur. Execrabiliùs tamen detestor, qui in vtroque deprehensi, nulli exhibent stabilem conscientiam. Pollicentur enim pœnitentis tempore honestatis affectum, quos fidem videris exhibere peccatis.] Tandem inferiùs, [Vnius oblatio Numinis, alteri dabit iniuriam. Nam dum per prouidentiam tuam, simplex puluinar gemina superorum potestas obtinuit, & in vna æde pudor & luxuria conuenit, neutrius deuotionem nostram fauor aspiciet, quos tu habitatione miscuisti.]

Hæc, & alia, quæ in illam infamem Mineruæ ac Veneris consociationem, torosò, ac masculo dictionis genere fundit Ennodius; in hanc ipsam, de qua agimus, obscœnitatem, & pietatis in eodem libro mixturam, æquè transferantur. Scitè Gerso *p. 4. tract.* qui inscribitur, *Responsio ad scripta cuiusdam errantis de innocentia puerili*; ait, huiusmodi scripti genus impuritate, & sanctitate permistum, (in quod meritò conclamat,) esse *brodium Alemanicum.*

Non possumus autem hanc pietatis adumbratam coniunctionem non detestari, qui norimus, Magos etiam improbissimos, istiusmodi melle illinere venenata pocula; & scriptis, Dæmonum horrenda commercia tractantibus, ac ipsis quoque Dæmonum aduocationibus nefandissimis, sacrum aliquid, & pium; semper ex Scriptura, aut ex Christianis ritibus intexere: quod æquè seruatum ab ipso Dæmone Christum tentante, prodit S. Matthæus, & nobisce im perpetuò seruare, fascinatione nugacitatis obscurantem bona, nemo non experitur. Hac ipsa proiectissima atque maleficij plenissima machinatione, M humeres, turpissimis, & fœdissimis legibus, immiscuit quædam laude di na, de commendatione orationis, & operum misericordiæ, vt scribit Petrus Cluniac. *epist. contra Alcoranum.* Item simili malignitate Iulianus Apostata *in fragmento longo nuper edito*; inter celebrandum idololatriam, admiscet commendationem curæ pauperum, & peregrinorum, nonnullorúmque similium honestorum operum. Hæreticos in hac bonorum cum malis intermistione, perpetuos esse, admonent grauissimi Patres; sed pulchrè S. Greg. *5. mor. c.* 11. 100.

verbis

verbis illis, [Habent hoc hæretici proprium, vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò hæretici non fuiſſent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcondunt: ſicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi, dulcedine mellis tangit: dúmque hoc quod dulce eſt, primo attactu delibatur, etiam illud quod eſt mortiferum, indubitanter abſorbetur. Itaque hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant, & exhibendo mala, latenti eos peſte corrumpant:] In eandem ſententiam, præclarè diſſerit idem ſanctus Pontifex 7. *Moral. cap.* 21.

De Manichæis ſic ſcribit S. Auguſt. 3. *confeſſ. cap.* 6. [Incidi in homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces; in quorum ore laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui; ſed & nominis Ieſu Chriſti, & Paracleti conſolatoris Spiritus ſancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ: cæterùm cor inane veri. Et dicebant *veritas*, & *veritas*, & multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis, ſed falſa loquebantur.]

101. Eſſe hunc perpetuum morem hæreticorum omnium, S. Irenæus allegato anteriore quodam Patre, ſcitè dixit *lib.* 3. *contra hæreſ. cap.* 19. dicens, hoc eſſe lacti gypſum immittere, vt ſecuriùs noceat. Sanè nullos eſſe pernicioſiores, & magis extimeſcendos hæreticos, quàm qui ob permiſtionem doloſam bonorum, & conſenſionem in multis cum Catholicis, apparent minùs ertare, docet grauiter S. Ambroſius *lib. vnico de fide contra Arrianos cap.* 1. Hinc liquere puto, quàm vanum, & inane ſit perfugium eorum, qui libris obſcœnis incolumitatem poſtulant, ob aliquam admixtionem bonorum. [Non aliud hoc eſſe quàm canticum Domini canere in terra aliena, perſpicuè habetur ex iis quæ diſputat S. Hilarius *in Pſal.* 136. *ad verſ.* 4. Hoc planè eſt, oſculando ferire, amplexando occidere, vt proditoriè à Ioabo factum. Hoc planè eſt, venenum in melle abſconditum porrigere, ſolemni venenariorum more. Nam, vt benè admonuit Tertullianus *lib. de ſpectac. cap.* 27. agens de quorumdam honeſtorum admiſtione cum turpitudinibus theatri; [Nemo venenum temperat felle, & ellebroto; ſed conditis pulmentis & benè ſaporatis, & plurimùm dulcibus id mali iniicit. Ita & Diabolus, lethale quo conficit, rebus Dei gratiſſimis, & acceptiſſimis imbuit: omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de libacunculo venenato.]

102. Hoc eſt calcem contritam farinæ admiſcere, vt edentes perdat incautos: quod nequiter factum à Græcis contra Latinos Sarracenorum impugnatores, obſeruat Baron. *anno* 1147. *num.* 3. Quod ſi iuxta Ennodium *decl.* 6. [nemo cautiùs malus eſt, quàm qui abſconditur ſub appellatione pietatis; tutum eſt iniquitatis exercitium, quod honeſtatis tegitur indumento:] liquere profectò poteſt, quid hac aliquali admiſtione bonitatis cum obſcœnitatibus quæratur: nimirum vt nocentior ſit veneni vis, à qua minùs timetur. Non potuit hac arte tegi Arrius. Iam olim ſcripſerat librum Arrius obſcœniſſimum, Sotadis imitatione, vt meminit S. Athanaſius *initio orationis ſecundæ contra Arrianos*;

quàm

quàm tamen conatus sit, illam turpitudinem interfitis sacris sententiis obtegere, audi *ibidem paulo pòst* S. Athanasium. [Relictis Christi eloquiis, θαλείας Arrij, hoc est, crapulas titulo nouæ sapientiæ cohonestant. Ac bono iure eum titulum vsurpant; nouam enim hæresim annunciant. Quapropter non sine admiratione est, nusquam in multis multorum operibus, & sermonibus tum in vetus, tum in nouum Testamentum conscriptis, inter titulos librorum, θαλείας, hoc est, *crapularum*, nomen reperiri. Imò ne apud Ethnicos quidem frugi, & temperantes; sed apud istos duntaxat, qui istiusmodi res inter pocula ad risum captandum, per plausum, iocum, lasciuiámque decantant. At eximius ille Arrius, quum aut nihil sanctum, aut graue imitandum desumeret, securus negligénsque istiusmodi probitatis, depeculatis aliorum hæresibus, æmulum se in ridiculis vni Sotadæ præbuit. Quid enim aliud congruum illi, qui Christo Saluatori choreis suis insultare voluit, quàm vt miseras dictiunculas impietatis suæ metris dissolutioribus & elumbatioribus insonaret, vt quemadmodum sapientia loquitur, *ex eloquio verborum, cognoscitur vir*; ita quoque ex illis Sotadicis numeris, animi eius effœminatio, & mentis putrilago deprehendatur. Nam tametsi subinde, serpentis more sursum, deorsúmque se voluat; non tamen effugere potuit, vt non caderet in errorem Pharisæorum. Quemadmodum enim illi quum legem præuaricari vellent, legis tamen verba prætendebant; & cùm eius animi essent, vt expectatum hactenus, & iam præsentem Dominum abnegarent, Deum quidem in ore habebant, ipsum tamen blasphemare deprehenderentur, quum his vocibus vtebantur, *Cur tu homo quum sis, Deum te facis? Et dicis: Ego & Pater vnum sumus.* Ita quoque fucatus & Sotadicus Arrius, simulat se quidem, de Deo loqui, quum interponat verba sacrarum literarum; deprehenditur tamen vndecumque Atheus, dum filium negat, & illum rebus conditis adnumerat. Tale igitur exordium crapularum Arrij, & vaniloquentiæ, moribus numerísque effœminatum inuenias.]

Obsigno hanc perfugij impuritatis postremi dissectionem, in primis 107
aureo Gersonis pronunciato *lib. contra Romantium.* [Doctrina mala, eo peior est, quo plus boni continet.] Deinde perillustri loco Origenis *hom.* 13. *in Num. ante medium*, agentis de Basan; sic enim scribit: [Basan interpretatur *turpitudo.* Meritò ergo, nec legati mittuntur ad istam gentem, nec transitus per terram eius poscitur. Nullus enim nobis transitus debet esse, nullus accessus ad turpitudinem; sed ab initio statim expugnanda, & omnimodè cauenda est. Og autem, qui Rex dicitur esse Basan, *interclusio* interpretatur. Potest hic figuram tenere omnium carnalium, & materialium rerum, quarum amore, & desiderio detenta anima, excluditur, & separatur à Deo. Aduersùs Og ergo, ita præcipitur bellum gerendum, vt non relinquatis, (inquit,) ex eo viuentem. Nullum enim à filiis Israël oportet relinqui in regno turpitudinis, & dedecoris, viuentem. Sed & decet Ismaëliticam virtutem excidere, & resecare turpia; & pia quæque in anima reædificare, atque honesta, & religiosa plantare. De regno Seon non est scriptum, vt nullus viuus relinquatur, nec de regno Moab. Fortè enim ex illis opus habemus ali quibus, & nonnullis eorum pro vitæ huius agonibus, & exercitiis indi-

gemus ; alioquin debuissemus de hoc mundo exisse. De Basan tamen, hoc est, de turpitudine, nullo penitus indigemus ; nihil ex ea relinquamus ; excidenda omnia, cuncta subuertenda sunt opera turpitudinis. In nullo enim potest honestum esse, quod turpe est.] *Seon* exposuerat, alias disciplinas noxias, *hom.* 12.

Quæ nuper præterea, vnus, & alter sectarius pro obscœnorum scriptorum indemnitate protulit, euertuntur.

104. Nihil ergo pro retinendis obscœnis scriptis prolatum est apud Gersonem, quod sufficienter non sit euersum ; vix verò alia postea sunt prolata. Addensat quidem alia multa *cap.* 2. *Prolegom. in Petronium*, Theodorus de Iuges, Caluinista : sed tam frigida, támque ieiuna, vt nihil frigidius, nihil ieiunius. Summa est : [In Petronio, & in autoribus similis farinæ, nominatímque Terentio & Martiale, (ob quos ex parte truncatos, Iesuitis conuitia petulantissimè ingerit ;) in his, inquam, autoribus integris, & non truncatis, proponi speculum fœditatum nostrarum, quos refugiamus ; nec debere nobis horrori esse, spectare quod sumus. Multo peiora patrari quotidie, quàm apud hos legantur. Etiam Apostolum in fronte epistolarum, horrendas Gentilium spurcitias, chartis illiuisse. Fratres Prædicatores Concilio habito edixisse, debere Concionatores de præposteris, & infamibus naturæ ipsius per libidinem violationibus, agere ad populum ; etiamsi reperiantur in concione plerique innocentes.] Sic ille.

Verùm speculum quod sectarius lectoribus in huiusmodi libris ait proponi, simile est speculo per muliebres spurcitias fœdato, à quo cauendum, ni virus trahere per oculos velis. Quòd fœda & fœdiora perpetrentur indies, viderit ipse qui hoc opponit, si sibi conscius est. Sed qui hoc ad illecebrositatem harum scriptionum retinendam, & inescandos mortales, vt similia, vel etiam tetriora patrare ament ? Apostolum summa cum detestatione obiter attingentem nefanda Gentilium opera, (quo exemplo suum de turpibus sermonem excusat Sarisber. 3. *polyerg. cap.* 13.) & Concionatores sobriè, ac prudenter, (magna enim hîc dexteritate tractatoris, & parcitate opus ;) eadem scelerum culmina, vbi feruerent, exagitantes, trahere ad patrocinium spurciloquij affectati & captati, hominis est nullo iudicio arripientis, quæcumque furor arma ministrat, tantum ne elinguis videatur.

105. Haudquaquam verecundiùs Melchior Goldastus *in Prolegomenis ad Petronium Arbitrum cap.* 2. vt spurcissimum illum scriptorem integrum, & indemnem seruari suaderet, disputauit vniuersè pro indemnitate obscœnorum librorum, quos vult quidem pueris non prælegi in scholis, ab aliis autem vult impunè tractari, & studiosè legi, dimisso timore obscœnitatis qua sordent. Non esse quidem huiuscemodi libros pueris prælegendos in scholis, probat Goldastus ex D. Augustino *lib.* 1. *confess. cap.* 16. & ex Concilio Tridentino, cuius interdictum, ait huc tantùm pertinere : confirmátque ex Edmundo Richerio Theologo Parisiensi *in obstetrice animorum cap.* 4. *num.* 4. qui contendens, spurcos scriptores emungendos esse, non mutilandos, mundandos, non

non euitandos, velandos, non castrandos, emunctionem, mundationem, velationem, accipit de negato ad pueris interpretandum, vsu eorum; tametsi viris salui sint ad legendum, vt, (inquit,) *à Concilio Tridentino est sanctissimè constitutum.* Huius grauissimi, (scilicet,) Theologi autoritate, communit, Goldastus quod assumpsit; non esse quidem libros obscœnos pueris in schola prælegendos; viris tamen eorum lectionem esse concedendam. Et obiiciens sibi contrarium sensum Theodori Bezæ *præfatione ad Homil. de Resurr. Dom.* ad Belgij Ordines, qua sugillati fuerant Scaliger & Douza, quorum iste Petronium, ille amatorios Poëtas illustrarat notis; reponit Bezæ Goldastus, non fuisse vllum inter scriptores Martiali spurciorem: quem tamen Beza *mel merum* dicere solitus esset, & perpetuò teneret manibus, ac studiosissimè exprimeret, teste Raphaële Eglino *præfat. ad selecta Catulli carmina.* Poterat præterea Bezæ propudiosas suas scriptiones inuerecundissimè euulgatas, in faciem ingerere. Cætera quæ Goldastus ad stabiliendam distinctionem illam suam adducit, illa ipsa sunt, quæ ex alio sectario iam protulimus: multo scilicet tetriora fieri, audiríque in dies, quàm sint ea, quibus obscœnorum quorumcumque scriptorum libri sordere dicuntur, ne Petronio quidem excepto, quem execrabiles Neronis tunc imperantis libidines traducentem atque carpentem, iniuria diuexari contendit. Eadémque ex causa, vel Monachis Cassianis Petronium exsecantibus, denunciat Iacobus Durantius Casellius *lib. 1. variar. lect. cap. 5.* Nec dissimiliter Laurentius Ramires *ad Martialis Amphit. epigr. 25.*

Valet tamen aduersùs hanc frigidissimam turpitudinis propugnationem, quod S. Ambrosius dixit contra virgines Diaboli, quæ in minuscula ætate studebant pudicitiæ, salua libertate vt essent impudicæ anus. Quis ergo non videt, illecebrositatem turpium librorum, declinandam esse viris quoque, si velint, (vt sanè velle debent,) nitentem seruare vestem animæ, & non inquinari attrectatione cœni fœdarum huiuscemodi scriptionum? Ignis Babylonicus non est restinctus in viris, imò in eis feruet ardétque vberiùs. Itaque non est conspergendus hac naphtha, & pice. Nec si Iustus Lipsius *lib. 3. epistolic. qq. epist. 2.* negat se offendi huiusmodi lectione, audiendus est. [Vrbanitate, (inquit,) capior, iocis delector: cætera, nec in animo, nec in moribus meis magis labem relinquunt, quàm olim in flumine vestigium, cymba. Vt vina apposita, vinosum mouent, inuinium non mouent; sic ista animum iam ante improbum fortasse incient; casto & castigato, non adhærent. Imò adhærent; & experti, sæpè doluerunt, refricari inde iam obducta vulnera. Ac vt contingeret, frigore, & marcore naturæ, non refricari aliquando; tamen ex rei natura ita contingit: & stultus est qui periculum amat, iure in illo perituros. Scio apud Hebræos, nonnullæ lectionis illecebrosæ pueris, & adolescentibus negata, quæ viris concedébantur, post annum ætatis 25. vt ait Nazianzenus *orat. 1.* vel vt ait S. Hieronymus *præfatione in Ezech.* post annum 30. Eiusmodi erat principium Geneseos, & Canticum Canticorum. Hoc tamen nihil iuuat librorum apertè turpium, & obscœnitate manifesta infamium lectionem per viros, qui vitam Christianis dignam viuere velint.

Nolo dissimulare, mirum videri non posse, quòd hi Caluini gregales, 106.

spurcorum librorum patrocinium susceperint: obstricti quippè ad hoc videntur suorum Pontificum, (scilicet,) exemplo. Nam primus Geneuensis lustri Poppa, tetri sceleris quod vel efferre labiis pollutionem inferat, compertus, dorso liliato stigmata nefandissimæ vitæ circumtulit; eius verò successor Theodorus Beza suas fandas, atque nefandas spurcitias, etiam expressis *candidæ* alienæ mulieris, & Audeberti Cynædi nominibus, effrontissimè illiuit chartis. Digni sanè tubicines Euangelij, quos Spiritus afflauerit, sed dæmoniacus, qui semper impurus; ille ipse, qui Arrium ad inferendam Ecclesiæ vastitatem excitauit, cum aliis impudicitiæ pellaciis instructum, mulierc ularum præsertim impurarum sermonibus, vt S. Alexander apud Theodoretum 1. *histor. cap.* 4. admonuit: tum etiam infamis metrici operis editione, cui nomen *Thaliæ*, hoc est, *crapulæ*. Sic enim eam vocem exposuit S. Athanasius *orat.* 2. *contra Arrian.* & valdè detestatur Arrij nequitiam, qui eo opere exprimendum suscepisset turpissimum omnium Poëtam Sotadem, cuius opus *Cynædi* lingua Ionica exaratum, memorat Suidas; & fuisse omnis spurcitiæ camarinam, omnes æquè consentiunt. Martialem, cæteroquin impuræ scriptionis infamia flagrantem, puduit nequitiæ Sotadis, vt liquet ex illis ad Classicum *lib.* 2.

Quòd nec carmine glorior supino;
Nec retrò lego Sotadem cynædum,
Non sum Classice, tam malus Poëta.

En obscœnissimum Sotaden; præ quo Martialis pudicus. Impuros eius sales, quibus sibi à Philadelpho Rege, diuturnum arcessiuit in carcere pædorem, memorat Plutarchus *lib. de liberis instituendis.* Et fuisse à Dæmonio infestum, scribit Suidas. Huius ergo impurissimi Poëtastri expressionem, eo opere, quo blasphemiam suam maximè disseminauit, suscepit spurciloquus Arrius, D. Athanasio teste, cùm loco annotato, tum in opere pro Dionysio Alexandrino. Nihil igitur nouum, Caluinistas, Arrio, hosti Ecclesiæ atrocissimo succenturiatos, & arietum, caprorúmve gregis sui ducum, spurcissimis factis ac scriptis imbutos, obscœnis scriptoribus adesse patronos.

Aptissima obscœnorum librorum Bibliotheca, caminus.

107. Quare concluditur, apodicticè omninò, ac certò, nullam esse digniorem pro hniusmodi libris bibliothecam, quàm struem lignorum, cui ignis admoueatur. Hoc non modò de quotidianis huiusmodi scriptionibus verum est, sed etiam de illis antiquis, quæ in turpibus sunt frequentes. In quo ordine Catullum, Tibullum, Terentium, Propertiúmque collocat Alphonsus de Castro *lib.* 3. *de iusta hæret. punit. cap.* 9. quos libros ex omni orbe exterminatos cupit, ita vt à nemine legi possint. Miror cur non potiùs Martialem, & Petronium retulerit in hanc classem; aut certè Iuuenalem, de quo ita Scaliger *lib.* 3. *Poët. cap.* 98. [Si quis aliena peccata infectetur, ea modestia vtatur, ne suum librum efficiat eo nequiorem, de quo verba facit. Quid enim terrius quibusdam versibus Iuuenalis; propter quorum insolentiam, vel iusserim, vel optârim, toto opere abstinere virum bonum?

Conuenien

Conuenientissima igitur obscœnis libris bibliotheca, caminus est, aut rogus, vt à septuagenario resipiscente factum, scribit Ioannes Bonifacius *lib.* 1. *de sapiente fructuoso*, *epist.* 3. *in fine*, eum quippe dena amatoriorum suorum carminum millia, Vulcano sacrasse, autor est. Atque vtinam renouarent Euangelij præcones institutum sanctum, & nunquam satis commendandum, quod se puero in patria sua seruatum à piis, & doctis Concionatoribus, testatur Catharinus opusc. de libris malis exterminandis. Strenuè illi & feruenter agebant apud populum, vt libros lasciuos, publicè in struices cogerent, quibus confectis ignem subiiciebant, in holocaustum acceptabile Deo, & Angelis suauissimam incensionem. Hoc si fieret identidem, auerteretur præsentissima hæc animorum pestis, cui æquè ac ad corporum pestem amoliendam, nihil accommodatius igne luculento, quo aëri permistæ virulentæ fuligines, ac venenati vapores absumantur.

108. Sed quid in cassum vota fundimus, expetentes cremari hæc Veneris instrumenta, quibus nihil est in cimeliis impudicitiæ ad dementandos mortales, & in vesaniam turpis amoris abducendos accommodatius? Vtinam saltem patronis, ac defensoribus destituerentur. Vtinam non essent in iis, qui se Christianos dicunt, qui peccatum suum sicut Sodoma prædicarent, eísque agnitio vultus illorum responderet, cùm tam detestandis, támque abominandis scriptis, non clanculum, vel per cuniculos, sed palàm, ac apertè buccinatores, ac panegyristæ accurrunt. Vidimus sanè non semel, in quos meritissimò intorqueas ea, quibus Gerso laudato sæpiùs libello contra Ioannis Meldunensis Romantium à Rosa, conclamat in eius patronos, qui non pauci erant, nec minuti, quamuis esset liber spurcissimus ac fœtentissimus. [O Deus! ô Sancti! ô Sanctæ! ô deuota Christianæ Religionis curia! ô præsentis temporis mores! Inter Paganos, Paganus iudex & incredulus, Paganum condemnat, quia doctrinam scribit, quæ ad fatuum alliciebat amorem; & inter Christianos, & per Christianos, tale, aut peius opus sustinetur, laudatur, defenditur; reuera nequaquam satis rei huius indignitatem, & horrorem exprimere possum. Verba me deficiunt in ipsius reprobatione.]

Amadisij, libris obscœnis accensendi.

109. Quod verò non est prætermittendum, agebat Gerso de eo genere impurorum librorum, quod plerique specie auocandi à grauioribus curis animi, innoxium ducunt, nempe de Romantio. Cuius etiam generis sunt libri illi, quos passim vocant *Amadisios*; fabulæ, inquam, impudicitatibus perspersæ, vt procliuiùs subeant animos. Fabulas dico; delirauit enim vnus, nescio quis, apud Canum 11. *de locis*, *cap.* 6. qui *Amadisios*, veras historias esse censuit, eo bello argumento, quòd essent libri typis editi: nihil quippè typis mandatum, inter commenta esse recensendum, rupex iste arbitrabatur. Quo stupore, veras Luciani historias, & Æsopi narrationes è commentorum serie expungeret Bambalio ille. Has ergo fabulas, quæ *Amadisiorum* titulo circumferuntur, proscribendas eodem fundamento esse,

quo Romantium à Rosa proscriptum voluit Gerso; quia nimirum per ea narrationum figmenta, cùm verbis, tum factis, obscœnitas in animorum exitium infunditur, grauiter tradunt Petrus à Nauarra *lib.2. de restit. cap.2. à num.7.* & Franc. Ribera *lib.1. de vita S. Teresiæ cap.5. ac in cap.1. Michææ num.60.* Quin etiam, vt ex hostibus quoque proficiamus veritati, differit in hanc rem ex sectariis, copiosè, nec inefficaciter à Nua *dissertatione 6.* Vir doctissimus Ludouicus Viues *lib.2. de corruptis disciplinis, in ipso fine*, sic pronunciat de his libris, postquam eos dixit esse apertè mendaces, & meris nugis refertos, legi tamen propter aliquod styli lenocinium. [Libri sunt ab hominibus otiosis conficti, pleni eo mendaciorum genere, quod nec ad sciendum quicquam conferat, nec ad benè vel sentiendum de rebus, vel viuendum; tantùm ad inanem quandam & præsentem titillationem voluptatis; quos legunt tamen homines corruptis ingeniis ab otio, atque indulgentia quadam sui, non aliter, quàm delicati quidam stomachi, & quibus plurimùm est indultum, sacchareis modò & melleis quibusdam condituris sustentantur, cibum omnem solidum respuentes.] Ita de Amadisiis & similibus libris Viues. Grauiter insuper in hæc scripta excandescens *lib.1. de Christ. fœm. institut.* Et consentiunt periti, ac probi quique, vt mirum mihi profectò visum sit, quod Michaël Medina *lib.2. paræn. cap.3.* post laudatam ex Quintiliano eorum scribendi rationem, qui figmenta admiscent narrationibus ex parte veris, subdat. [In eo genere etiam reponenda videntur ingentia illa, ac multa volumina, *Morganæ, Melluſinæ, Margolanæ, Virginis Theodoræ, Tyrantis, Conamori, Tristani, Florisselli, Niquæi, Dietheri, Lancelоti, Amadisij*, tum Gaulensis, tum Græci, *Esplandiani, Regerij* Græci, *Agesilai, Lisuartis*, quæ per Hispaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, & Angliam, à nostris, in iuuentutis præsertim generosæ institutionem, sunt edita. Quæ tamen haud magis mihi reprehendenda videntur, quàm Aristophanis, Sophoclis, Euripidis, Ennij, Plauti, & Terentij tragœdiæ, aut comœdiæ: quas tamen dum cuiusque ætatis affectus, dumque rerum humanarum exitus lepidè ac quasi per lusum animis iuuentutis instillant, non modò non reprehensas, sed summo fauore ab omnibus Rebuspublicis, ac viris probis, & sapientibus, susceptas videmus.] Sic Medina, cui sanè suffragator non accedam.

EROTEMA VIII.

Famosi libri, an feriendi.

110. OMni iure, & antiquo, & nouo, & sacro, & ciuili, decernuntur configendi libri famosi, qui tamen verè famosi sint. Nam satyræ, licèt sint *scripta vulnifica*, vt loquitur Rutilius *lib.1. Itinerarij*, agens de Lucilli cuiusdam scriptis; quia generatim tantùm feriunt vitia, non reprehenduntur, dummodò prudens sit impetitio vitij. Quin etiam, vt idem Rutilius canit, fructuosa est Satyræ conscriptio, & vulgatio. Nam

Instituit

Instituit veterem censoria lima pudorem;
Dúnque malos carpit, præcipit esse bonos.

Quanquam vt in lupercalium exagitatione, dixit Gelasius Papa aduersùs Andromachum scribens, cauendum etiam atque etiam, ne sic confixi, iram atque animos à crimine sumant, eo impudentiores effecti, quo crimine publicato, positáque verecundia, nihil supereſt omnino quod pudeat.

Verè famosorum librorum confixio iustissima.

Libri ergo famosi, quos omni iure configi dico, sunt qui verè famosi sunt, III.
& in alienam grassantur famam, perstricto singulariter aliquo, aut pluribus. *Malos libros* antonomasticè olim dictos, notauit Sauaro ad Sidonium, *lib. 1. epist. 11. Elogium*, siue *textum malorum dictorum*, atque *notoriam*, vocat *lex nona de exsect. & exact. in Cod. Theodos. & lex 6. ff. de custod. & exhibit. reorum*, & clarè Isidorus in Glossis. Configendorum huiusmodi librorum rationem optimè attigit Andronicus Imperator Palæologus *orat. aduersùs infamatores historicos*, quam Nicephorus Gregoras *lib. 1. histor. Rom. ferè initio*, à se auditam refert, & ad longum repræsentat. Plagulam vnam, & alteram decerpere, quòd vix possit aliquid in rem præsentem proferri aptius, operæ pretium existimo. [Sæpè, (inquit,) mecum ipse miratus sum, quî fieret, cùm plerisque mortalium quietam, & tranquillam prorsus agere vitam liceret, ac plurimos habere, quibus admirationi essent, nullos verò penitus inimicos, vt ipsi ad quosuis proscindendos propensi, linguas improbas, futiles, & contumeliosas, vltrò exacuerint. Idque nulla sæpè occasione data, quæ ad huiusmodi maledicentiam iure illos incenderet. Illos verò magis etiam sum miratus, qui Imperatores simul, & Patriarchas, falsis maledictis incessere, ac imprudenter proscindere audent. Sed hi me admiratione omnium maxima affecerunt, qui tam falsa maledicta sua mandare literis non dubitarunt: nam conuicia quæ lingua proferuntur, statim aura dissipat: quæ verò scribuntur, & libris imprimuntur, diutiùs, & grauiùs eos quos læsere iniuria, premunt; auctoritate à scriptura petita, & longo tempore se iactante. Ignoro autem, vtrùm, nec scio qua gratia hæc facere studeant, aut cuius lucri spe in talia præcipitia incurrant: nam siue vt singularem suam improbitatem expleant, adeò falsa, maledicta congerunt, malè faciunt, ac turp ter admodum, suóque, (quod aiunt,) capiti nocent. Nam improbitatis suæ monumentum produnt posteris, quòd cum benedicendo, & celebranda veritate innotescere auditoribus licuisset, plaustris conuitiorum in innocentes effundendis, semetipsos traducere publicè maluerunt: haud secus, ac si is, cui liceret in terra continente, beatè securéque viuere, in Atlantici maris tempestates ac fluctus vltrò se coniiceret.] Et non ita multo pòst. [Siue igitur hac de causa ita conuitiantur, & mentiuntur, multum falluntur; siue ob diuturnitatem scriptorum suorum, etiam sic procul à scopo aberrant, infirmis rationum suarum iactis fundamentis; sciunt illi quidem forsitan, vulgi aures insectatione aliorum, quàm collaudatione magis delectari, ac iniurias, quàm rectè facta libentiùs legi, quamuis illas prolixa mendacia venditent; hæc verò lux veritatis antecedat: eóque sic historias suas componunt,

componunt, vt ij qui multis seculis pòst futuri sunt, eas longissimo tempore cum voluptate legant. Nec in hoc vel iustitiæ Præsidem animis intuentur, vel æqua, & recta iudicia bonorum virorum reuerentur. Quæ res non adeò illis obest, quos vituperant, quàm ipsis obtrectatoribus, quod & homines cordati malis suspicionibus aduersùs illos conceptis, quæ mille probris scatent, eos inter improbos perpetuò numerabunt, & Deus iustitiæ Præses, linguas eorum grauioribus pœnis persequetur.] Antiquum hunc fuisse historicorum multorum morbum, videre licet apud Nicolaum Loënsem *lib.*1. *miscell. cap.*5.

Multa in hanc rem peti possunt ex Aristide, tota oratione de non agendis comœdiis; id enim sibi Comœdi & Comici assumpserant, vt infamare, & dehonestare quoscumque, possent. Pulchrè è variis in hanc rem multa libauit optimus in paucis, Philologus, Matthæus Raderus *ad epistolam præfixam lib.*1. *epigr. Martialis.* Multa ipse quoque in hanc rem dixi *lib.*3. *de virtut. num.*221. *&* 222. Hîc nonnulla addam.

Quæ iure ciuili Ethnico, in hos libros iam olim decreta.

112. Illúdque in primis, iure Ciuili Romano grauissimè decerni, vt libelli famosi comburantur: in autores verò, aut euulgatores, vel qui huiusmodi libellos reperiunt, nec comburunt, aut conscindunt, capitalis pœna statuitur *l. vnica, C. de famosis libellis, & l. lex Cornelia, ff. de iniuriis.* Multis id illustrat atque confirmat Binsfeldius *in cap.*1. *de iniur. & damno dato, quæst.*13. Suum in has leges commentarium, memorat sæpè Balduinus vtraque in Caluinum Apologia. Præiuerat lex 12. Tabularum in hæc verba. [Si quis carmen occentassit, actitassit, condidissit, quod alteri flagitium faxit, capital esto.] Memorat eam legem S. Augustinus *lib.*2. *Ciuit. cap.*1. & Arnobius *lib.*4. *contra gentes*, ipseque Tullius 4. *Tuscul.* & Flaccus *lib.*2. *epist.*1. cùm ait:

——Quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo, quæ nollet, carmine quemquam
Describi.

Et *lib.*2. *Satyr.*1.

Sed tamen vt monitus caueas, ne fortè negotI
Incutiat tibi quid, sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est,
Iudiciúmque esto.]

113. Has pœnas arcuisse Nasonem à scriptione aperta contra *Ibin*, sed obscurè eum impetisse, vocando *Ibin*, eruditè monstrat V. C. Dionysius Saluagnius Boëssius ad illud opus *pag.*16. Quæ porrò eæ fuerint pœnæ, famosis scriptoribus constitutæ, ambigunt aliqui. Cornutus ad Persij satyram primam, pœnam fuisse docet, capitis, aut fustuarij. Quamquam aliquando mitiùs actum. Ex ea lege, Fabricius Veiento, conuictus in libris quibus *codicillorum* nomen dederat, (ait Tacitus *lib.*14. multa probrosa in Patres, & Sacerdotes scripsisse, à Nerone pulsus ex Italia est, & libri exusti. Ex ea item lege C. Lutorius Priscus apud Dionem *lib.*57. quod in Drusi ægrotantis mortem, famosum

sum carmen scripsisset, mori iussus est, Senatus decreto. Item ex illa lege, Labienus, (quem quia passim omnes ordines hominesque laniabant, *Rabienum* dixerunt,) multatus ex Senatusconsulto est, exustione librorum, vt habet Seneca *lib.*10. *controuers. in præfatione.* Nec id damnat Seneca, cùm ait: [Res noua, & insueta, supplicia de studiis sumi.] Et mox: [Facem studiis subdens, & in monumenta disciplinarum animaduertens, quanta, & quàm non contenta certa materia, sæuitia est.] Non, inquam, hæc, & alia quæ in hanc rem habet ibi declamator, illam famosi libelli exustionem reprehendunt, nec eam nouam pœnam spectant, qua affectum Labienum, ait Seneca: sed duntaxat eò pertinent, vt carpatur extensio curata ab inimicis Labieni; per quos effectum est, vt non famosi tantùm, sed omnes planè illius libri, ignibus subiicerentur. Quam etiam sæuitiam, in iis, qui Cremutij Chordi libros exusserant, vt est *in consol. ad Marciam*, *ferè initio*, nemo approbarit; idque est furere cum communi damno. Cæterùm Labienus suam illam contumeliam adeò non tulit, vt nec superstes esse ingenio suo voluerit, sed in monumenta se maiorum suorum inferri iusserit, atque ita includi, veritus scilicet, ne ignis qui nomini suo subiectus erat, corpori negaretur. Non finiuit tantùm seipse, sed etiam sepeliuit. Hic exitus hominis famosissimi, & libellorum famosorum eius, quos eodem secum rogo ac flammis, inuoluisse alios eiusdem autoris libros, iusta vltio tulit.

Præiuerat Labieno Fabius Maximus, eodem Seneca teste *lib.*2. *controu.*4. Is 114
ipse, quem Flaccus *lib.*1. *satyr.*1. *loquacem Fabium* nominauit; nam etiam loquacitate sua, de qua Tacitus 1. *Annal.* exitium sibi acciuit, & Augusti obitum accelerauit. Maximus ergo primus vomicum morbum Romano foro intulit, (sic vocat maledicendi rabiem, ducta similitudine à vomica, quæ perpetua sanie fluit:) & ab ea rabie dictus est *lappa* à Seuero Cassio, vt *ibidem* addit Seneca: apud quem corruptè aliqui codices legunt, *quasi alapam*, cùm sit legendum *quasi lappam.* Nomen id est, herbæ dentatæ, & harpacis, quæ prætereuntium vestes inuncat, & mordet, facillimè adhæresces. Propterea enim *Osee* 9. ad significandum adhæresces ei indiuulsum malum, dicitur, *lappa in domibus eorum.* Maximus ergo ab hoc dentato, & inuncante affectu, dictus est *lappa.* Quo item nomine Iuuenalis *satyra* 7. Rubrenum Poëtam maledicum, (an *Rabienum*?) cui vlcus in ore putre, quod haud decet plebeia radere beta, *lappam* nominauit, cùm dixit:

——*poscimus vt sit*
Non minor antiquo Rubrenus lappa cothurno.

Hi omnes ob maledicentiam, & amarulentiam qua orationes, & scriptiones suas respergebant, iure à Romanis sunt multati.

Extra Romanam quoque Rempublicam, & perpolitos omni humanitate Quirites, coërcere famosarum scriptionum autores, vsus perantiquus tulit. Sic non igne, sed aqua extinctus est Sotades, autore Athenæo *lib.*14.*cap.*7. conclusus plumbeo vase, & in mare demersus, eo quòd famam Ptolomæi scriptis infamantibus violasset. Decreta Athenienssium in Comicos famosos, refert Suidas *in Euthymene.* Spectátque etiam eò, quod Ouidius *in Ibin*, Anaxandridem Comicum fame interemptum docet, quòd eos bonas habere

leges, at malis vti moribus, dixisset. Meminit illius versiculi Aristoteles quoque, in Ethicis *lib.7. cap.11.*

Christianæ sanctiones in easdem famosas scriptiones.

115. Ius Christianum non pepercit libellis famosis, & eorum autoribus, vt videre est *cap. si qui, 5. q.1.* vbi etiam *cap. quidam,* refertur S. Gregorij edictum ex *lib.5. epist.30.* aduersùs quendam, qui libellum famosum contra Castorium Diaconum proposuerat. [Quisquis ille sit, (inquit S. Pontifex,) qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei, & Domini nostri Iesu Christi Spiritu definimus, vt sancti eius corporis, & sanguinis participatione priuatus sit. Si verò, quia latet, & quoniam nescitur, teneri ad disciplinam non valet, tanti mali conscius, etiàm prohibitus, corpus, ac sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis vltione percussus sit, vt fallax, ac pestifer à sanctæ Ecclesiæ corpore sit diuisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos huius facti actorem, ac participem esse nescientes, ad eum bona optantes, epistolas transmittamus, ipsa pro eo ad omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua.]

116. Videor item inter Christiana decreta aduersùs scriptiones famosas recensere posse iussum S. Cypriani de premendis famosis scriptis, quibus mendaciter fama Cornelij Romani Pontificis lacerata erat, vt apud ipsum S. Cyprianum his verbis legimus *epist.42.* [Honoris communis memores & grauitatis Sacerdotalis, ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diuerso in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respuimus; considerantes pariter, & ponderantes quod in tanto fratrum, religiosóque conuentu confidentibus Dei Sacerdotibus, & Altari posito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda sunt, & incautè, ac temerè publicanda, quæ discordioso stylo scripta, audientibus scandalum moueant, & fratres longè positos, ac trans mare constitutos, incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori suo, vel libidini seruientes, & diuinæ legis ac sanctitatis immemores, iactitare interim gestiunt, quæ probare non possunt; & cùm innocentiam destruere, atque expugnare non valeant, satis habent fama mendaci & falso rumore maculas inspergere. Certè quod Præpositis & Sacerdotibus congruit, danda opera est, vt talia, cùm à quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Vbi enim erit, quod discimus, ac docemus scriptum esse: *Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiosè* Item alibi: *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua complectebatur insidias; sedens aduersùs fratrem tuum detrahebas & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Item quod Apostolus dicit: *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus?* Porrò hæc fieri debere ostendimus, si quando talia quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur. Et idcircò, frater charissime, cùm ad me talia aduersùm te, & compresbyteros tecum confidentes scripta venissent; Clero, & plebi legi præcepi, quæ religiosam simplicitatem sonabant, nec vllis maledictorum, conuitiorum latratibus perstrepebant.] En quid de libellis famosis (cuiusmodi ille erat, qui à legatis partis Nouatiani Carthaginem perlatus

latus erat,) visum sit S. Cypriano statuendum, interposito præcepto interdicente talium scriptionum lectione. Quod præceptum à tanto Primate profectum, vim publici decreti aduersùs famosas scriptiones, scriptum eo loco est, & idcircò meritò hîc recensitum. Famosas ergo scriptiones Christianorum Summatum edictis proscriptas esse, ratum esto.

Quia verò hæc noxa grauior, & tetrior est, cùm libellus famosus toti alicui corpori infamiam creat, iure Alexander IV. excommunicatione perculit eos, qui statum Ordinum SS. Dominici, & Francisci apperierint, famosis scriptionibus. *Statum* dicit. Non enim excommunicantur, qui personis singularibus, vni, vel pluribus, detrahunt, sed vt ea excommunicatione percellantur, necesse est, vt ipsum statum, siue institutum illorum Ordinum impetant: quod Caietanus benè notauit in summa verb. *excommunicatio cap* 81. & Nauar. *ad cap. inter verba, concl.* 12. *n.*16. Qui addit, ad hanc excommunicationem contrahendam non sufficere infamationem indirectam, sed exigi directam, & principaliter cadentem in ipsos Ordines, eorúmque instituta. Sic quidem in personas decreuit tunc Alexander IV. in libros verò, animaduerti igne voluit. quod in opere Gulielmi de S. Amore, scriptoris nequissimi, ad praxim est reuocatum. 117.

Gulielmi de S. Amore, damnatio iustissima, contra nugas nuperas cuiusdam locutuleij.

Mirum est, tanto pòst, hoc est, ante annos non plus decem, leguleium locutuleium, hominem in quo iudicij micam, æquè ac conscientiæ desideres, propudiosa declamatione, cui lux flammarum tot propè titulis, quot lineis, vel etiam apicibus debetur, patrocinium Gulielmo de S. Amore, & eius scriptis tam solemniter damnatis, adornasse. Et consideratum tamen ab hoc fori rabula oportuerat, eam libelli à Gulielmo editi damnationem, non modò mandato Alexandri IV. quam pro suo erga fidem Catholicam animo, parui, vel nihili penderet, confectam esse, triplici de ea re dato diplomate, anno 1255. quod extat apud Laërtium Cherubinum, inter huius Pontificis Decretales, & apud Manuelem Rodrigues in collectione Bullarum, ac etiam apud Bzouium anno 1254. *num.*4. (& damnat librum illum Pontifex tanquam *iniquum, scelestum, & execrabilem*;) non modò, inquam, Alexandri Pontificis mandato factam esse eam damnationem, sed etiam S. Ludouici Regis autoritate, combustum esse librum illum Gulielmi, cui titulum fecerat, *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum.* Hoc autem initium eius erat, *Ecce videntes, clamabunt foris.* Ipsi denique Gulielmo, toto Galliæ regno interdictum esse, præter priuationem tituli Magisterij, aliásque inflictas pœnas. Huius ergo Gulielmi, (vt S. Bonau. *cap.* 1. *Apologia pauperum* nominauit, *librum erroneum per Sedem Apostolicam reprobatum*, quisquis approbat; & autorem collaudat, quod facit Aduocatus, malè ac pessimè de Rege sanctissimo meretur: tantúmque ab hærede vt sanguinis ac regni, ita & nominis, optimo Rege, interdici sibi regno vniuerso, pro tanta petulantia expectare debet. Vel si manus hominum effugiat, caueat diuinam vltionem, aliquanto post Gulielmum de S. Amore, immissam in Gyraldum de Abbatis villa, 118.

Gulielmi defensorem, impugnatum à S. Bonauentura *in Apologia pauperum.* Eum namque impij libri patronum Gyraldum, qui alio non minùs famoso opere mendicantes prosciderat, diuina ira, telo subitaneæ paralysis ac lepræ percussum, inter maximas ærumnas, summámque infamiam ad infœlicem obitum, (vtinam non etiam ad infœliciorem exinde sedem,) deduxit. Considerata hæc oportuit, ab eo quem dixi: vt dissimulem alia, quibus delatum Gulielmo de S. Amore locum inter hæreticos à Prateolo, Castro, & aliis, notat Coluenerius *ad lib.2. Cantipr. cap.10.*

119. Quod his ipsis telis impetantur his quoque temporibus serui Dei, & idem in eos iam olim Satanæ animus, & genius fuerit, qui nunc perseuerat; eáque ex causa, his ipsis diebus, libri in Regulares à posteris prædictorum Magistrorum prodierint famosissimi, iuuat ad præsentium temporum statum in illis anterioribus recognoscendum, proferre, quæ æui illius scriptor omnia vsurpans oculis, Thomas Cantipratanus, de eius quem referebam libelli famosi vulgatione, & defensione, eiúsque scribendi, & vulgandi causa, ac humana, & diuina autorum mulcta, prodidit. Narrat ille *lib.2. Apum cap.10. num.23.* à quatuor Magistris Parisiensibus, vitæ notissimæ, è quibus nominat Guilelmum prædictum & Christianum Beluacensem, ac Laurentium Anglum, (quartum ferunt Desiderium quendam Longobardam fuisse,) diram in Fratres Prædicatores, & Minores, commotam esse tempestatem, edito præter alia libro, vt vocat, nefandissimo, qui sic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, titulum habentes, *De periculis nouissimorum temporum*; in quo libro spiritu nequitiæ & vesano præfatos Ordines elidere, & destruere nitebantur. Qui liber, qualiter citatis, & vocatis ad Curiam, & præsentiam Summi Pontificis dictis Magistris, damnatus sit & combustus, non solùm in ipsa Curia, sed & Parisiis, coram Vniuersitatis multitudine copiosa, scire poterit, qui collationes, & disputationes legerit, præcipuè contra Magistros quatuor in capite aduersarios; disputationes quoque Domini Hugonis Presbyteri Cardinalis, fratris Ordinis Prædicatorum, Domini Richardi, & Domini Caëtani, & aliorum Cardinalium plurimorum: necnon & allegationes venerabilis Patris, Fratris Humberti, Magistri Ordinis Prædicatorum: sed & Fratris Bonauenturæ, Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, & maximè Magistri Alberti, Fratris Ordinis Prædicatorum ad hoc specialiter à Domino Papa vocati, & aliorum Prælatorum, atque magnorum virorum disputationes prolixas, & magnas, habitas Anagniæ, coram multis, & in ipsis inuenire poterit rerum gestarum enucleatissimam veritatem. Quapropter iam dicti Magistri, Fratrum aduersarij, dignitatibus, & beneficiis omnibus sunt priuati, donec iurauerunt, mandato Domini Papæ coacti, reuocare Parisiis, & in aliis ciuitatibus, & locis, verecundæ prædicationis eorum, quidquid contra dictorum Fratrum Ordines implicitè, vel explicitè euomuissent.]

120. Addit Cantipratanus *num.27.* veram causam, & editi famosi libri, & concitatæ in Regulares procellæ. [Gratiâ Dei, vnus ex dictis quatuor Magistris, scilicet Christianus Beluacensis, infirmatus est, & amarissimo corde contritus, recognouit nihil se, & complices suos, contra dictos Ordines habuisse, nisi quòd illis æquari scientia non valerent, & ob hoc eos, parui penderent auditores.] Rursúsque *num.31.* [Summa in supradictis Magistris, & aliis secularibus

latibus Clericis inuidiæ causa fuit, quòd Fratres, Parisiis, plures, & propè omnes litteratiores in scholis auditores habebant, & in regimine præeminebant. Videbant enim scholares, quòd Magistri seculares, sicut viri diuitiarum dormierunt somnum suum, ducebántque in bonis dies suos. Et cùm vespere multiplicitatè ferculorum obruerentur, & potuum, & postea vigilare non possent, nec studere, & per hoc nihil inuenire in manibus, quod proferrent, sequenti manè solemnem diem constituebant Auditoribus in condensis, & sic per ineptas vacationes, quibus sua Clerici inaniter expendere se dolebant, optato priuabantur studio. Maiore enim corporis sarcina, (vt Seneca dicit,) animus eliditur, & minùs agilis est. Deinde copia ciborum, subtilitas impeditur; mirum est enim aliquid fortiter dici ab homine mollitiem profesſo. Fratres autem Prædicatores, siue Minores, sicut viri in magna sobrietate referti, vigilare poterant, & studere, & per consequens inuenire quæ Auditoribus essent digna. Illud in summa, occasio fuit, quòd in Magistris secularibus, secundùm vulgare prouerbium, calceus pedem pressit.] Subiicit diuinitùs monstratam, plerisque in Ecclesia personis notæ sanctitatis, ex huiusmodi tempestate in Regulares ab Vniuersitatibus, & secularibus Clericis excitata, perniciem animarum, & Ecclesiæ cladem. Nec tacet varia diuina supplicia iis de cœlo irrogata, qui seruos Dei malè habuissent. Narratio est adeò gemina iis, quæ annos iam aliquot conspicamur, vt præstet apud Cantipratensem legi, quàm hîc exscribi, ne replicando anteriora tempora, descripsisse potiùs nostra videamur. Nec extorta à Pontifice priuilegiorum Regularibus concessorum reuocatio, (quæ nuper quoque factione maximè istiusmodi hominum ex parte interuênit,) desiderata eo tempore est, vt *num.* 21. videre licet. Quamquam ea ipsa, Innocentio IV. qui reuocationis diploma tulerat, obmutescente, ac percusso paralysi, mox vitâ functo, Alexander IV. omnia restituit in integrum.

An Richardi Armachani librorum famosorum, damnatio iusta? & nuperus eius Canonismus, cuiusmodi.

Non est hîc silendum, de strenuo Religiosorum mendicantium infamatore ante Gulielmum de S. Amore. Is fuit Richardus Phisraph, Possevino in Apparatu dictus *Richardus Radulphus.* Ex Oxoniensi Cancellario, Armachanus apud Hybernos Antistes, quem ad hæc vsque tempora obscuri, imò sordentis nominis, homo nuper eiusdem genij ac spiritus scriptor, cœlo intulit, prolato eam in rem Bonifacij IX. diplomate, è Vaticanis archiuiis recèns deprompto. Nec tacet miracula ab Armachano edita, præsertim in templo quod eo Hyberniæ loco, in quo primùm hausit aërem, id est, *Dundalki*, eius memoriæ excitatum est, titulo *S. Richardi Dundalki.* Mihi, & diploma prædictum, & miracula, & sacra ædes in Richardi honorem, vt noua, & antehac inaudita, ita suspicionis sunt plenissima. Scriptores sanè Hyberni, solidæ gloriæ, gentis suæ nunquam parci, nihil tale produnt, imò omnia alia. Legatur Harpsfeldius *seculo* 13. qui Richardi initia ab ingenio præsertim ac pietate cõmendat, vnde illi promotionem in Cancellarium Erfordiensem, mox etiã 121.

in Archidiaconum Linfeldensem, postremò etiam in Armachanum Antistitem obtigisse prodit, ea dignitate exornatum, in Religiosorum mendicantium immunitates grassatum esse, subiungit: nominatimque cùm è Cœnobio Pontanensi Franciscanorum Armacanæ diœcesis, pauimentum perelegans ad Episcopij sui vsum decorémque transtulisset, ab illius cœnobij Præfecto Auenionem citatum, ad causam coram Pontifice ibi tunc sedente dicendam, post multa palàm in concione ad suos, aduersùs mendicantes, concitatè admodum, & intemperanter profusa, ad Pontificem accessisse, eique opus quoddam obtulisse, cuius est initium, *Nolite iudicare secundum faciem.* Repressum verò potenter à Rogerio de Chonnoe Franciscanæ familiæ Theologo, causâ cecidisse, vnáque laboribus eius & scriptis in Regulares, damnationem intortam: ipsum inglorium, ac patria extorrem obiisse anno 1359. triennio ab exagitatione Regularium. Cadauer autem studio Stephani Netensis Episcopi, in patrium solum, Dundalkum relatum, inibi iacere.

122. Non plura de Richardo, Hyberni scriptores. In iis, quæ ciues eius vt explorata tradiderunt, neque miracula, neque apotheosim, nec nisi inglorium exitum reperio. Similiter gesta Innocentij VI. nuper à situ per Bosquetum vindicata, describunt appulsum Richardi Auenionem. Et quamuis eius doctrinæ attestentur, déque eius in mendicantes, & illorum statum concitatione, pro Parochis & eorum iuribus, non pauca referant; de eius tamen sanctimonia & virtute, planè silent: imò satis insinuant, fuisse ferocis, ac turbidi ingenij hominem; eique aiunt superueniisse improuisum interitum, de quo dicti Fratres, potiùs de *gaudeamus*, quam de *requiem* cantauerunt.] Grauius est, quod Prateolus *lib.* 1. *Elenchi*, *num.* 62. cum Volaterrano, & Alphonso de Castro, *verb. sacerdotium hær.* 3. latè præeunte VValdensi *lib. de sacramentalibus tit.* 7. nec obscurè suffragante Bellarmino *lib. de scriptoribus*, in obseruatione adiuncta recensioni operum eius, & fusè Arturo à Monasterio in Appendice ad Martyrologium Franciscanorum à §. 150. Armathanum annumerat hæreticis, ob impugnatam pauperum Christi voluntariam mendicitatem, quam sana doctrina laudabilem profitetur; & inuectam sacerdotalis ministerij cum Episcopali fastigio confusionem, à VVicleffo postea & Luthero approbatam, sed sub anathemate damnatam in Tridentino, & in II. Concilio Hispalensi *cap.* 5. Et huc fortassis respexerunt, Balæus, & Hospinianus, qui Armachanum coram Clemente V. & Innocentio VI. hæreseos conuictum atque damnatum, scriptis consignarunt. En quo loco omnes hi scriptores, nouum hunc cœlitem habuerunt.

Hæreticorum, in quosuis Ecclesiæ Ordines, scripta famosa.

123. Quæ in Regulares famosè ac malignè sparsa famosis scriptionibus dixi, ab impiis, in vniuersos æquè Ecclesiæ Ordines spargi solita neminem latet. Prohibeor verò verecundia, refricare hoc loco spurcas & infames notas, quas, Caluinus, Beza, & horum assecla, per libellos famosos in sacrorum hominum dedecus vulgauerunt, imitati auum suum VVicleffum; de cuius infamibus in sacras personas scriptionibus, sic VValdensis *tom.* 1. *lib.* 2. *in præfatione.* [Quis sic draco flumina scandalorum post pennatam mulierem euome-

bat

bat Ecclesiam ? legite Christi Sacerdotes qui mihi non creditis; vos ipsi legite in libris eius, *Antichristianos Papas*, *Pseudo-Cardinales*, *Cæsareos Clericos Pontifices*, *& Prælatos*, *filios Diaboli*, *& Diabolos incarnatos*, *Diabolos larvatos*, *Diabolos non domesticandos in filios*. Legite in libris VViclef, mendacia fratrum, & Necromantica Monachorum. Legite ibi, petuleos Clericos, & lasciuos, armigeros, luciferinas fraudes, & instinctus Diaboli, glomerationes, & fœdera, merdas & stercora. Breuiter nusquam legetis Gentilis, & Sarraceni, vel fabulantis Iudæi Thalmud, aut alicuius execrabilis scriptoris volumina, cum tanta nausea, horrore, vel cholera. Quæ ideò quantum Christianæ benignitati repugnant, quis fidelis ignorat ?] Transfusum in se Satanicum hunc VVicleffi spiritum, monstrauit non semel Lutherus, sed nominatim in opere contra *falsò nominatum Ecclesiasticum Ordinem Episcoporum*, quod nihil aliud est, quàm vna continua tela è maledictis ac probris in Ordinem sacrum contexta. Cúmque eam petulcitatem, ac inuerecundiam famosarum in sacras personas scriptionum, aliqui ægrè ferrent, alio loco, libro, inquam, *contra sicarium Dresdensem*, sic excusat hanc malignitatem. [Nihil curo quod quæritur nominari in meo libro ferè mera maledicta, atque Diabolos. Hæc debet esse mea gloria, meúsque honor. Sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quòd plenus sum maledicentiæ, criminationis, & execrationis in Papistas. Volo, & de cætero, me aduersùs nebulones istos exercitare execrationibus, & maledictis vsque ad sepulturam meam ; nec vllum verbum bonum amplius ex me audient. Ego meis tonitruis, ac fulminationibus, sic eos ad sepulturam compulsabo.] Sic aduersùs omnes Catholicos, sed maximè aduersùs Ordinem sacrum furebat Lutherus, forma factus tot nequitiæ propaginum de eius trunco exortarum, vt similiter furerent in sacram militiam.

Hoc ab initio fuisse opus Diaboli, vt seruos Dei conscientiæ suæ luce clarescentes, mendaciis hostium infamare satagat ; S. Cypr. *epist.* 52. admonuit, & optimè Conradus Brunus *lib.* 2. *de hæret. cap.* 6. vbi hæreticos in id sollicitissimè incumbere, vt quos maximè strenuos viderint rei catholicæ curatores, falsis criminationibus, etiam scripto commissis, inquinent, accuratè demonstrat ; probè enim sunt conscij, vt ille Modius Alexandri parasitus iactabat, sanato vulnere innocentibus inflicto, saltem vibicem supereſſe.

Filiorum Orientis contra Israël, per famosas scriptiones commotio, indignissima.

Sed me quidem, sacrorum hominum, per impios, ac præsertim hæreticos infamatio, minùs mouet. Multo terrius profectò est, quod qui professione saltem ac statu pij sunt, in alios sacros homines, præsertim alterius instituti Regulares, scriptis infamibus quandoque bacchentur : & miratus id iam olim est Origenes *homil.* 8. *in Iudic.* tractans quod eius libri *cap.* 6. dicitur, filios Orientis veniſſe cum Madian, & Amalec, ad expugnandum Israel. [Esto, (inquit Origenes,) conuenerint aduersùm Israël Madianitæ, qui interpretantur *extra iudicium* ; esto isti conuenerint aduersùm Israel, qui extra iudicium Dei sunt, & qui extra legem peccauerunt, & extra legem peribunt. Esto conuenerit, & Amalech, qui & ipse interpretatur *Populus ablingens*. Esto, & hæc 124

ratio

tatio terrena, & ventri & gulæ dedita, impugnare venerit Israël carnalem. Quid est hoc, quòd etiam filij Orientis, his admiscentur, & cum ipsis ad impugnandum Israel venire dicuntur?]

125. Sufficit non ita antiquum exemplum, blateronum duorum, quorum alter Cardinalis Bellarmini, alter Ioannis Nunnij Barreti, & Andreæ Ouiedi Patriarcharum Abassiæ decora, infamibus scriptionibus dehonestauit, vel dehonestare potiùs frustrà tentauit. Cardinalis Bellarmini ea fuerunt in scribendo ornamenta, vt vel hostibus, quorum malleus dici potuit, fuerint admirationi. Eruditio, rerum varietas, perspicuitas, methodus; in hoste insequendo, & ad saluberrimam deditionem adigendo constantia; omnes denique scriptoris in eo genere eximij dotes, ac prærogatiuæ, in eo eximiæ. Infames tamen nonnullorum Catholicorum scriptiones non euasit, vt dicam *Erotem. 9.* Ioannes Nunnius Barretus, vir sanctissimus, & Andreas Ouiedus, non tam operum supra naturam planè insignium copia, quibus *Thaumaturgus* iure audiuit, quàm longa, & acerba ærumnarum multarum perpessione pro Christo, clarissimus; nugiuendi cuiusdam infamatoriis scriptis patuerunt: cui non satis visum est, fabulas de quodam Europæo Ordine apud Æthiopas, (scilicet,) numeroso venditare, nisi eodem calamo in sanctissimorum illorum Patriarcharum famam grassaretur; quod strenuè æquè, ac impudenter ab eo præstitum, monstrat Godignus *lib. 1. de rebus Abbass. cap. 15.* scilicet minùs Satanæ fieret satis, si solos fidei hostes in Christi seruos verbo, & scripto armaret, nisi indignissima Christianæ necessitudinis violatione, domesticos fidei concitaret ad infamia scripta vulganda, cum legentium offensione, & Ecclesiæ probro.

126. Nec quòd mel aliquod laudis intermiscetur aliquando, ac veluti respergitur, (vt à nugiuendo isto factum,) minuit malitiam, & virulentiam scriptionis, vt optimè in hanc ipsam de proborum, & Religiosorum infamatione, per eos, qui probitatis speciem præferunt, scribit Petrus Damian. *lib. 2. epist. 9.* vbi hæc præter cætera. [Obstruatur os iniqua loquentium, & iuxta Prophetam, sepiantur aures spinis à versipellium mendaciis detractorum, qui ad faciem blanda prætendunt, sed intrinsecùs virus malitiæ contegunt: velut opes ore mella ferunt, sed aculeis pungunt. Et quid mirum, si nos, qui ad terram manantem melle contendimus, apum circumuolantium stimulis laceramur? Ad quam profectò festinabat ille, qui dicebat; *circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Huc accedit, quia cùm ad mel terræ viuentium properare contendimus, diuini quoque verbi dulcedinem propinantes, & fauos mellis in ore portamus; scriptum est enim, *de ore prudentis procedit mel*, & dilectus ad sponsam, *fauus*, inquit, *distillans labia tua, sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Quæ rursus de sponso: *guttur eius dulcedo, & totus concupiscentia.* Quid ergo mirum, si nos & ad mel properantes, & mel in ore portantes, examina apum hinc inde circumuolant, vt obtrectationum nos aculeis pungant? Hinc est, quod Israeliticus ille Populus, dum ire per desertum ad Terram repromissionis properant, priùs castrametati sunt, sicut vetus habet editio *in Vai*, deinde veniunt in *Dibongad. Vai* nimirum interpretatur *Chaos*: & quid per *Chaos*, nisi cor intelligitur hominum peruersorum, obscurum

obscurum scilicet, tetrum atque profundum ? *Prauum est enim cor hominis*, sicut Scriptura dicit, *& inscrutabile, & quis hominum cognoscit illud ? Dibongad* autem significat *apiarium tentationum.* Post chaos itaque ad apiarium peruenitur ; quia postquam est obscurum, dolosum atque profundum, more Chai caligo malitiæ, ac fraudis obtenebrat, ad hoc etiam quandoque per iniquitatis augmenta progreditur, vt proximos quosque velut apes, & præsentes assentationis melle demulceant, & absentes obtrectationum aculeis pungant. De Vai ergo in Dibongad, de Chao venitur ad apiarium, quia de fraudulenta malitia tenebrosi cordis, prauus quisque progreditur ad infligenda spicula detractionis.]

Has de piis viris scriptiones, quo loco habere debeant maiores, possumus ex S. Cypriano discere. Is cùm famosum libellum à Nouatianis schismaticis aduersùs Cornelium Papam malignè emissum excepisset, premendum omnino esse scriptum illud pronunciauit *epist.* 42. locum suprà dedi.

Num taciturnitas ad famosas scriptiones approbanda, in Religiosis præsertim.

Ita quidem par est se gerere superiores, atque maiores, quoad scripta famosa, de sacris præsertim personis sparsa, ipsos verò malè appetitos, sunt qui existiment debere potiùs tantulam famæ detritionem pati, quàm contrariis scriptis, & apologiis litigare, cum pacis, ac quietis dispendio. Qui hoc sentiunt, Augustinum pro se laudare possunt, cùm *serm.* 26. *de verb. Apostoli*, tum plenè *homil.* 10. *ex* 50. cuius hæc est oratio. [Prouerbium notum est Punicum ; quod quidem latinè vobis dicam, quia punicè non omnes nostis. Punicum est prouerbium antiquum. Vt enim habeas tempus quietum, perde aliquid. Audi prouerbium antiquum, vtile, & necessarium. Pestilentia ante ostium venit, & nummum quærit ; duos illi da, & ducat se. Pestilentia est homo malus, qui te vult per calumniam expoliare : pestilentia est homo malus, calumniator, proditor. Iste talis sic est, quomodo pustula mala in corpore ; sicut enim quando pustulam incurrit homo, desiderat vt citò spondylum faciat, & optat vt sine aliqua mora, pustula ipsa mala cum aliqua particula tollatur de corpore, & cum ipsa discedat, ne venenum ipsius totum corpus occupet, & animam petat. Ita etiam quando iniquus, & malus homo, qui non vult nisi litibus vacare, aliquam tibi calumniam facit, puta illum esse pustulam, & acquiesce, vt qualemcumque particulam de substantia tua perdas, ne dum te nimium litigando occupas, quietum cor habere, & Deo vacare non possis. Numquid suprà dictum prouerbium de Euangelio videtur natum ? Numquid aliud dixit Dominus, quàm redimere tempus, quando ait, *Si quis vult iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium* ? Auocare te habet litibus à Deo tuo : non habebis quietum cor, non habebis tranquillum, euerteris cogitationibus tuis, irritaris aduersùs ipsum aduersarium tuum. Ecce tempus perdidisti ; quanto meliùs animum amitteres, & tempus redimeres.] Specialiter quoad Religiosos, id seruandum statuit Philippus Abbas *lib. de silentio Cleric. cap.* 54. *&* 55. & videtur de eis maximè accipiendus Marcus Eremita *lib. de Paradiso, sub initium*, cùm contendit, 127

virum pium, etiamsi læsum, obmutescere debere, & nihil respondere, vel rescribere.

Resolutio.

128. Mihi tamen ad stuporem potiùs illaudatum pertinere videtur ea ad insultum per famosas scriptiones taciturnitas, quàm ad patientiam iure celebrandam, per se loquendo. Quod præsertim valere debet, quoad cœtus sacros, & religiosas familias; itémque quoad sacras personas, etiamsi singulares; quibus omnibus fama debet esse longè pretiosissima. Et cùm eam tuentur, non tam sibi peculiariter, quàm aliis prospiciunt, quibus exemplo, aut opera prosunt; nec prodesse poterunt, si infamibus scriptionibus conspurcentur, & famam deterant. Itaque, existimo, huiusmodi personas non modò posse honestè, & sanctè respondere famosis libris quibus impetuntur, & hostes repellere secundùm stultitiam ipsorum, quod admittit Richardus *quodlibeto 2. art. 2. quæst. 27.* sed etiam, vt benè docet S. Thomas *opusc. 19. cap. 14. & 16. & 2. 2. quæst. 72. artic. 2.* teneri respondere, & se indemnes præstare, quia tenentur famam suam conseruare, ne fiant inutiles iis, quibus iuuandis ex instituto addicuntur; aut ne praui exempli suspicione, (quæ in talibus cœtibus ac personis admodum semper noxia est,) laborent apud pusillos. Est quidem obligationis seruandæ famæ, varia, (vt sic dicam,) qualitas, pro personarum prædictarum varietate. Nam aliquæ ex sola charitate proximi, aliæ etiam ex iustitia ad eam famæ suæ tutelam tenentur. Tamen, generatim loquendo, sufficit dicere, iniici obligationem respondendi scriptis famosis, & repellendi calumnias. Silentium enim esset proditio quædam veritatis, vt dixit Sanctus Basilius *epistol. 80.* quæ est *ad Eustathium Medicum.* [Ego sanè, (inquit Sanctus Basilius Eustathium alloquens,) ad crebros, & inanes hostium nostrorum aduersùs nos conatus respiciens, silendum esse, & quæ inferuntur, animo quieto toleranda putaui, nec resistendum illis, qui mendacio muniti sunt; pessima scilicet armatura, quæ sæpenumero per veritatis quoque occasionem, aciem suam impellit. Tu verò rectè fecisti, iubens ne veritatem prodam, sed redarguam calumniatores: ne dum aduersùm veritatem successu potitur mendacium, quamplurimi perdantur.]

129. Hæc totidem verbis legere licet apud Nissenum, *initio libri de S. Trinitate, ad eundem Eustathium.* Eadem rursus est mens S. Basilij *epistol. 73. sub initium*, & Hieronymi *initio epistolæ ad Pammasium*, contra errores Ioannis Hierosolymitani, qui stultitiæ damnat taciturnitatem, in adiunctis de quibus agimus. At S. Chrysostomus *lib. 1. aduersùs vituper. vitæ monast.* conscriptam à se vituperatorum illorum confutationem profiteretur, tanquam debitam, non Monachis modò, sed etiam vituperatoribus, quorum id est ingens commodum, refelli, & reuinci; quod explicat simili, cuius est in his negotiis appositissimus vsus. [Infantes, (inquit,) pueri, quoties quidem sine suo periculo feriunt matres, risum illis, vel copiosissimum mouent: quantóque vehementiore cum iracundia percusserint, tanto maiore illas voluptate afficiunt, ita vt effundantur sæpiùs, atque incurrentur,

uentur, & penè diſrumpantur riſu. Sin verò dum id iugiter infans, ac validiùs facit, vulneretur aliquando, ſiue acu circa zonam tunicæ matris affixa, ſiue radio maternis pectoribus appenſo, ferientis manum excipiente : tunc verò omiſſo riſu mater, maiore quàm is, qui vulneratus fuerat, atque acriore dolore conſtringitur : & interim quidem curat, fouet, atque alligat vulnus ; exhinc verò maximis minis, ne quid iam tale agat, intercedit, ne turſus patiatur eadem. Itaque & nos idipſum feciſſemus, ſi puerorum hanc eſſe iracundiam conſpiceremus, aut eſſe hanc infantium plagam, nec ſummam illis perniciem inferentem. Quoniam verò poſt modicum, etſi ipſi modò non ſentiant, (furore ſcilicet, atque amentia præcipites,) ingemiſcent, flebunt, & lamentabuntur : nec eiuſmodi fletum flebunt, cuiuſmodi infantes pueri, ſed eum, qui in exterioribus tenebris, igníque inextinguibili agitur ; paria item matribus faciamus.]

Quare dignum, & iuſtum, eſt, vt pij viri, etiam Religioſi, famoſis in 130.
ſe conſcriptis libellis, ſecundùm calumniatorum ſtultitiam reſpondeant, planéque inſulſum peponem pro corde habuit nuperus ſycophanta, qui cùm hominem ex Societate IESV, omnibus calumniis ſcripto commiſſis oneraſſet, auſus tamen eſt, obtendere ſilendi obligationem à S. Ignatio parente iniectam, vt habetur *lib.4. vitæ, cap.11.* vbi refertur abnuiſſe S. Patrem, ne Sorbonicum decretum latum contra Societatis inſtituta, & ſcripto vbique vulgatum, ſcriptis contrariis refelleretur. At hæc eſt ſupinitas cum malignitate certans, iis meritò ferienda probris, quibus factum Caij deteſtatus eſt Seneca *lib.3. de ira, cap.19.* [Nemo certè, (inquit,) inuenietur alius, qui imperauerit his, in quos animaduerti iubeat, os inſertâ ſpongiâ includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem. Cui vnquam morituro, non eſt relictum, quâ gemeret ? Timuit ne quàm liberiorem vocem extremus dolor mitteret, ne quid quod nollet audiret : ſciebat autem innumerabilia eſſe, quæ obiicere illi nemo, niſi periturus auderet. Cùm ſpongiæ non inuenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum, & in os farciri pannos imperauit. Quæ iſta ſæuitia eſt ?] Itaque ſapienter de Religioſo agens Petrus Cellenſis *epiſt.81.* [Cùm redditur ratio facti, rei veritas non obfuſcatur, neque rei culpa, ſi qua eſt, diſſimulatur. Diſtinguitur namque falſa excuſatio, & rationabilis ſatisfactio. Alterum culpam cumulat ; alterum quatenus culpandus, vel non culpandus ſit qui arguitur, declarat. Vterque etiam peccat, & qui mentitur in ſui accuſatione, & qui dedignatur falſa obiecta, vera relatione diluere. Reproba humilitas eſt, plus quàm in corde tuo ſentias, vanè te deiicere : deteſtanda præſumptio famam ſuam negligere, & ſuſpicionis næuum non abolere.] Iacobus Gretſerus, in quem his pridem conſcriptis incidi, libro cui titulus eſt, *Demolitio fanatici dormitorij, cap.4.* controuerſiam in qua verſamur agitans, in vtramque partem, cùm monſtraſſet ex Nyſſeno *lib. 1. 4. 5. 7. contra Eunomium*, Maxentio *dialog. 1.* Gregorio Magno *lib. 8. epiſt.45.* Auguſtino *epiſt.93.* negligendas eſſe calumnias, nec eſſe ad eas reſpondendum : poſtea tamen concludit, reſpondendum eſſe, allegato Felice *epiſt. 3. ad Acacium*, & Baſilio *ſerm. de odio & inuidia*, qui eſt 10. in Simeonis Magiſtri collectaneis : & huic parti eſt adhærendum.

Taciturnitas ad famosa scripta, quando prudens & probanda.

131. Aliquando tamen per accidens, taciturnitas ad famosas scriptiones posset approbari. Sic Sanctus Ignatius, noluit decreto præproperè lato contra Sedis Apostolicæ approbationem, responderi, quòd in tam perspicuo iure, omnia mox in fumum abitura non dubitaret, sicut reuera contigit. At ex vno illo singulari facto, vniuersalem inferre conclusionem, hominis est à Dialectico ostio aberrantis. In pari tamen euentu, innoxium esto silentium. Item posset responsio sine labe prætermitti, si aduersarius exceptiones nullius momenti ingeminans, ad iterationem superuacuæ defensionis prolicere niteretur. Tunc enim locum habere posset hoc Diui Augustini consilium 2. *Ciuit.cap.*1. [Quis disceptandi finis erit, & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus, semper existimemus? Nam qui vel non possunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri sunt aduersitate mentis, vt etiamsi intellexerint, non obediant, respondent vt scriptum est, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani sunt. Quorum dicta contraria, si toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerint non curare quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant, quàm sit infinitum, & ærumnosum, & infructuosum, vides. Quamobrem nec te ipsum, mi fili Marcelline, nec alios, quibus labor vester in Christi charitate vtiliter, ac liberaliter seruit, tales meorum scriptorum velim iudices, qui responsionem semper desiderent, cùm his quæ leguntur audierint aliquid contradici, ne fiant similes earum mulierculârum quas commemorat Apostolus, semper discentes, & ad veritatis scientiam nunquam peruenientes.]

Hoc D. Augustini consilium exosculor in euentu, de quo ipse agit, nimirum post iam datam semel, aut iterum responsionem. Tunc enim præstat dicere cum S. Hieronymo *in Apolog.ad Domnionem.* [Possum remordere, si velim; possum genuinum dentem læsus infigere. Et nos didicimus litteras, & nos sæpè ferulæ manum subduximus. De nobis quoque dici potest, fœnum habet in cornu, longè fuge. Sed magis volumus esse discipuli eius, qui ait, *Dorsum meum posui ad flagella, & faciem meam non auerti à confusione sputorum; qui cùm malediceretur, non remaledixit*, & post alapas, crucem, flagella, blasphemias, nouissimè pro crucifigentibus deprecatus est, dicens: *Pater ignosce, quod enim faciunt, nesciunt.* Et ego ignosco errori fratris. Intelligo, quia Diaboli arte deceptus est.]

132. Sed hæc omnia sunt per accidens. Per se autem loquendo, fas est, imò necessarium, etiam Religiosis, respondere stultis secundùm stultitiam suam. Abeo, spiculum ab Hispano Poëta *lib.*10. *epist.*5. famoso scriptori non apprecans, sed prænuncians.

Quisquis stolæve, purpureve contemptor,
Quos colere debet, læsit impio versu.
Pontes per vrbis erret exul, & cliuos,
Intérque raucos vltimus rogatores.
Oret caninas panis improbi buccas,
Illi December longus, & madens bruma,

Clausúsque

Clausúsque fornix triste frigus extendat.
Vocèt Beatos, clamitétque fœlices,
Orciniana qui feruntur in sponda;
Et cùm supremæ fila venerint horæ,
Diésque tardus, sentiat canum litem,
Abigátque moto noxias aues panno,
Nec finiantur morte, supplicis pœnæ:
Sed modò seueri sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus,
Nunc inter vndas garruli senis, siccus,
Delasset omnes fabulas Poëtarum;
Et cùm fateri furia iusserit verum,
Prodente clamet conscientia, scripsi.]

Scripseram ita ante annos minimum sex. Dúmque ista sub pluteo marcent, incidi in scriptum elegans, eruditum, forte, Ioannis Rhò contra Constantinum Caëtanum, siue verum, siue personatum. Eius scripti initio, robustè æquè ac concinnè euincitur, operæ pretium esse, etiam Religiosis, cùm libellis famosis impetuntur, respondere stulto iuxta stultitiam suam. Illuc amando lectorem, plenioris discussionis huius puncti auidum.

Erotema IX.

An libri mordaces configendi.

AD libellos famosos accedunt libri, qui licèt non sint ex instituto con- 1335
scripti ad aliqs commaculandos, tamen sunt plus iusto piperati, & saliti, ac pro occasione genuinum licentiùs infigunt. Nec ago de libris salsa aliqua, & iocosa continentibus; eiusmodi enim scriptionum lepores, possunt absque mordacitate consistere, vt de Thomæ Mori scriptis, notauit Stapletonius *in Mori vita, cap.*2. Ago igitur de libris verè mordacibus, ac Theopompino, (vt Tullius *in* 2. *ad Attic.* vocauit,) scriptionis genere exaratis, hoc est, acri & mordaci, vt rectè Nicolaus Loënsis Tullianam illam vocem expositit *lib.*1. *Miscell. cap.*5.

Iusta scriptionum mordacium confixio astruitur.

Non dubium quin hi libri sint digni, in quos exeratur confixio, si præter causæ, de qua agitur, exigentiam, sint aculeati, & ab iis autoribus conscripti, quos Ennius apud Gellium *lib.*20. *cap.*9. expostulabat, esse,

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis.

Hæreticis id est perfamiliare, & tanquam eorum notam decimam, assignat Codex Fabrianus *lib.*1. *tit. de summa Trinit. & fide Cathol.* §. *decima nota.* Grammaticorum item præcipuum id esse probrum, cósque hac mordendi impetigine supra omnes laborare solitos, æuo nostro testis locuples est, quem

dixere *Burdium*, cuius, ac sociorum, diuinam Grammaticam, Ciofanius, Serrarius, aliique exagitarunt. Seculo proximo, eadem scabie turpis fuit Domitius Calderinus, teste Politiano *lib.1. miscell. cap.9.* Item non ita multo antè Laurentius Valla, de cuius præduris in omnes censuris & elato supercilio, Magius *lib. de equuleo, cap.2.* Iouianus Pontanus *lib.1. de sermone, cap. de contentiosis*, (referens ausum Vallam iactare, habere se spicula quibus Christum ipsum configeret.) & Eugubinus initio operis de donatione Constantini. Vnde Epitaphium mortuo appositum, cuius meminit Volaterranus *lib.21. commentar. vrbanorum*, & Alciatus *lib.4. disputatio. cap.7.*

Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli est:
Si quæris quid agat? Nunc quoque mordet humum.

Et illud apud Genebrardum *lib.1. de Trinit. sub finem.*

Posteaquam Manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Iupiter hunc supero dignatus honore fuisset;
Censorem linguæ sed timet esse suæ.

134. Sumendum porrò laxiùs est Grammaticorum nomen, cùm mordendi prurigine laborare dicuntur, & hæc eorum esse labes propria. Nimirum ita, vt pro vsu antiquo, de quo ex D. Gregorio, & aliis infrà agemus, etiam Poëtas comprehendat. Nam Poëtis maledicentiam, & scribendi acerbitatem esse frequentem, neminem latet. De Archilocho res est vulgatissima, nec non de Hipponacte. Vnde Tullius *in familiaribus epistolis*, agens de Tigellio, Hipponacteum præconium pro mordacissima vituperatione dixit, quæ sic lacerato, acerbissima accideret. Præ amarulentia enim scriptionis, Hipponactem ad restim adegisse æmulos, iactatum est, quamuis refragante Plinio *lib.36. cap.5.* Bupalum, & Athenim statuarios, fuisse obiecta maledicentiæ Hipponactis, ex variis declarat Adrianus Iunius *lib.1. animaduers. cap.16.* Idque est quod Iulianus Imper. *epist. ad Alypium*, attingit de pugna Bupalia, & quod Leonides Epigrammatarius, vocat *odium Bupalium.* Memorantur etiam à Flacco mordaces, & denigrantes Bionis Poëtæ sales, de quibus ait,

——— *Hic delectatur Iambis,*
Ille Bioneis sermonibus, & sale nigro.

Id est, vt interpretatur Bernardinus Gomesius *lib.4. de sale, num.46.* carmine mordente, ac denigrante alienam famam. Sed hæc antiqua. Præter hos acerbos olim Poëtas Archilochum, & Hipponactem, & Bionem, scribit Muretus *lib.8. var. cap.1.* nouisse se Poëtam, qui versibus suis tantum inimico dolorē immiserit, vt ex eo ille sit mortuus. Quare præter cæteras causas quas ibi latè prosequitur, Poëtas apibus confert, quòd sint aculeis armati, & mella amœnæ scriptionis præferentes. Crabronibus rectiùs contulisset, aut vespis. Nam & Archilochi scriptoris petulantissimi tumulo, ad eius maledicentiam signandam, appositas esse vespas, *lib.3. Anthol.* habetur illis carminibus.

Archilochus iacet hoc in littore tectus, amara
Cuius vipereo carmina melle madent.
Sanguine fœdauit Musarum Helicona: Lycambes
Luget Natarum turpia lora trium.

Hospes

Hospes abi tacitè, moneas ne fortè crabrones,
Illius in tumulo, quos habitare vides.

Crabrones dixit interpres, cùm *vespas* vertere debuisset, vocem Græcam σφηκὰς, vt rectè notauit Aldrou. *lib.*1. *de insectis, cap.*6. §. *emblemata.* Sed in vicinis nominibus, necessitate carminis vrgente, facilè condonatur vnius pro alio vsurpatio. Huiusmodi ergo siue crabrones, & vespæ, siue apes, pungunt aculeo infixo, sed in damnum suum. Nam, vt est apud S. Basilium *in cap.*7. *Esaiæ*, ad illud, *& in regione Assyriorum api*, optimè per apem exprimitur, quid aculeatis hominibus contingat. [Est apis, (inquit,) exigui admodum corpusculi animalculum, imbelle, eo ipso quo se vindicat, & tuetur, sibi inferens mortem, nempè aculeo: vnâ enim cum exerto aculeo, inflictæ plagæ immoritur. Et quidem sauciato nonnihil infert noxæ; sibi autem infixo mox aculeo vitam adimit. Talis planè est natura hominum istorum, qui suopte ingenio amarulenti sunt, qui aduersùs Spiritum sanctum digladiantur, ac pugnant, suámet enim malignitate tanto affliguntur atrociùs, quàm quicumque per eorum indignationem offenduntur.]

Videntur profectò aliqui in scriptionibus suis, perpetuò litare Herculi Lindio. Huic, vt est apud Origenem *lib.*7. *contra Celsum*, & apud Lactantium *lib.*1. *instit. cap.*21. Sacra fiebant, non εὐφημία, (vt Græci appellant,) sed execrationibus, maledictisque, atque conuitiis; & habebantur Sacra illa pro violatis, si quando inter solemnes ritus, vel imprudenti alicui, excidisset verbum bonum. Causam ritus illius, non tam sacri, quàm sacrilegi, aperit fusè Lactantius. Ea ergo obire Sacra videntur, quibus non sunt nisi verba aspera scribendo. Diceres plerisque Scriptoribus accidere, quod diuino iusto iudicio in quodam fellitæ mentis homine contigit, referente Petro Damiani *lib.*6. *epist.* 32. Narrat enim, eum fel cum anima emisisse, & in feretro quoque iacentem, fel ex ore, quo etiam pauimentum longius irrigabatur, effudisse. Ita & aliqui, velut ex felle concreti, nihil nisi fellitum & amarulentum promunt. Digladiationes plusquam hostiles Scriptorum Gentilium memorat Tiraquellus *cap.*31. *de nobil. num.* 533. & S. August. 18. *ciuit. cap.* 41. ac Arnob. *lib.*2. eadem de Christianis dici posse, probrosum est. Quanquam & iam olim Celsus apud Origenem *in fine libri quinti*, id illis exprobrauit, & nuper Ludouicus Viues *lib.*3. *de tradendis disciplinis* multo auctiorem agnoscit acerbitatem Christianorum Scriptorum, cùm expostulet, meliùs inter se latronibus, quàm nunc scriptoribus conuenire. Origenes *lib.*1. *contra Celsum*, *in ipso fine*, ait, [id esse plebeium, & indignum Philosopho vitium, ac furoris indicium.] Non id est, vt Nazianzenus *in Monodia num.*100. de S. Basilio aiebat, calamum quasi ex spiritus pyxide mouere; nec in cordis igne, vt de Sergio Constantinopolitano aiebat Pisidas *vers.*1840. linguam, seu calamum indere: sed spiritum virulentissimum pectore abditum, efflare per calamum, & hunc in ignem maleuolentiæ internæ velut intingere; quod nemo non videt esse indignissimum, nec contra charitatem modò, sed etiam contra iustitiam. Verum quidem est, contumeliosum scriptorem, non tam aduersarij, quem impetit, pudorem cædere, quàm suum lacerare, sibíque probrum inurere; [neque enim qui audit, (ait S. Cypr. *epist.*55. *num.*79.) sed qui facit conuitium, miser est; nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cædit, in lege peccator est, & cùm nocentes innocentibus 135.

innocentibus iniuriam faciunt, illi patiuntur iniuriam, qui facere se credunt.] Tamen negari non potest, quin is quoque, quem mordax scriptio lacerat, dampnum sustineat iniustè.

Etiam in eos, qui priùs pupugerint, tenenda moderatio.

136. Quòd si aliquando iusta & innoxia videri posset mordacitas scriptionis, tunc sanè præsertim, cùm anteriùs momorderit is, cui respondetur. At vide quàm sobrij passim, etiam post malignam infectationem, sint sapientes scriptores. Vnum, & alterum de innumeris profero exemplum, infigendæ lenitati in hoc genere, planè accommodatum. Momorderat, imò lacerarat Gregorium Nyssenum Eunomius. Ad eam maledicentiam, hæc tantùm Nyssenus *orat.* 4. [Quæcumque ad maledicentiam, & conuitia contra nos sunt elaborata, vt ad rem nihil pertinentia, tacitus præteribo. Fortassis enim talis orationum impetus, artificiosa quadam ratione decurrens, Oratoribus familiaris est ad maiorem accusationis tumorem inuentus. Quare contumeliosè agat sua arte hic sophista, & probris, ac sæuis dictis nos iuueniliter lacessat, & incitet, ac inter certamina longiores spiritus producens, appellet nos inertissimos, omnium maximè miserabiles, turbido, & absurdo motu plenos; & quicquid vult pro suo iure, nos omnium viliissimos, & contemptissimos subsannet, & turpi fama differat. Nos sustinebimus; dedecus est enim viro prudenti, non sanè conuitiantem audire, sed ad ea, quæ dicuntur, conuitia retorquere. Vtile enim aliquid habet fortasse, ipsum contra nos suo ingenio vsum fuisse. Nam maledicam suam in nos linguam exercens, fortasse breues inducias pugnæ contra Deum faciet. Igitur contumeliis, & atrocibus iniuriis satietur & impleatur pro sua licentia, non erit, qui contradicat. Neque enim si quis tetrum, & graueolentem spiret odorem propter corporis intemperiem, vel propter pestilentem, & malignum morbum, prouocaret benè valentem ad infortunij æmulationem, ita vt velit par pari referre, & proprium morbum in suauitatem eius, qui malè olet, arcere; talium enim misereri, & non imitari, communis consulit natura. Quare prætermissis talibus, quæ labore, & studio sermoni admiscuit cauillando, lamentando, molestè grauitérque ferendo, & conuitiando, solùm de doctrina sermonem consideremus.]

137. Non dissimiliter erga Petilianum S. Augustin. *lib.* 3. *cap.* 1. [Si & ego (inquit) tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus, vt ij qui nos legerent, alij detestatos abiicerent sana grauitate, alij suauiter hauirent maleuola voluntate? Ego quando cuique, vel dicendo, vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi dominus donat, frænatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori, lectoríve consulens, non ago vt efficiar homini conuiciando superior, sed errorem conuincendo salubrior. Si enim qualecumque cor habent, qui ea, quæ scripsisti, considerant, quid tibi profuit ad causam, quæ inter nos de communione catholica, vel de parte Donati agitur, quòd relicto negotio quodammodo publico, priuata quadam simultate hominis vnius vitam, maledicis opprobriis infectatus es, quasi homo ille sit causa quæ inquiritur? Tam malè existimasti,

existimasti, non dicam, de Christianis, sed de ipso humano genere, vt non crederes posse tua scripta in manus aliquorum venire prudentium, qui se à personis nostris tollerent, & quæstionem potiùs, quæ inter nos vertitur, inquirerent, nec qui, vel quales essemus, sed quid pro veritate, vel contra errorem diceremus, attenderent? Et horum iudicium tibi reuerendum fuit, quorum reprehensio præcauenda, ne te arbitrarentur nihil inuenisse, quod diceres, nisi tu proponeres, cui quoquomodo malediceres. Sed videlicet quorundam leuitate, atque vanitate, qui libenter audiunt, lites nugantium disertorum: vt cùm attendunt quàm eloquenter conuicieris, simul non intueantur, quàm veraciter conuincaris. Simul & illud opinor egisti, vt occupatus in ea defensione, susceptam causam etiam ipse desererem; atque ita hominibus non ad disputantium, sed ad litigantium verba conuersis, obscuraretur veritas, quam dilucescere, atque innotescere formidatis. Ego itaque contra tale consilium quid agam? nisi mea potiùs defensione neglecta, rem teneam, de qua intentionem meam nullus meus criminator excutiat; domum Dei mei, cuius decorem dilexi, præconio seruientis vocis extollam; me verò humiliabo & abiiciam.] Conuertit mox orationem ad lectores maledictorum, quæ Petilianus in ipsum D. Augustinum vomuerat, eósque verbis Apostoli commonet de vanitate humanorum iudiciorum, & quàm parui sint facienda, quæ ab humano die in nos, & famam nostram, iudiciis malè fundatis intorquentur. Vnde confirmatur, contemptionem contemptionis, & mordacitatis aduersarij, quæ non nisi ea iudiciorum alienorum despectione solidè stabilitur, captandam studiosè esse Christianis.

Habet itaque hîc locum circa scriptiones in eos, à quibus demorsus sis, 138.
quod S. Chrysostomus de verbali maledicentia tradit *in Psal.* 49. ad illud, *Os tuum abundauit malitia.* Sic enim philosophatur, postquam de correctione prudenti, & charitatis plena, fusè disseruit. [At aliquam tibi fecit iniuriam? Cur ergo teipsum quoque iniuriâ afficis? Qui enim se vindicat, seipsum ense petit. Si vis enim & teipsum beneficio afficere, & illum probè vlcisci, benedicas de eo, qui tibi fecit iniuriam. Ita facies, vt multi sint eius pro te accusatores, & ipse magnam mercedem accipies. Sin autem maledicas, ne fides quidem tibi habebitur, vt qui inimicitiarum suspicione labores. Quare tuum studium tibi vertitur in contrarium. Tu enim volebas bonam eius famam euertere; contra autem accidit. Per laudem enim, non per accusationem, hoc euenit: sed contrà omnino, & teipsum quidem maiori ignominia afficis, illum autem tua tela non tangent. Inimicitiæ enim, quæ se offerunt animis audientium, non sinunt, vt quæ dicuntur, aures eorum admittant, & idipsum accidit, quod in præscriptionibus. Quando enim quispiam in iudicio aliquid obiecerit, vniuersum interea dissoluitur. Ita hîc etiam non permittit, suspicio inimicitiarum, vt admittatur iudicium. Ne ergo maledixeris, ne teipsum polluas: nec lutum contexueris, cum luto, & lateribus, sed coronas ex rosis, & violis, & reliquis floribus contexueris; nec stercus ore tuleris, quemadmodum scarabei; id enim faciunt, qui maledicunt, vt qui ipsi fœtorem primi sentiant; sed flores, sicut apes, fauósque, vt illæ, composueris, sísque omnibus comis, & affabilis; omnes enim auersantur maledicum, vt illum, qui lutum redoleat; vt hirudinem, quæ sanguine, scarabeum, qui stercore, alienis malis aluntur. Os autem quod

lubenter laudat, & de aliis benedicit, tanquam membrum commune suscipiunt, tanquam fratrem germanum, tanquam filium, tanquam patrem.]

139. Nazianzenus quoque sapientissimè, vt solet, *orat.14. num.15.* [Nec me vel laudatores, vel vituperatores immutabunt; (quemadmodum qui cœno vnguentum, aut vnguento cœnum admiscent, ac per mixtionem qualitates confundunt;) vt maledicos sermones, tanquam à meipso mutatus, grauiter, & iniquo animo feram. Nam alioqui multas pecunias laudatoribus numerarem, si me laudando meliorem efficerent. Verùm aliter se res habet. Quod enim sum, hoc maneo; siue maledictis afficiar, siue laudibus in cœlum ferar. Homo autem temerè verbis natat, vt inquit Iob, ac quantum petram spuma, aut pinum, vel aliquam aliam densam, & proceram arborem, auræ; tantum me linguæ circunfluunt, ac simul huiusmodi quiddam mecum commentor: si falsa obiicit accusator, non me magis, quàm eum, qui loquitur, hæc oratio attingit, etiamsi me nominatim conuitiis petat. Si vera, me ipsum potius, quàm eum, qui loquitur, accusabo. A me enim illi sermonis materia subministratur, non autem illius sermo causa est, cur talis sim: ac vocibus præteritis, vt quæ nihil sint, mei ipsius ero; hoc vnum ex eorum improbitate commodi capiens, vt cautiùs vitam instituam.]

In eos ergo, qui scribendo, & alios sugillando, ac mordendo, Christianæ mansuetudinis immemores, recti lineas prætergrediuntur, æquum est stringi censuram, eósque quod faciunt pati, iuxta illud: [Si quis adeò procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patietur.] *l.6. C. de postul.* Ipsi Ethnici quales fuerint in Sophistam omnium retrò scriptorum mordacissimum, Zoilum dico, cuius in Homerum, Socratem, Platonem, aliósque, virulenta scripta memorat Ælianus *lib.11. var. cap.10.* discere licet ex iis, quæ habet Vitruuius *in præfat. lib.7.* ac Plinius item, *in præfat. natur. histor.*

Ausim dicere his contingere, quod Cato picam voranti: vel narratio est, vel apologus metricus. Credo Palladij,] huc haud iniuria aptabilis, ex *lib.4. Epigr. veter. Poëtar.*

Mordaces morsu solitus consumere mures;
Inuisum & domibus perdere dente genus.
Catus in obscuro, cepit pro sorice picam
Multiloquúmque vorax sorbuit ore caput.
Pœna tamen præsens, prædonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obsessis vitalis semita cessit;
Et satur escali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne?
Hostem pica suum mortua discruciat.

Apodosis, est per se obuia. Improuidè mordens, ipso suo morsu conficitur.

Causa

Cauſæ exigentia, mordacitatem quandoque honeſtat.

Monebam tamen, ſpectandam eſſe cauſæ exigentiam; interdum enim ar- 140.
gumentum, de quo agitur, & aduerſarij malignitas, aliud poſtulat. Exemplo eſſe poſſunt Patres nonnulli, qui aliàs temperatiſſimi, & mitiſſimi, tamen ad comprimendum hoſtium Eccleſiæ furorem, vel ad reſpondendum ſtulto, ſecundùm ſtultitiam ſuam, nullis aſperis ac acerbis verbis pepercerunt. Quis neſcit quàm piperatus & aculeatus ſoleat eſſe S. Hieronymus, cùm aduerſarios ſcriptis inſequitur? A Ruffino, (vt ipſemet *lib.1. Apolog. ſub finem, num.41.*) refert, maledicus audiuit, & detractor, ac qui in omnes genuinum infigeret. Reſpondet ille, negando ſe violaſſe vſpiam quemquam; eſſe tamen apud eum aſpera quædam, negare non poſſumus. Sed quod epiſtola de vitando ſuſpecto contubernio præfatur, extorquebat id ab eo argumenti malignitas. [Hoc obſecro, (inquit,) vt ſi mordaciùs quippiam ſcripſero, non tam meæ putetis auſteritatis eſſe, quàm morbi. Putridæ carnes ferro curantur, & cauterio venena ſerpentina, pelluntur antidoto. Quod ſatis dolet, maiori dolore expellitur.] Et *epiſt. ad Bonaſum.* [Medici quos vocant *Chirurgicos*, crudeles putantur, & miſeri ſunt. An non eſt miſeria, alienis non dolere vulneribus, & mortuas carnes inclementi ſecare ferro? Non horrere curantem, quod horret ipſe qui patitur, & inimicum putari? Ita ſe natura habet, vt amara ſit veritas, blanda vitia exiſtimentur.] Et mox ſubiectis pleriſque exemplis Sanctorum, qui iuſta aſperitate alios offenderunt, ſubdit. [Vnde non mirum eſt, ſi & nos ipſi vitiis detrahentes, offendimus plurimos. Diſpoſui naſum ſecare fœtentem; timeat qui ſtrumoſus eſt. Volo corniculæ detrahere garrienti; rancidulam ſe intelligat cornix.] Congerit alia eam in rem permulta, contra eum à quo *Satyricus in proſa ſcriptor*, dictus fuerat. In præfatione *lib.3. in Ierem.* aduerſariis clauam tanquam monſtris intentat.

Scribenti aduersùs Hæreticos, innoxia mordacitas, exemplo Scripturæ.

Quia res eſt magni omninò momenti, illuſtrare eam placet, & quoad ſcri- 141.
ptiones in Sectarios, & quoad ſcriptiones in alios, grauiter quidem errantes, ſed abſque hæreſi formali. De priore puncto dicendum & in genere, & ſigillatim. [Ac generatim quidem dicere poſſumus, Patres Scripturam ipſam imitatos, in ſcriptione aduersùs Hæreticos, vix vllis aſperis, & aculeatis, ac horrentibus verbis parcere. Nam in Scripturis iſta in Hæreticos legimus, non iam verba, ſed ſpicula. *Homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, διάβολοι, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei; habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: homines corrupti, mente, reprobi circa fidem, mali homines, & ſeductores, errantes, & in errorem mittentes,* Apoſtolus 2. *Timoth.3.*

Sicut Sodomitæ, & Gomorrhæi, carnem maculantes, in epistola Iudæ, num. 7. *Muta animalia,* num. 10. *Abeuntes in via Cain, & errore Balam mercede effusi, ac in contradictione Core, destructi,* num. 11.

In epulis suis maculæ, conniuantes sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes confusiones suas, sydera errantia, num. 12. & 13.

Contra Deum peccatores, impij murmuratores, querulosi, secundùm desideria sua ambulantes, quorum os loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa, num. 16.

Illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus, segregantes semetipsos, animales, spiritum non habentes, num. 19.

Magistri mendaces, introducentes sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negantes, superducentes sibi celerem perditionem, per quos via veritatis blasphematur. 2. Petri 2. num. 1. & 2.

Post carnem in concupiscentia immundicitiæ ambulantes, dominationémque contemnentes, audaces, sibi placentes, sectas non metuentes introducere, blasphemantes. num. 10.

Velut irrationabilia pecora, coinquinationes, & maculæ, deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij, secuti viam Balaam, fontes sine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur; libertatem permittentes, cùm serui sint corruptionis, canes reuersi ad vomitum, & sues lotæ in volutabro luti. num. 12. *& seqq.*

142. Libauimus ista ex Scripturis, pauca de multis, quæ addensare præterea in hanc rem licuisset. Quomodo autem ista non in priscos tantùm, sed in nuperos quoque hæreticos quadrent, egregiè persequuntur Adamus, & Feuardentius, explanantes epistolam Iudæ, ac Henricus Lancellottus, in Anatomia Christiani deformati. Hunc spiritum asperum in hæreticos, hausere Patres ex Scripturis. Itaque nihilo in illos sunt leniores, vt liquebit ex subiecto specimine titulorum, quibus hæretici afficiuntur à variis Patribus.

Vaniloqui & mentis seductores, non Christiani, sed Christum mercantes, in fraudem circumferentes nomen Christi, & cauponantes verbum Euangelij, & erroris venenum blando alloquio implicantes, tanquam mulso cicutam temperantes. S. Ignatius *epist. ad Trallianos.*

Diaboli propagines, ibidem.

Manifestati, velut à terra fungi. S. Iren. *lib. 1. cap. 33.*

Organa Satanæ. Idem *lib. 5. cap. 26.*

Blasphemi, & impudentes Sophistæ. ibid. cap. 20.

Diaboli instrumenta. Clem. Rom. *6. const. cap. 10.*

Progenies Satanæ, & ingratæ creaturæ. S. Basil. *epist. 141.*

Diaboli. Epiph. *hær. 69.*

Instauratores Paganismi, & Idololatriæ. Nyssenus *orat de S. Basilio.*

Pestes, & lues fidei. Cyprian. *de vnit. Eccles.* August. *epist. 56.* Vinc. Lirin. *in commonitorio.*

Fures & latrones. Naz. *orat. 28.*

Sanctæ

Sancti momentanei, & Theologi vnius diei. Nazianz. *orat.* 33.
Mendacij exercitus, fraudis propugnatores, Dæmonum expeditio, immundorum spirituum legiones, furiarum exercitus. Idem *orat.* 48.
Solo nomine Christiani. S. Leo *serm.* 18. *de passio.*
Leprosi. S. Ephrem *de virt. c.* 8. Prosper 2. *p. de promiss. c.* 6. Beda *in cap.* 13. *Leuit.*
Mali caupones. Hieron. *lib.* 1. *in Isaiam.* Isidor. Pelus. *lib.* 1. *epist.* 169. Athanas. *serm. contra omnes hæreses.*
Ligna infructuosa, & saltus absque vtilitate pomorum. Hieron. *in cap.* 10. *Eccles.*
Clibani impietatis. Idem *Osee* 7.
Filij pestilentiæ, tenebrarum fontes, gurgites omnium malorum, templa omnium Dæmoniorum. Lucif. Calarit. *lib.* 1. *pro S. Athanasio.*

Frequens est Patribus, hæreticos notare bestiarum nominibus, eósque damnare bestialitatis: quod adeò approbauit S. Ambrosius *lib.* 2. *de fide cap.* 1. vt cum hæreticos vocasset *homines*, corrigat dictum, & addat, *vel potiùs non homines, sed humana adopertos specie, intus autem dementiæ bestialis.* Quod non nemini asperè, ac durè dictum sit visum, hæreticos appellatione *bestiarum* donari, placet exempla quædam in eam rem ex Patribus signare, prout tulerit litera initialis, nominis cuiusque bestiæ, ita vt possit id esse. 143.

Alphabetum bestialitatis hæreticæ, ex Patrum symbolis.

A.

Acontiæ. Epiphan. *hær.* 61.
Amphisbænæ. Idem *hær.* 31.
Anguillæ, in sinus mæandrósque lubricantes. Athan. *orat.* 1. *contra Aria.*
Aranei. Epiph. *hær.* 55. Hieron. *epist. ad Cypr.* Ioa. Dauid *iusto opere.*
Arietes. S. Greg. 35. *mor. c.* 6. Raban. *lib. allegor.*
Asini. Hieron. *in c.* 5. *Amos*, Victor Vtic. *lib.* 2. *perse.*
Aspides. Epiphan. *hær.* 30.

B.

Bætones Epiph. *hær.* 40.
Basiliſci. S. Ignat. *epist. ad Antioch.*
Beones. Epiph. *hær.* 50.
Bestiæ calami. Hieron. *in Paulæ epitaph. & in Psalm.* 67.
Bestiæ perstrepentes. August. *epist.* 56.
Bestiarum cohors. S. Leo *serm.* 5. *de ieiunio* 10. *mens.* & latè Lucif. Calarit. *lib. de non parc. in Deum*, &c.
Boues Rabanus *lib. allegor.*
Bruchi. Niceras *ad orat.* 42. *Naz.*
Bupreſtæ. S. Epiph. *hær.* 38.

C.

144. *Canes.* Tertull. 2. *contra Marcio.* Cypr. *epist.* 52. S. Ephrem *Christ. interrog.* 3. Naz. *orat.* 23. Hieron. *in c.* 30. *Esaiæ.* Isid. Pel. *lib.* 1. *epist.* 143. Iren. *lib.* 2. *cap.* 2.
Canes rabidi. Ignat. *epist. ad Antioch.*
Canthari ob dogmata stercorea. Hieron. *in cap.* 2. *Abac.*
Cantharides. Epiph. *hær.* 79.
Carchariæ. Epiph. *hær.* 33.
Castores. Tertull. *lib.* 1. *in Marcio. c.* 1.
Cenchritides. Epiph. *hær.* 66.
Ceraſtæ. Epiph. *hær.* 24.
Chamæleontes. Epiph. *hær.* 80.
Cimices. Auguſt. 4. *in Iul. c.* 9.
Ciniphes. Auguſt. *ſerm.* 86. *de temp.*
Colubri. Caſſianus 7. *de Incarn. c.* 2.
Corui. Cypr. ad Nouat. *de pace lapſorum.* Proſp. 1. *p. de prom. cap.* 7. Rupert. *in cap.* 1. *Ioann.*
Culices. Epiph. *hær.* 46.

D.

Dracones. S. Ignat. *ad Antioch.* Epiph. *hær.* 40. Anaſt. Syn. *c.* 22. δδηγὰ.
Dracænæ. Epiph. *hær.* 30.
Dryinæ. Epiph. *hær.* 65.

E.

Elopes. Epiph. *hær.* 62.
Equi. Primaſ. *lib.* 3. *in Apocal.*
Erucæ. Nicetas *ad orat.* 33. *Naz.*

F.

Feræ arundinis. Aug. *lib. de otibus, c.* 14. *& in Pſalm.* 67.
Feræ, humanam formam præferentes. S. Ignat. *ad Smyrn.* & ex eo Theodor. Studita *Catech.* 127.
Feræ ſyluæ. Iren. *lib.* 1. *cap.* 35.
Feræ ſæuiſſimæ. Naz. *Orat.* 19.

G.

Gallinacei. S. Iren. *lib.* 3. *cap.* 15.
Greges brutorum, & animalium immundorum. Philo Carp. *in c.* 1. *Cant.*
Gryphes. Heſych. *in cap.* 11. *Leuit.*

H.

Hæmorrhi. Epiph. *hær.* 48.
Hericij. S. Hieron. *Iſaiæ* 34.
Herodiones. Idem *in c.* 5. *Zachar.*
Hirci. Clem. Alex. 3. *ſtrom. c.* 1.
Hydræ. Ambroſ. 1. *de fide c.* 4. Epiph. *hær.* 30. Caſſia. *lib.* 1. *de Incarn. cap.* 1.
Hydri. Epiph. *hær.* 25.

I.

Iuli vermes. Epiph. *hær.* 51.
Iumenta caudis tegentia ſtercus ſuum. Hieron. *in c.* 9. *Eſaiæ.*

Lacertæ.

L.

Lacertæ. Epiph. *hær.* 53.
Lamiæ S. Greg. 19. *Moral. c.* 15.
Leones rugientes. Lucif. Calarit. *lib.* 1. *pro S. Athan.* Cyril. *Catech.* 6. Hieron. *in cap.* 11. *Oseæ* Auguſt. *hom.* 10. *in Apocal.*
Locuſtæ. Rich. Victor. *lib.* 3. *in Apocal. cap.* 6. Nicetas *ad orat.* 42. *Naz.*
Lupi. Orig. *tract.* 25. *in Matth.* Autor. imperf. *homil.* 19. S. Ephrem *interrog.* 3. *Chriſt.* Naz. *orat* 19. Theodor. Syrus *carm. de diſceſſu Nazianzeni Byzantio*, & latè Stanil. Socolou. *orat.* 2. *Eccleſ.*

M.

Memyces. S. Epiph. *hær.* 41. 145.
Milui. Heſych. *lib.* 2. *in Leuit.*
Moruri. Epiph. *hær.* 62.
Muli. Athanaſius *in vita S. Antonij.*
Muranæ. Epiph. *hær.* 30.
Mures. Tertull. *lib.* 1. *in Marcio. c.* 1.
Muſcæ. Aug. *tract.* 1. *in Ioan.* Vinc. Lyr. *in comm.*
Myagri. Epiph. *hær.* 61.

N.

Noctuæ. Ambroſ. *ſerm.* 43. & 5. *Hex. c.* 24.
Nycticoraces. Nouatian. *de cibis Iudaic. c.* 3.

O.

Onagri. S. Greg. *ib. moral. c.* 23. Rabanus *lib. Allegor. tom.* 5.
Oſtraciuæ. S. Epiph. *hær.* 40.

P.

Pardi. Cyrill. Alex. *lib.* 2. *Dialog.* cum Herm. Gillebert. *ſ.* 29. *in Cant.* Aug. *hom.* 10. *in Apocal.*
Pemphredones. Epiph. *hær.* 41.
Perdices nimis contentioſæ. S. Auguſt. *tract.* 3. *in epiſt. Ioan. & lib.* 13. contra Fauſt. *cap.* 12.
Phalangij Tetragnathi. Epiph. *hær.* 35.
Phyali. Epiph. *hær.* 50.
Porci. S. Ephrem. *interrog.* 3. *chriſt.* Naz. *orat.* 42. & *ibi* Nicetas. Anaſt. *cap.* 4. & 14. ὁδηγ.

Q.

Quadrupedes in deſerto. Hieron. *in c.* 30. *Iſaiæ.*

R.

Ranæ. Gelaſ. *epiſt.* 5. Auguſt. *de Decal. &* 10. *plagis.* Ether. & Beat. *lib.* 1. *contra Elipand.*
Rubetæ. Epiph. *hær.* 64.

S.

Scarabæi. Epiph. *hær.* 40. Hieron. *in cap.* 2. *Abacuc.*
Scytalæ. Epiph. *hær.* 63.
Scolopendræ. Epiph. *hær.* 51.
Scorpiones. Tertull. *in ſcorp.* Epiph. *hær.* 31. & 58. Anſel. *in c.* 9. *Apocal.*
Sepes, Viperæ. Epiph. *hær.* 28.

Sepiæ.

Sepiæ. Tertull. *lib.* 2. *in Marc.* Naz. *orat.* 32.
Serpentes. Iren. *lib.* 4. *in præf.* Ambros. *lib.* 2. *in Luc.* Hieron. *lib.* 1. *in Iouin.* Chrysost. *hom.* 45. *in Matth.* August. *in Psalm.* 57. Leo Magnus *serm.* 5 *de ieiunio decimi mensis.*
Simiæ. Ignat. *epist. ad Antioch.* Cypr. *epist.* 73. Chrysost. *homil.* 19. *in Matth.*
Stelliones. Epiph. *hær.* 49.
Struthiones. Eucher. *in formul. spir. intell. cap.* 1.
Sues. Hieron. *lib.* 1. *in Iouin.* Greg. 31. *mor. c.* 1.

T.

Talpæ. Epiph. *hær.* 52. Eucher. *cap.* 1. *Formular.*
Tauri ceruicosi. S. Aug. *in Psalm.* 39. & 106.
Tauri inter vaccas populorum. Greg. 35. *mor. c.* 6.
Tauri pingues. Lucif. Calar. *de non parcendo delinq.*
Testudines tardigradæ. Hieron. *in cap.* 12. *Osee.*
Tineæ. Ambros. *præf. in Luc. & lib.* 1. *de Spir. S. cap.* 20. Greg. 18. *mor. c.* 9.
Typhlopes. Epiph. *hær.* 61.

V.

146. *Vaccæ lasciuientes.* Hieron. *Ierem.* 46.
Vermes. Lucif. Calar. *lib. de non conuen. cum hæret.*
Vespæ. Epiph. *hær.* 44.
Vespertiliones. Nouatian. *de cibis Iudaic.*
Viperæ. Chrysost. *hom.* 45. *in Matth.* Epiph. *hær.* 26. Hieron. *in Paulæ laud.* Fulg. *lib.* 1. *de remiss. pecc. cap.* 16.
Vituli abarmentati. Lucif. Calar. *lib. de non parcendo in Deum delinq.* Cyril. Alex. *in exposit. fidei.*
Vpupæ. Hieron. *in cap.* 5. *Zach.*
Vrsi. August. *homil.* 10. *in Apocal.*
Vulpes. Ambros. *lib.* 7. *in Luc. ad cap.* 9. Hieron. *in Orationem Ieremiæ.* August. *in Psalm.* 67. & *serm.* 107. *de temp.* S. Greg. *in cap.* 2. *Cant.* S. Bern. *serm.* 65. *in Cant.* Petr. Damiani *opusc.* 52. *cap.* 7.
Vultures. Hesych. *lib.* 2. *in Leuit.*

Z.

Zopyri Vespacei. Epiphan. *hær.* 44.

Specimen duntaxat spopondi, & exhibui. Nam si diligentiam hac in parte probare voluissem, iustum volumen conflandum fuisset. Nec plura generatim de asperitate Patrum in hæreticos.

Aliquot Patres in Hæreticos asperi, recensentur.

S. Hieronymus.

Nunc sigillatim referendi sunt aliqui Patres in hæreticis asperè tractandis insignes, quo in genere singularem acrimoniam, & nunquam de seueritate remittentem austeritatem prodit S. Hieronymus, vt cùm Vigilantium, Heluidium, Iouinianum, Pelagium, Luciferianos, Origenistas, aliúmve quempiam sectarium insequitur, dissecans libris valde excellentibus hostes, vt de eo dixit Prosper *carmine aduersùs ingratos.*

Nam

Nam in hos maximè opportuna est asperitas, cùm mansuetudo non profuit. Nec ea asperitas sæuitiæ est deputanda, quia, vt idem S. Hieronymus *epist. ad Riparium contra Vigilantium*, in hanc rem ait, *non est crudelis pro Deo pietas*. Commendat quidem S. Chrysostomus *serm.10. in ad Coloss.* & latè *serm. de Anathemate*; & S. Augustinus *lib.2. contra duas epistolas Pelagian. cap.3.* benignitatem, ac suauitatem in iis, qui cum hæreticis agunt: sed hoc de non præfracti ingenij hæreticis intelligunt: contumaces autem contundendos esse non negant. Vtrumque egregiè quoque tradit Theophilus Alexandr. *epist.1. Pasch.* & insigniter planè Photius, cuius longam de hac re disputationem *in lib. quæst. & responsorum ad Amphilochium*, descripsit Turrianus *lib. contra Boquinum in cap.14. à pag.200.* Breuiculum inde repræsentat, & aliis additis idem illustrat in defensione locorum *de Eccles. & Pastore cap.6.* Itaque malè S. Hieronymus ob fortitudinem scriptionis in hæreticos, mordacitatis improbatæ damnaretur. Insaniuit verò Erasmus *in Præfatiuncula ad librum contra Vigilantium*, cùm dixit *se cogi desiderare in Hieronymo Vigilantium impugnante modestiam.* 146.

S. Epiphanius.

Eiusdem cum S. Hieronymo genij fuit S. Epiphanius. Is *in præfatione Panarij* sic scribit in hanc rem. [Rogati sitis pro indulgentia veniæ, si alicubi reperietis, nos aliquos impetere, aut cauillis incessere, cùm aliàs hunc morem non habeamus. Itaque si alicubi propter zelum aduersùs hæreses, & ad auertendos lectores, exacerbati dixerimus aliquos, *deceptores*, aut *circulatores*, aut *miseros homines*, ignoscite. Ipsa enim necessitas, aduersùs huius certaminis doctrinas instans, talem nobis sudorem efficit, & vt lectores auertantur, & vt ostendamus penitùs interdictas à nostra doctrina illorum operas, mysteriáque, & doctrinas. Quo etiam per orationis, ac contradictionis nostræ vehementiam, libertatem nostram ostendamus, & quo etiam aliquos ex ipsis per grauiores putatos sermones effugiamus.] Et rursus in calce Panarij, in compendiaria fidei expositione *num.19.* [Qui hæc lecturi estis, rogo vt veniam detis meæ humilitati, ac debilitati, & mentis meæ tenuitati, quæ à multo hæreseon veneno obstupuit, & hiat, instar nauseantis, & reuomentis, propter austera verba, per quæ contra quosdam commota, inuecta est, dum aliquos *sceleste*s, aut *impostores*, aut *erroneos*, aut *deceptores* appellauit. Nam propter multam veneni molestiam, ac vexationem, (quamuis hic non noster mos sit, vt aliquos libenter sugillemus,) coacti fuimus talibus ipsos impetere verbis, quo mentem quorundam auerteremus; ne fortè putent, nos ex eo, si displicentiam nostram non publicassemus, in reuelando ea, quæ ab ipsis dicuntur, aut fiunt, partem habere mentis assentientis prauæ vniuscuiusque hæresis opinioni.] 147.

Petrus Sebastenus, SS. Basilij, ac Nysseni, germanus.

Habet hîc locum depulsio dubitationis, quæ sollicitum aliquando tenuit 148.

S. Gregorium Nyſſenum, cùm pro S. Baſilio aduersùs Eunomium reſpondiſſet. Eius verba reddo ex epiſtolà ad Petrum fratrem, Epiſcopum Sebaſtenum: [Sæpiùs interpellatus à mùltis, qui aliquo veritatis zelo tenebantur, quòd fama iam neſcio quomodo vulgauerat, me aduersùs blaſphemum Eunomium refutationem confeciſſe, è re fore iudicaui, ante omnia te ſuper hac re conſiliario vti; num ſcilicet opus euulgandum, an aliud conſilium capiendum ſit. Quod ancipitem me reddit, eſt iſtud: cùm ſub ipſam S. Baſilij mortem, librum Eunomij accepiſſem, corde adhuc deſiderio illius, & ob communem Eccleſiarum calamitatem admodum dolente: Eunomius autem non ſolùm ea quæ ad ſui dogmatis peruerſitatem ſtabiliendam conducunt, attulerit, ſed plus diligentiæ in conuitiis aduersùs Patrem noſtrum eiaculandis ſtudioſè poſuerit, exaſperatus, contumeliis ab illo effuſis, alicubi nonnihil iræ, & bilis contra ſcriptorem oſtendi. Cùm autem plerique aliam fortaſſis perſuaſionem habeant, quaſi eo ſimus ingenio, vt eos, qui petulanter in nos inſurgunt, æquo, & patiente animo ſuſtinere, & ex diſciplina S. Baſilij, moderationem in moribus quoad licet, exhibere ſoleamus; metui ne ex his quæ contra hunc aduerſarium ſcripſimus, lectoribus noui appareremus, tanquam qui ad calumniatorum conuitia facilè inflammaremur. An fortè ne tales habeamur, obſtabit, quòd non pro nobis, ſed pro probroſis in Patrem noſtrum dictis iraſcimur? Nam in huiuſmodi rebus, maiorem forſitan veniam meretur ſuccenſere, quàm moderatè agere.] Hactenus ad Petrum Sebaſtenum fratrem ſuum, S. Gregorius Nyſſenus, anceps pro nonnulla ſcriptionis ſuæ aſperitate, quam aduerſarij infrunitus animus, & calamus extorſerat.

Dubitationem ſancti viri, ita diſpulit germanus eius Petrus, redditis ad eum literis, vt eum impellat ad transfodiendam aduerſarij iactantiam, gladio ſpiritus, & ſpurcitiam Eunomianam more æmulatoris Phinees validè transfigendam; nec vereatur aſper audire in huiuſmodi ſcriptione. [Bilis enim, (inquit,) & acrimonia orationi inſperſa, ſalis vicem, & gratiam ſenſibus animæ præbet.] Eóque accommodat illius *Iobi 6. Quomodo comedi poterit, quod non eſt ſale conditum.*

S. Hilarivs.

149. S. Hilarius, qua ſeueritate egerit aduersùs Conſtantium Arrianum, tametſi Imperatorem, legere licet eo præſertim libro, cuius principium eſt, *Tempus eſt loquendi*; quem librum tametſi Eraſmus poſt Conſtantij mortem conſcriptum aſſerit, & ideircò S. Hilarium ridet, quaſi animosè inſultauerit Leoni mortuo, tamen eſſe reuera conſcriptum ſuperſtite Conſtantio, multis coniecturis aſtruit Baronius *tom. 3. Annal.* Et ſaltem conſcriptus eſt poſt mortem quidem Conſtantij, vt tradere videtur S. Hieronymus *lib. de ſcript.* in Hilario, tamen ignorante S. Hilario obitum Conſtantij, vt exiſtimat Bellarm. *lib. de ſcriptor. in Hilario.* Eo igitur lib. S. Hilarius, his præter cætera verborum iaculis impetit Imperatorem. [Pugnamus contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum.] Et mox. [Ceſſet maledictorum opinio, & mendacij ſuſpicio; veritatis enim miniſtros,

ministros, decet vera proferre: si falsa dicimus, infamis sit sermo maledicus; si verò vniuersa hæc manifesta esse ostendimus, non sumus extra Apostolicam libertatem, & modestiam, post longum hæc silentium arguentes.] Subiicit varia Sanctorum exempla, à quibus absque petulantiæ nota, Herodes, & Antiochus, fortiter, & seuerè appetiti erant. Confert Constantium Neroni, Decio, & Maximiano, imò plus debuisse his apertis persecutoribus Christianos, quàm Constantio clanculario hosti, contestatur. Vocat *Tyrannum, non humanorum, sed diuinorum, omnium crudelium crudelissimum*, damno maiore in Christianos, & minore venia desæuientem, quàm priscos illos Ethnicos, quantumuis truces, ac efferos. Appellat *sceleratissimum mortalium, filium patris Diaboli, corruptionem noctem, infidelem impium, lupum rapacem, ouem falsam, Iudæ oscula figentem.* Vides quàm non molliter S. Hilarius agat aduersùs hæreticum, tametsi in mundi vertice collocatum: ac proinde quàm non semper sit damnandus asperitatis, qui seueritate armatur contra inimicos veritatis, & ipsius Dei testes.

S. Lvcifer Calaritanvs.

Sed nullum huius rei exemplum inueniri luculentius possit, eo quod suppeditat S. Lucifer Calaritanus. Illum S. Hieronymus *in Catalogo*, & S. Athanasius, à constantia, & generositate Christiana valdè celebrat: specialitérque S. Athanasius perlectis libris eius contra Constantium, ait se perspexisse in eis, [imaginem Apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, martyrij gloriam, triumphos aduersùm hæresim, traditionem integram Patrum, regulam rectam Ecclesiastici Ordinis.] Hos libros scripserat Lucifer contra Constantium Imperatorem Arrianum, rerum tunc potientem; *pro S. Athanasio, duos; de Regibus apostaticis, vnum; de non conueniendo cum hæreticis, alterum; de eo, quòd moriendum sit pro Dei filio, item vnum.* In his libris omnes apices, tela, & spicula sunt. Nulla est verborum asperrimorum acerbitas, qua Imperatorem non feriat. Nulla comparatio Imperatoris cum aliis, quantumuis teterrimis, vt Herode, Iuda Iscarioth, & pessimis quibusque, qua abstineat. Prorsus vt incredibile videatur, Imperatoris longè potentissimi maiestatem, vires hominis vnius non fregisse, satisque ei fuisse animorum, vt eo modo stylum stringeret. Cúmque Constantius, lectis prioribus Luciferi libris, de asperitate scriptionis quereretur, reposuit Lucifer aliam lucubrationem, quæ nulli cæterarum de acerbitate concedit, inscribitúrque, *De non parcendo in Deum delinquentibus*, proposita enim sibi illis verbis expostulatione Constantij, [Dicis nos insolentes extitisse circa te, quem honorari decuerit.] Respondet Lucifer: [Si quisquam Dei cultorum pepercit Apostatis, sint vera quæ dicis de nobis.] Indeque orsus, monstrat consequenter per totum librum, omnes erraticos, per Dei cultores sic fuisse correptos, vt ipse eum corripuerat, id est, non molli & blanda correptione, sed acri & forti. Mihi quidem nusquam tanta scriptionis seueritas, siue scriptoris, siue eius, in quem scribebat, conditionem attendas, occurrere posse videtur. Et tamen laudatam vidisti eam acrimoniam, à S. Hieronymo, & à S. Athanasio, quod contra hæreticum præfracti ingenij scriberet, 150.

quem sic contundi oporteret. Et fuisse Luciferum sanctitate eximium, cœlitúmque honoribus apud Sardos meritò honestatum, trado pleniùs in tractatione de calumnia. Itaque tanti viri exemplo liquet, fas esse in hæreticos contumaces duriùs agere, præsertim cùm ipsi hæretici sint scribendo, ac loquendo admodùm acerbi in Catholicos; quod rectè monstrat Gaspar Chicocius *lib. 1. colloquiorum cap. 12. & 13.* & ad huius Erotematis finem, exemplis testatum dabo. Par tamen est deprehendi, scriptorem acerbiùs hæreticos insectantem, non homines, sed hæresim insequi, vt de se profitetur S. Chrysostomus *oratione de S. Phoca*, & optimè Naziazenus *orat. 32. num. 49.*

Etiam in Catholicos erroribus citra hæresim sordentes, aut vitiis maculosos, asperi Patres.

HIERONYMVS *in Ruffinum.*

151. Venio ad alios ab hæresis formalis nota immunes, quos tamen ob graues errores aceto mordaci perfundi, visum est Patribus operæ pretium. Qualis enim fuit S. Hieronymus *in Grunnium*, hoc est, *Ruffini exagitatione*? Et tamen quod consideratum attentè velim, non is fuit Ruffinus, quem ob apertam hæresim, lacerare liberiùs fas esset. Non pauci namque illius, & posterioris æui graues scriptores, Ruffinum commendant tanquam Catholicum. Audi enim quid de eo Paulinus *epist. 9. ad Seuerum.* [Adnotationem direxi ad Ruffinum Presbyterum, sanctæ Melaniæ in spiritali via comitem, verè Sanctum, & piè doctum, & ob hoc intima mihi affectione coniunctum.] Cassianus quoque *lib. 7. de Incarn. cap. 27.* sic de Ruffino scribit, non ignarus, quæ ei cum S. Hieronymo intercessissent simultates, & quorum insimulasset eum S. Hieronymus, [Ruffinus, Christianæ Philosophiæ vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio.] Gelasius Papa *in Concilio 70. Episcoporum*, eo decreto, quo Ruffino maximè incommodauit, iis omnibus improbatis, in quibus S. Hieronymus Ruffinum notarat, non habet tamen Ruffinum pro hæretico, aut homine nequam; imò eum vocat *religiosum virum.* Videsis eius elogia congesta ex variis à Rosvvedio *ad lib. 2. vitæ Patrum.*

152. Et tamen in hominem Romani Pontificis iudicio religiosum, ita stylum acuit S. Hieronymus, vt non possit lenis videri; quamuis, quia argumentum in quo versabatur, & iusta æmuli compressio seueritatem deposcebat, innoxia ei fuerit aculeata scriptio. Specimen repræsento. Nunc eum vocat *Scorpium*, nunc *Alecto*, nunc *Grunnium.* Ab initio *lib. 1. Apologiæ*, *canem* vocat, & eius scholam, *tyrannicam.* Per ironiam, *Sapientiæ columen*, *& normam Catonianæ seueritatis*, eum appellat. *Sui temporis Aristarchum puerilia nescientem*, nominat. Ad Grammaticæ Magistros eum amandat. Hoc enim est quod illi *lib. 1. Apologiæ* obiicit *num. 27.* [Tu, qui in Latinis mussitas, & testudineo gradu moueris potius, quàm incedis, vel Græcè debes scribere, vt apud homines Græci sermonis ignaros aliena scire videaris: vel si Latina tentaueris, antè audire Grammaticum, ferulæ manum subtrahere, & inter paruulos ἀνθυποφόρους artem loquendi discere. Quamuis Crœsos quis spiret, & Darios, litteræ marsupium

marsupium non sequuntur: sudoris comites sunt, & laboris sociæ ieiuniorum, non saturitatis, non continentiæ, non luxuriæ.]

Eandem ignorantiam Grammaticæ ei obiicit, sub illius libri finem, aiens eum ob ignorantiam Logicæ, Stoicum non esse, sed esse Epicureum, non quærentem quomodo, sed quid loquatur. Addit *ibidem*, se Ruffinum legendo, putare legere Heraclitum, ob scriptionis caliginem, qua ne suis quidem, imò nec sibi ipsi esset perspicuus: *lib.2. ferè initio*, apertissimi mendacij eum accusat. Inferiùs, nugis, & acyrologiis omnem eius scatere orationem, pronunciat. Post multa eius generis, sic concludit *cap.2.* [Tam putidè, & confusè loquitur, vt plus ego in reprehendendo laborem, quàm ille in scribendo.] Rursus *cap.3. num.24.* [Mira eloquentia, & Attico flore variata. *Quinimò etiam, & quæ mihi ad suspicionem venerunt.* Expostulat ausum illum esse, hæc Romam verborum portenta transmittere. Compeditam putes linguam eius, & inextricabilibus nodis ligatam; vix in humanum sonum erumpere. *Initio lib.3.* [In ore stulti, baculus contumeliæ.] Et mox. [Venustissimè Monachorum, bone Presbyter, imitator Christi.] Rursus *infrà.* [Apparet te voluntatem habere mentiendi, artem fingendi non habere.] Et *cap.3.* [Tantam habes Græci, Latiníque sermonis scientiam, vt & Græci te Latinum, & Latini te Græcum putent.] Non ita multo pòst. [Tibi quasi Religiosulus, & Sanctulus, personam humilitatis imponis.] *Inferiùs.* [Omne iter dictionis tuæ, absque Palladis arte, salebris, & voraginibus vitiorum inciditur.] *Cap.6.* [Eadem licentia, imò impudentia mentiendi, qua putas omnes tuis sermonibus credituros, addis,] &c. *Et paulo pòst.* [Et hoc vno capitulo comprobabo, ferream te frontem possidere fallaciæ.] *Cap.11.* [De vno pectoris sterquilinio, & odorem rosarum, & fœtorem profers cadauerum.] In extremo libro, insaniam furibundi se excantare professus, iaculis sententiarum de Prouerbiorum libro contra fatuum congestis, Ruffinum confodit. 152.

Item in discolos Monachos, & Clericos.

Neque verò contra Ruffinum duntaxat, asperior delicatulis visus est S. Hieronymus, sed *omnium lacerator* audiuit: & idcirco in omnium penè incurrit odia. Quod ne cogar signatis variis locis monstrare, ex Postumiani oculati testis narratione, apud Seuerum Sulpitium *dial.1.* certum reddo. Cùm enim de laudibus sancti viri aliqua præmisisset, & de Gallo collocutore, ipsóque Seuero, an non compertum haberent saltem ex fama Hieronymum, percontatus esset. [Nobis verò, Gallus, (inquit,) nimium, nimiúmque compertus est. Nam ante hoc quinquennium, quendam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio Monachorum ab eo vehementissimè vexarur, & carpitur. Vnde interdum Belgius noster valdè irasci solet, quòd dixerit, nos vsque ad vomitum solere satiari. Ego autem illi viro ignosco, atque ita sentio, de Orientalibus illum potiùs Monachis, quàm de Occidentalibus disputasse. Nam edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura. Tum ego; scholasticè inquam, Gallie defendis gentem tuam. Sed quæso te, liber iste numquid hoc solum vitium damnat in Monachis? Immò verò (inquit,) nihil penitus omisit, quod non carperet, laceraret, exponeret, præcipuè auaritiam: nec minùs vani- 153.

tatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit Verè fatebor, pinxisse mihi videtur vitia multorum. Cæterùm de familiaritatibus Virginum & Monachorum, atque etiam Clericorum, quàm vera, quàm fortia disputauit ? Vnde à quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari. Nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos; ita illi fremere dicuntur, cùm in illo opusculo scriptum legunt: Cælibem spernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. Ad hæc ego: Nimiùm, inquam, Galle progrederis; caue ne & te aliquis, qui hæc fortassis agnoscit, exaudiat, téque vnà cum Hieronymo incipiat non amare. Nam quia Scholasticus es, non immeritò te versu Comici illius admonebo; *obsequium amicos, veritas odium parit.*] Rursus paulo pòst Posthumianus hæc de Hieronymo subdit. [Ego apud Hieronymum sex mensibus fui, cui iugis aduersùs malos pugna perpetuúmque certamen, conciuit odia perditorum: oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit; oderunt Clerici, quia vitam eorum insectatur, & crimina; sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt: nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt.]

154. Habet lector vulgarem tunc de S. Hieronymo superstite rumorem, eiúsque causas. Ex quibus liquet, quàm iniustè, & flagitiosè vir sanctus, ab iis, qui per eum defricari sua vitia ægrè ferebant, laceraretur, vt lacerator. Claudius Taurinensis, referente Dungalo, contra S. Hieronymum, impotenter efferbuit, id quod etiam posteriores aliqui in D. Hieronymo carpendo impudenter bacchati præstiterunt, vt Erasmus, qui immodestiæ insimulauit S. Hieronymum; & lutulentiùs Simon Lithus Misenus, approbans tetrum illud S. Hieronymi dehonestamentum, à nescio quo criminatore concinnatum. [Nemo ignorat, qui pagellam saltem legerit vnam, quàm sit Hieronymus amatulentus, quàm immodestus, quàm denique furibundus; adeò vt sapientissimè olim dictum sit, responsionem Hieronymi aliud non esse, quàm iræ impotentiam, atque conuitiorum plaustra: Tolle enim conuitia, *Caupo Calagurritanus, Dormitantius, Herculis monstra.* Tolle exclamationes tragicas, ampullas, & sesquipedalia verba. Tolle iurgia, ironias, & forenses rixas, & nihil penè habebis reliqui, nihil Prophetici, nihil Apostolici.] Effrontissima hæc de sanctissimo Doctore maledicentia, non aliunde ortum habuit, quàm vnde laceratio eiusdem per priscos illos à Seuero recensitos: nimirum quòd S. Hieronymus inconciliabiliter errores, ac vitia detestaretur, & fortissimè insectaretur. Itaque hostes veritatis, fortitudinem scriptionis S. Hieronymi, immodestiæ, & furoris, ac impotentis iræ insimulare non erubuerunt. Et arietes omnes pusilli gregis, cùm in omnes SS. Patres sint pessimè animati, contra Sanctum Hieronymum omnia pudoris repagula perfregerunt; vt apud Gretserum videre est *in Apologia tertia contra Misenum cap.* 1. *lib.* 1. Et nominatim Iosephum Scaligerum, ob hanc in Sanctum Hieronymum petulantiam, castigat *lib.* 3. *var. cap.* 5. Sed hæc est maxima S. Hieronymi gloria, quòd ab hominibus nequam, sic proscindatur ob fortitudinem, & nonnullam acrimoniam scriptionis iustè aspèratæ. Huiusmodi genium S. Ambrosio communem fuisse cum S. Hieronymo, scribit Gerso *in Mystica Theolog. pract. consider.* 2. quod non puto verum; nota enim est Sancti Ambrosij placiditas, & lenitas animi.

Quàm

Quàm seuerè à multis Patribus habitus Origenes, etiamsi formaliter nequaquam Hæreticus.

Origenis scripta grauibus erroribus fuisse deformata, nemo prudens inficias iuerit, cùm id tam perspicuè S. Hieronymus, Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, aliíque euicerint. Fuisse tamen formaliter hæreticum Origenem, non conuincitur. Et Vincent. Lyrin. *cap.*23. *commonit.* post amplificatum Origenis casum, non abhorret à sententia, quæ errores libris eius inspersos, adulteratoribus tribuit: his tamen verborum iaculis à supradictis Patribus confoditur, quia sic exigebat negotij grauitas, vt minùs attentis lectoribus, seueriùs fortassis habitus, videri possit. Ad Hieronymum non redeo, qui in mordendo Origene est perpetuus. Epiphanius his floribus Origenem conspersit *hæresi* 64. [Vetera Græcorum somnia ac nugas retexit. Nugari non desinit, singulis penè dictionibus aberrat. Arrogans homo, & opinione sui inflatus, eorúmque, quæ inuestigari nequeant, scrutator, qui cœlos ipsos prætergressus est, quíque ineptissima loquacitate, Orbem terrarum impleuit. Hominum furiosissimus, variis in libris ingentes nugas effutiuit. Nugæ eius, & impia doctrina, qua humani generis vitam, ascitita Gentilium superstitione, atque improbitate corrupit: infidelis homo, & infidelibus deterior, mortalium infidelissimus. Infœlix, & insolens loquacitas. Babylon, vetus nobis instaurata confusio. Sodoma, & horribilium scelerum clamor, ad Deum vsque prouectus.] Sub finem, totam disputationem sic obsignat *num.*73. [Atque hæc aduersùs vltrò sibi sapientiam arrogantem Origenem, qui vanè sibi ipsi *Adamantij* nomen imposuit: itémque aduersùs ipsius absurditatem, & perniciosam doctrinam, contra veritatem in multis fidei partibus malè ab ipso excogitatam.] Et mox. [Hei mihi! quomodo læsus es, & quomodo alios læsisti, velut ab horrenda vipera commorsus à mundana doctrina, etiam aliis venenum factus es.] Tandem in ipsa meta. [Tu Origenes, à prædicta Græca doctrina, mente excæcatus, venenum his, qui tibi crediderunt, euomuisti, & factus es ipsis in edulium venenatum; ita vt per quæ ipse iniuria affectus es, per ea plus iniuria affeceris.] 155.

Qui Theophili Alexandrini verborum iacula in Origenem, ex paucis, quæ extant, epistolis Paschalibus velit colligere, adigendus profectò erit, ad vniuersas propè epistolas exscribendas. Vnicus locus ex *epist.*2. specimen omnium esto. Subitò enim sic exclamat, post Ieremiam *cap.*22. [*Terra, terra, audi verbum Domini. Scribe virum istum abdicatum.* Quis enim infernus hæc mala suscipere poest? Qui Tartarus de rebus istiusmodi cogitare? Quæ gigantum insania tam rebellis extitit, & Turrim impietatis extruxit? Quæ libido lasciuiens, & Dæmonum amore deperiens, sic vniuerso dogmati transeunti deuaricauit crura mentis suæ? Quis in tantum de Sodomitica vinea bibit, vt inebriatus vino furoris eius, toto corde conciderit? Quis Babyloniorum ita fluminum gurgitibus irrigatus, viuos Israël fontes reliquit? Quis egrediens de Hierusalem, & Hieroboam filij Nabath imitator existens, tot errorum altaria fabricatus est, & ararum prophana thura succédit? Cur Dathã, & Abiron, qui minora peccarũt, non veniãt ante Tribunal Christi, & sui cõparatione cõdénent eũ, qui extra Ecclesiã Saluatoris variarũ doctrinarũ thuribula Diabolico igne cõpleuit? Neque enim Dominus 156.

qui

qui loquitur per Prophetam : *Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum adsimilatus sum*, adulterinas eum docuit proferre doctrinas. Nec qui à principio ipsi viderunt, & Ministri fuerunt verbi Dei ; nec Prophetarum chorus, qui olim vocabantur *videntes*, hæc instituit. Sed ipse suæ mentis arbitrio, furori Dæmonum seruiens, & blando cogitationum errore deceptus, gregem, &, (vt ita dicam,) examen dogmatum peruersorum, per totum Orbem immisit mentibus indoctorum. Iste est qui Assyriis, Babyloniisque fluminibus aperuit os suum ; qui nauem Ecclesiæ, bonarum mercium plenam, & doctrinæ salutis, fluctibus operire conatus est, dum Imperatorum laude sustollitur, & Scripturarum sensum, aliter, quàm se habet veritas, ediffèrens, gloriatur in confusione sua. Quis enim tam innumerabiles & garrulos, & verbositatis atque imperitiæ plenos conscripsit libros, & infatigabili studio dies noctésque coniunxit, vt errorum monimenta dimittens, mereretur audire: Multis itineribus tuis deceptus es ? Vsus es enim duce pessimo, aura populari, & plurimis falsæ scientiæ voluminibus exaratis, ac rebelli contra Deum mente pugnans, vnguento Cœlestium doctrinarum, saniem quandam, & pædorem sui fœtoris immiscuit ; vt rursum ad suam animam diceretur : *Immunda, & famosa, & nimia iniquitatibus.* Neque enim Prophetam audire voluit commonentem, *Quare diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ?*]

S. Gregorij Nazianzeni scriptio in Maximum, tametsi necdum hæreticum, minimè lenis.

157. Nondum in Apollinaristarum hæresim præceps ruerat Maximus Alexandrinus ex Philosopho Cynico Christianus ; ea enim prolapsio, fuit extrema linea improbitatis Maximi, ad quam præ desperatione actus est, cùm se, & à Theodosio Imperatore, & à Damaso Papa, & à probis omnibus reiectum ac explosum vidit. Erat igitur adhuc Catholicus cùm in eum scripsit S. Gregorius Naziazenus, deprehensa ingratissimi hominis perfidia, qui Constantinopolim pessimo in ipsum S. Gregorium animo profectus, & apud eum aliquandiu diuersatus, exornatus insuper celebri encomio quod hodiéque legitur, sed mutato *Maximi* nomine, (vt S. Hieronymus *lib. de scriptor.* admonet,) in nomen *Heronis*, éstque oratio Theologi 23. calces ipsi S. Gregorio illiserat, & in eius exantorationem incubuerat. Quàm non mollis ac lenis in Maximum fuerit S. Gregorius, apud eum videre est, cùm *orat.* 28. quæ disiectis Maximi conatibus regresso in Vrbem S. Gregorio, est habita, tum carmine de vita sua. Ea oratione, Maximum nominat *canem per vim irrumpentem in classem pastorum*, idque quod absurdum valdè est, cùm ad pastoralis muneris administrationem nihil omninò contulisset aliud, quàm quod comam, cui ornandæ & alendæ turpiter studuerat, Cynicismum specie externa eiurans rasisset : qui nec in canum mansisset ordine, nec pastor factus esset, nisi vt oues laniaret atque dispergeret, & aliorum labores infringeret. Confert eum cum Iuda proditore, Christum fœdissimo mercimonio ob tantulam pecuniam vendente : fastúmque eius sub humili specie, & abditam corde superbiam, perstringit acriter ; partim apertè, partim per allusiones non magna opera euoluendas. At carmine de vita sua *à num.* 51. Maximum appellat *effœminatum,*

natum, Ægyptium, spectrum malum, rabidum canem, Cynicum, viarum seruulum, Martem horridum, mutam labem, cetum immaniſſimum; creatione altera, & Philoſophico miraculo, è ſopho in ſcropham transformatum, & moribus perditum, Proteum alterum, improbum hypocritam, qui vapulaſſe vt Martyr videri voluerat cùm eſſet nocens flagrio, fœdum canem; benè Byzantio, benè Theſſalonica & Alexandria expulſum. His & aliis huiuſmodi coloribus Maximum depingit Theologus, quæ quàm non leuis ſit tractatio hominis, permitto lectorum iudicio.

D. Bernardus, quàm aſper in Petrum Abailardum, etiamſi à formali hæreſi alienum.

Petrus Abailardus, hæreticus formalis non erat, cùm D. Bernardum habuit aduerſarium. Teſtantur id quæ de Abailardo ſcripta extant à Petro Cluniacenſi. Laborabat tamen Petrus fœdis erroribus. Quàm acriter in eum inſurgat S. Bernardus, mitiſſimus cæteroqui ſuper omnes qui morabantur in terra, ex variis locis, quibus hominem exagitat, facilè eſt demonſtrare. *Epiſt.*188. *ad Epiſcopos, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ*, ſic de Abailardo ſcribit. [Ad vos referimus non quæſtiones, ſed læſiones fidei, & iniurias Chriſti, Patrum probra atque contemptus; præſentium ſcandala, pericula poſterorum. Irridetur ſimplicium fides, euiſcerantur arcana Dei, quæſtiones de altiſſimis rebus temerariè ventilantur, inſultatur Patribus, quòd eas magis ſopiendas, quàm ſoluendas cenſuerint. Inde fit, quòd Agnus Paſchalis contra Dei ſcitum, aut aqua coquitur, aut crudus diſcerpitur, more, & ore beſtiali: quod reſiduum eſt, non igne comburitur, ſed conculcatur: ita omnia vſurpat ſibi humanum ingenium, fidei nihil reſeruans. Tentat altiora ſe, fortiora ſcrutatur, irruit in diuina, ſancta temerat magis, quàm referat, clauſa & ſignata non aperit, ſed diripit, & quicquid ſibi non inuenit peruium, id putat nihilum; credere dedignatur. Legite, ſi placet, librum Petri Abailardi, quem dicit *Theologiæ*, (enumerat eius libros,) & animaduertite quantæ ibi ſylueſcant ſegetes ſacrilegiorum, atque errorum.] Mox petit, [vt qui aſcendit ad cœlos, deſcendat vſque ad inferos, & opera tenebrarum auſa prodire in lucem, arguantur à luce in lucem: vt dum qui publicè peccat, publicè arguitur, comprimant ſeſe etiam alij, ponentes tenebras in lucem, diſputantes in triuiis de diuinis, qui loquuntur mala in cordibus ſuis, & in codicibus ſuis ſcribunt: & ſic obſtruatur os loquentium iniqua.] 158.

*Epiſt.*189. quæ eſt ad Innocentium II. poſt multa de erroribus Abailardi, hæc de eo nominatim. [Procedit Golias procero corpore, nobili illo ſuo bellico apparatu circum munitus, antecedente eius quoque armigero Arnaldo de Brixia: ſquamma ſquammæ coniungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas, ſiquidem ſibilauit apis quæ erat in Francia, api de Italia; & venerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius: intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. In victu autem, & habitu habentes formam pietatis, ſed virtutem eius abnegantes, eo decipiunt plurimos, quo transfigurant ſe in Angelos lucis, cùm ſint Satanæ. Stans ergo Golias vnâ cum armigero ſuo inter vtraſque acies, clamat aduersùs

phalangas Israël, exprobratque agminibus Sanctorum.] *Epist.* 190. ad eundem Pontificem. [Habemus in Francia nouum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit; & nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata, & sopita dogmata, tam sua videlicet, quàm aliena, suscitare conatur; insuper, & noua addit. Qui dum omnium quæ sunt in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum nescio quid nescire dignatur, ponit in cœlum os suum, & scrutatur alta Dei, redienſque ad nos, refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui: & dum paratus est de omnibus reddere rationem, præsumit & contra fidem.] Et mox. [Nónne plus quàm Arrius hic? Quis hæc ferat? Quis non claudat aures ad voces sacrilegas?] Rursus *inferiùs*. [O lingua magniloqua! &c. Manet Angelus Domini qui secet te mediam.] Postmodum. [In primo limine Theologiæ, vel potiùs stultilogiæ suæ.] Rursus. [Dum multum sudat, vt Platonem faciat Christianum, se probat Ethnicum. Nænias eius non paucas prætereo.] *Infrà*. [Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iustius os loquens talia fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nónne omnium meritò in se prouocat manus, cuius manus contra omnes?] Post multa incomparabilis Doctor, qui etiam profunda Dei sibi aperiens, & ea quibus vult lucida, & peruia facit. Altissimum Sacramentum, & mysterium absconditum à seculis, sic nobis suo mendacio planum, & apertum reddit, vt transire leuiter possit per illud, quiuis etiam incircumcisus, & immundus; quasi Dei sapientia cauere nescierit, aut neglexerit, quod ipsa prohibuit; sed dederit, & ipsa sanctum canibus, & margaritas porcis.] Haud multo pòst. [Irridet quæ sunt Spiritus Dei; quoniam stultitia illi videntur. Insultat Apostolo, inuehitur in Euangelium, Dominum blasphemat, contemnit, aut conculcat sacrum reuerendúmque Mysterium.] Sub finem epistolæ sic concludit. [Tot calumnias & inuectiones suas quas in Deum tam impiè, quàm imperitè euomuit.]

1139. *Epist.* 191. nomine Remensis Antistitis ad eundem Innocentium ab ipso B. Bernardo conscripta. [Petrus Abailardi Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere; ascendit vsque ad cœlos, & descendit vsque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, de fide contra fidem disputans, ambulans in magnis, & in mirabilibus super se, scrutator maiestatis, & hæresum fabricator.] *Epist.* 192. [Cùm de Trinitate loquitur, sapit Arrium; cùm de gratia, sapit Pelagium; cùm de persona Christi, sapit Nestorium. Eius os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo.] *Epist.* 193. [Magister Petrus Abailardus, sine regula Monachus, sine sollicitudine Prælatus, nec Ordinem tenet, nec tenetur ab Ordine; homo sibi dissimilis est: intus Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen, & habitum.] Et mox. [Iniquitatem in excelso loquitur; integritatem fidei, castitatemque Ecclesiæ, corrumpit. Transgreditur terminos quos posuerunt Patres nostri: sed de fide, de Sacramentis, de sancta Trinitate disputans, & scribens, singula pro sua voluntate mutat, auget, & minuit. In libris, & in operibus

suis

ſuis oſtendit ſe fabricatorem mendacij, & cultorem peruerſorum dogmatum.] Eſt verum, his de cauſis S. Bernardum, à Quercetano, præfatione ad Abailardum, fuiſſe de felle & acerbitate ſcribendi reprehenſum. Sed boni omnes aliter cenſuerunt, & Eccleſia damnato Abailardo, aſtipulata S. Bernardo, hanc nouitij Cenſoris petulantiam prædamnauit.

Quàm non lenis in Cenſorem intempeſtiuum Petrus Bleſenſis.

Petrus Bleſenſis ab inſulſo ſciolo demorſus, ea in illum regerit, quæ videri 160.
poſſent aſperrima; opuſculo, cui titulum fecit, *Inuectiua in deprauatorem operum ſuorum, Canonicum regularem*; Profeſſus, diſſimulaturum quidem fuiſſe ſe iniurias ſuas, ſed veritum ne vaga, & effrænis impunitas, excitaret præſumptionis incentiua, prorupiſſe in eam ſcriptionem, ſanè piperatam, & ſalitam. Ab initio libelli, vocat aduerſarium, *ſciolum, & quem pauca litera inſanum facerent*: linguam eius vocat *doloſam, maledicam, magniloquam, ſcurrilem, diſſolutam, vipeream, è qua ſerpentis antiqui ſibilus audiretur, in qua loqueretur, qui quondam in ſerpente locutus eſt.* Vocat *inuidum, detractorem Deo odibilem, ſpiritu aſpidis, oculis baſiliſci præditum.* Addit eſſe *ſuperbum, & nihil ſcientem, languentem circa quæſtiones, & pugnas verborum, factum odorem mortis in mortem, cui frons ſit meretricis, cui moleſtus ſit pœnitentiæ labor, abſtinentia oneroſa, importabilis diſciplinæ auſteritas, ideóque ex clauſtro in inſulam, ſpecie religionis ſeceſſerit, tantùm non apoſtata.* Annumerat eum pulicibus mordacibus, tineis demolientibus, cynomiis, & cyniphibus, ac muſcis Ægypti. Ait inuoluere ſententias ſermonibus imperitis, & palliata iniquitate: diſcolum, & peruerſum diſputatorem deprauare aliena; præſtigioſis ſophiſmatibus attentare titulos veritatis: ea quæ communem, & ſimplicem intelligentiam habent, verſuto interpretationis veneno corrumpere, & calumniosè peruertere per impoſturam malitiæ atque furorem. Nominat *Prophetam Antichriſti, per quem myſterium iniquitatis iam operaretur*; vocat *Prophetam Baal, ſocium Prophetarum Achab, qui ei in mendacio diuinabant*; *Collegam Caiphæ, proditorem, ideóque Iahelis proditricis excuſatorem.* Venenoſo dente inuidiæ mordicata ab eo ſua opuſcula expoſtulat. Concludit vocans aduerſarium, *Proteo monſtruoſiorem, Manichæum, Pelagianum, errorum veterum cineres iam ſopitos iterum ſuſcitantem, & dogmata damnata ſolemniter, quaſi lignorum materiam ſibi ad æternum incendium coaceruantem.* Hactenus flores ex Bleſenſis vnica lucubratiuncula in hoſtem Religioſum. Quid ea ſcriptione aculeatius? Et fuit tamen Bleſenſis, (quod omnia eius ſcripta docent,) homo virtutis non vulgaris; & præter cætera decora, humilitatis eximiæ: quod docet longa per eum ſacerdotij, præ conſcientia tenuitatis ſuæ, & frequens pinguium Epiſcopatuum repudiatio. Sed extorquebat ab homine, pio licèt, & humili, voces aſperiores, aduerſarij malignitas, ruitura ſemper in peius, ni frænaretur. Sileo de S. Thoma *opuſc.* 17. & 19. & de S. Bonauentura in Apologia, quos tametſi modeſtiſſimos, ſenſerunt aculeo non carere aduerſarij, non quidem formaliter hæretici, ſed tamen grauibus erroribus laborantes, quos propugnabant, & ſordebant, etiam non leuibus maculis moralibus, quas validè defricari oportebat.

Patres in malè moratos asperi.

161. Vt verò præmisi initio huius puncti, non modò cùm agitur contra hæreses, aut errores, sed etiam cùm mores peruersi oratione forti sunt perstringendi, innoxia esto seueritas, & non parcens iniquitati mordacitas. Quàm enim asper, & mordax in Afros, & Gallos suos Saluianus in opere de prouidentia? Quàm salitus in libris ad Ecclesiam Timothei nomine? Nemo tamen eam asperitatem scriptionis, & quasi piam sæuitiam, reprehensione dignam duxit, quin potiùs summoperè celebrauit Saluiani zelum, quisquis corruptissimos illius ætatis mores, validè, & absque palpatione defricandos perspexit. Gildas cognomento Sapiens, in Britannos eo tempore moribus deprauatissimos, stylum armauit. Nihil legi potest durius, asperius, amarulentius; tantum tamen abest, vt ea mordacitas, & asperitas moribus admensa, displicuerit viris probis, vt potiùs egregiè sit collaudata, nominatim ab Alcuino *epist.*28. & à Willelmo Malmesburiensi *lib.*1. *de gestis Reg. Angl. cap.*3. & in actis ipsius Gildæ *cap.*15. quæ tanquam viri sancti, multis cœlestibus prodigiis insignia, pridem sunt conscripta, & nuper sunt edita in Bibliotheca Floriacensi. S. Bernardus quàm non molli stylo prosecutus est Cluniacensium & Clericorum sui æui defectus? Petrus Blesensis, in malos mores, passim scaber, asper, mordax, sed iure & citra labem. Aluarus Pelagius Ord. Minorum Ioannis XXII. Pœnitentiarius, in opere *de planctu Ecclesiæ*, quàm non palpat defectus, qui ea ætate in Ecclesiam irrepserant? Imò qua strigili non defricat cuiusuis Ordinis fideles, præsertim Ecclesiasticos? Neque tamen idcirco reprehenditur. Idem de Gersone dici potest, cuius plerique tractatus, sunt admodùm amarulenti, præsertim 1. *parte*: vt is, quem inscripsit, *Declaratio compendiosa defectuum virorum Ecclesiasticorum*, hac ad libellum ipsum apostrophe concluſum;

Non defers merces, sed veri portitor es tu,
Et si displiceas, veri quia nuntius, ex quo
Assem vix valet esse tuum, quid si lacereris?

162. Hæc durities & asperitas, exprompta ad modum propositum, non est vitio vertenda scriptori, sed referenda est in conditionem materiæ, cum Saluiano: qui cùm in sui temporis deprauatissimos mores, styli strigilem strinxisset, cùm in opere de Prouidentia, tum in opere ad Ecclesiam, *Timothei* nomine; in extremo opere ad Ecclesiam, sic excusat nonnullam scriptionis duritiem, reuera fortitudinem. [Dura hæc forsitan atque austera videantur. Quidni? *Omnis enim disciplina*, (vt ait sermo diuinus,) *non est gaudij, sed mœroris.* Dura hæc & austera sunt. Sed quid facimus? Non licet rerum mutare naturas, & enunciari aliter veritas non potest, quàm vis ipsa exigit veritatis. Dura hæc quidam putant, scio, & satis certus sum. Sed quid facimus? Nisi duris non itur ad regnum, &c. Durum est auaris, vt largiantur sua. Quid mirum? Totum durum est, quicquid imperatur inuitis. Penè omnis sermo diuinus habet æmulos suos: quot genera præceptorum sunt, tot aduersariorum. Si largitatem esse in hominibus iubet Dominus, auarus irascitur; si parsimoniam exigit, prodigus execratur; sermones sacros improbi, hostes suos dicunt; horrent raptores, quicquid de iustitia scribitur; horrent superbi, quicquid de humilitate mandatur; aduersantur ebrioſi

ebrioſi vbi ſobrietas indicitur; deteſtantur impudici, vbi caſtitas imperatur. Aut nihil ergo dicendum eſt, aut quicquid dictum fuerit, cuicunque ſupradictorum hominum diſplicebit. Mauult quilibet improbus execrari legem, quàm emendare mentem: mauult præcepta odiſſe, quàm vitia. Inter hæc quid agant, quibus loquendi à Chriſto officia mandantur? Deo diſplicent, ſi tacent; hominibus, ſi loquuntur. Sed, vt Iudæis Apoſtoli reſponderunt, *Expedit magis Deo obedire, quàm hominibus.* Do tamen conſilium omnibus quibus grauis & oneroſa eſt lex Dei, ſi accipere non recuſant, quemadmodum placere eis poſſint, quæ Deus præcipit. Cuncti enim qui oderunt mandatum ſacrum, cauſam odij in ſeipſis habent: omne faſtidium, non in præceptis legis, ſed in moribus ſuis. Lex quippè bona, ſed mores mali; ac per hoc mutent homines propoſitum & affectum ſuum. Si enim mores ſuos probabiles eſſe fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, diſplicebit: quando enim bonus quis eſſe cœperit, non poteſt non diligere legem Dei, quia hoc intra ſe habet lex Dei ſancta, quod ſancti homines in moribus.] Quod Saluianus toties hîc regerit de lege Dei, vt quadret inſtituto quo amolitur à ſe labem duritiei, in ſcribendo, accipiendum eſt, de ſcriptione vrgente quòd præſcribit lex diuina, aut vitia reprehendente, conſentaneè ad legem diuinam. Atque ita quilibet ſcriptor cui ob notata vitia & fortiter commendatam virtutem, impingitur aſperitas, vel durities ſcriptionis, habet quomodo cum Saluiano duritiem referat in mores deprauatos eam meritò extorquentes, citra labem ſcriptoris, qui vitia, non perſonas inſequitur, vt de ſeipſo profeſſus eſt, nonnullam vehementiam ſuam tegens, S. Chryſoſtomus *Orat. de S. Phoca.*

Scriptor ſeuerus in propoſitis cauſis, habet ſe vt Medicus, cuius noxia lenitas.

Liquet, in ſcriptione aduersùs hæreticos vel grauium errorum abſque formali hæreſi reos, aut vitiis non leuibus inquinatos, fas eſſe adhibere acrimoniam; cùm id vel virulentia negotij, vel aduerſarij malignitas, flagitat. Et qui de ea ſeueritate expoſtulat, iniuria queritur. Agnoſcat potiùs, & grato affectu proſequatur, Medici ſui ſtudium. Non enim ſecùs ſe habet ſcriptor inſtè corripiens alium, quàm ad ægrum Medicus, iudice S. Cypriano *lib. de lapſis num. 56.* [Imperitus eſt, (inquit,) Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat; & in arctis receſſibus viſcerum, virus incluſum dum ſeruat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putaminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget, poſtmodum, cùm ſenſerit ſanitatem.] Ennodius *ſub finem Apologetici*, quod duriùs ſcripſiſſet, excuſat eodem modo, ſecutus, (vt ait,) exemplum Pauli, qui illa qua ſemper vſus eſt, eloquij inſonuit libertate; Apoſtolorum Principem, lenitatis inceſſens, quòd fluxis, & profligatis mentibus, parentis adhuc ſeruaret affectum: nec in profundum ductis vlceribus, ferro medicante ſuccurreret: reſcindenda docens lanienis ſecreta morborum, & manifeſtæ deſperationi, ſalutiferum eſſe vulnus adhibendum; nedum manus Medici per pietatem à ſectione carnis corruptæ ſuſpenditur, de abſtinentia teli, inuitetur exitium; quia dum parcit ægris dextera, curandos interficit: nec grandis eſt diffe- 163.

rentia, vtrùm lethum inferas, an admittas. Mortem languentibus, qui cùm possit, non excludit, inflixit.] Sic item excusabat suam aliquam scriptionis asperitatem, S. Hier. *epist.* 147. [Putridæ carnes ferro indigent & cauterio; nec est Medicorum culpa, sed vulneris, cùm clementi crudelitate, non parcit Medicus; sæuit, vt misereatur.] Et eodem modo de duris Thomæ Mori in Lutherum scriptionibus, philosophatur Stapletonius *in vita Mori, cap.* 4. éstque hæc, salubris mordacitas charitatis, debita malignis, vt D. Augustinus rectè pronunciauit *epistol.* 216.

Aliqua malè appetiti seueritas approbanda.

164. Cùm item aliquis alium malè appetiuit, dignum & iustum est, vt experiatur, fas esse læso reponere, quod ad plenam indemnitatem suam necessarium duxerit. Ridiculè sanè & admodum insulsè, aliqui, cùm prodigi ipsi fuerint conuitiorum & maledictorum in alios, si vel verbulo referiantur, asperitatem incusant. Leniſſimi iudices in causa sua, seueriſſimi in aliena; qui spoliatos vellent aduersarios suos eo iure, quod viliſſimis quibusque animantibus natura conseuit, vt scilicet pressa & obtrita, sentire se prodant. Quendam Poëtam, omnium in quos incurrebat laceratorem, sic affatur Flaccus *in Epodo oda* 6. Idémque fas sit, aduersùs quoscumque similes vsurpare.

Caue, caue: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua.
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An si quis atro dente me petiuerit,
Inultus vt flebo puer?]

Seneca item Epigr. 5. (post librum ad Marciam.)

Carmina mortifero tua sunt suffusa veneno,
Et sunt carminibus pectora nigra magis.
Nemo tuos fugiat, non vir, non fœmina, dentes,
Haud puer, haud ætas vndique tuta senis.
Vtque furens totas immittit saxa per vrbes
In populum: sic tu verba maligna iacis.
Sed solet insanos populus compescere sanus:
Et repetunt motum saxa remissa caput.
In te nunc stringit nullus non carmina vates,
Inque tuam rabiem, publica Musa furit.

165. Laudauerat, (vt in nostris potiùs sistam,) Petrum Cluniacensem, Petrus Pictauiensis. Eum à nescio quo appetitum, remordet Petrus ipse Cluniacensis, longo poëmate, cuius titulus est,

Egregius pro vate suo, dux ipse perorans,
His iaculis rabidam confodit inuidiam.

Quadrant sequentia. Totum enim poëma, salitum admodùm, & acidum est, gustum duntaxat appono.

Ah scelus & Stygio mens submergenda profundo,
Quæ vomit ex antro dira venena suo.

Manes

Manes Tartarei, talem compescite linguam,
Quæ demens potuit verba nefanda loqui.
Oris de barathro tractam, per frusta secate,
De qua mox faciat flamma vorax cinerem.
Infandæ vocis, fauces arctate meatus,
Et timeat guttur, ne sonet illicita.
Audiri timeas, ô vox indigna sonare!
Consulo deficias, téque silendo premas.
Humanas strepitus ne talis polluat aures.
Communes vsus spiritus ipse nega.
Sed nunquid fieri tanti queo criminis vltor,
Cùm magè districto iudice res egeat?
Aut fragili calamo crimen tentabo piare,
Vngula quod ferri radere vix poterit?

Mitto cætera. Cedo aliquid istis amarulentius, asperius, mordacius. Petrus Venerabilis, Cluniacensis Ordinis caput, in sua licèt causa, loquitur. Sed læsus iniustè, Audiant delicatuli nostri, qui cùm priùs lanceam infixerint, pro reposita punctiuncula tragicè expostulant. Hoc indignum, & iniustum est, cùm vim vi repellere sub moderamine inculpatæ tutelæ, fas esse, naturæ lumen præscribat. Quin etiam cùm contingit, aliquem priùs læsum, sic referendo, modum tantisper prætergredi, veniale id esse oportere, docemur eo legis præscripto, quo vulneratio, aut etiam occisio astantis, per manubrium fortuitò excussum, iubebatur esse vulneranti, vel occidenti innoxia. Sic enim diuinum illud iussum accipit S. Gregor. *lib.* 10. *moral. c.* 9.

In molliculos, iustam styli acrimoniam fugillantes.

Extra causas hactenus propositas, quibus aliqua scriptionis acerbitas innoxia esse potest, aut debet, vitandam esse scriptionis mordacitatem, vltrò concedo. Illud tamen occurrit infigendum, quod paulo antè tetigi; nempe indignissimum videri oportere, & cordato cuiuis meritò refugiendum, quòd aliqui adeò se delicatos præbeant, & ad cuiusuis punctionis sensum molles, vt si verbulum in eos minùs læue, ac tornatum scriptori excidat, non secùs commoueantur, quàm vlcerosi equi, strigile audita. Comparatio est à Ludouico Viue adhibita *lib.* 5. *de tradendis disciplinis*, cùm hanc æui sui teneritudinem corripit. Horum illud est ex *lib.* 2. *serm. satyr.* 1. 166.

Qui me commorit, (melius non tangere,) clamo,
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe.

Hos scitè Melchior Fabricius in responsione ad Bezam pro Balduino, *pag.* 67. meritò componebat cum lacu Lucernano, & specu cellæ Abbatis, ac Dalmatico, de quo Plinius. Minimùm quippe icti, omnia complent fragoribus. Hæretici in hac sensus mollitudine, & querimoniis de asperitate eorum, quorum scriptis exagitantur, sunt perpetui, vt iusto opusculo demonstrauit, validus annis superioribus hæreticorum malleus, Ludouicus Richeomus, cùm his querelis pulsatus esset. Apud Theodoretum *dialog.* 1. *sub medium*, Eranistes, id est, hæreticus, maledicentiæ incusat Catholicum, duntaxat quia

quia insimulatus ab eo fuerat Manichæismi. Sympronianus Nouatianus, eôdem recurrit, cùm S. Paciani impetum sustinere non potuit, vocat enim eum asperum, & mordacem, vt videre est apud ipsum S. Pacianum *epistola 2. initio*, rursúsque *sub finem epistolæ*, verbis illis: [Iraſci me ais; absit, stimulari, vt apem, credo; quæ interdum aculeo mella defendit. Verùm recole vtrinque litteras; iam videbis spiculis ne, an floribus paginam conseramus. De similibus quidem Apostolus, quos oportet indentari: sed attende. Nos tecum quasi columbæ ore potiùs, quàm dente confligimus. Vtinam verum esset quod doceri velle te dicis; iam ipsa tibi manibus meis sancti Spiritus vnguenta suggererem. Amas me? Non læsi, scio. Sed tunc demum amares, si non diuersa sentires, atque operi meo blandus accederes.] Locus Pauli, cui Pacianus sensum suum de iusta seueritate inædificat, habetur *ad Titum* 1. sed eum locum significantissimo vocabulo expressit Pacianus; pro eo enim quod in vulgata legimus, *quos oportet redargui*, ipse legit, *quos oportet indentari*. Scitè, id est, *fixo & infixo dente transfigi*; cùm tamen Sympronianus, qui priùs momorderat, & dentatam scriptionem adhibuerat, vt loquar cum Petro Cellensi *epist.* 167. vellet basiis mollissimis excipi.

167. Non est tamen hæc mollitudo hæreticorum propria. Catholicos item sæpè contingit. Notissima, & hæreticis quoque consentientibus, perspectissima orbi vniuerso fuit, temperatio Cardinalis Bellarmini, in cuius operibus polemicis, ne fidei quidem hostes, immodestiam, vel licentiam mordendi reprehenderunt, in tot tantísque mordendi occasionibus. Quis credat? Quam calumniam homo sapientissimus, in libris polemicis tam multis, támque spissis, nunquam sustinuit, ea verberandum esse tantum virum, ab homine & Catholico, & Religioso, occasione libelli ascetici? Existimo posteris visum iri incredibile, idcircò Cardinalem Bellarminum audiuisse scriptorem, & mordacem, & asperum, qualis audiuit à scriptore, qui in aliis videns festucam, trabes suas Baëzæ monstrandas reliquit *lib. 4. de* IESV *figurato, cap. 1. §. 32.* Audiuit verò Bellarminus asper, & mordax, quia in libro de Gemitu columbæ, fontem vnum lachrymarum proposuit, Religiosorum aliquorum Ordinum laxationem: quam homo ille spiritu barytono, vspiam cerni inficiatur, & vtinam vel in speciem verè inficiaretur. Sed tanti fuit, Bellarminum mordere quoquo modo. Nam esse aliquas Religiones laxatas, & quibus reformatio sit necessaria, res est adeò nota, vt nemo nisi cæcus non videat, ait Maior *in 4. d. 38. q. 23.* Sed non est nouum aliquos ita cæcurire, præsertim in causa propria, vt notum est ex eo exemplo quod recitat Nider *lib. 2. de reform. Relig. cap. 9.* Episcopi ex ordine collapso assumpti, qui audiente ipso Nidero, pertinacissimè inficiatus est, suum Ordinem esse collapsum, & reformatione egere, quantumuis, (inquit Nider,) luce foret clarius toti mundo, contrarium esse verum. Sed nimirum sensibile, iuxtà, ac multo magis intra sensum positum, non facit sensationem. Opera domesticorum, de necessaria suimet Ordinis reformatione, nominatim Ioannis Nider, & Raymundi Capuani, potuissent vel ex solo operum illorum titulo, infrænare tantam aduersùs virum de Ecclesia benemeritissimum indignitatem. Hæc aduersùs vel nimiam teneritudinem aliquorum, vel iniustas aliorum suprà memoratorum querelas, de asperitate & acrimonia Scriptorum quam in capita sua aduocarint.

Concludi

Concluditur, scriptionem sine causa mordacem, meritò configendam.

Absit tamen vt patrocinium suscipiam mordacitatis iniquæ, & vt suffragari 168.
velim asperis, & sine causa idonea, ac plus iusto, aculeatis scriptoribus. Qui enim eiusmodi sunt, & calamum suum, sagittam vulnerantem ac lanceam faciunt, meritò configuntur: ideóque iam olim Archilochum, mordacitate in Lycambem, Neobulum, Chidum, & Periclem meritò infamatum Lacedæmonij multarunt, vt scribit Valerius *lib. 6. cap. 3. de seueritate*, quem exscripsit Sarisber. *lib. 8. polycrat. cap. 2.* verbis illis [Lacedæmonij, libros Archilochi è ciuitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum verecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur.

Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodesset. Itaque maximum Poëtam, aut certè summo proximum, quia domum sibi inuisam, obscœnis maledictis lacerauerat, carminum exitio mulctarunt.]

Hipponacti quoque carò stetit mordacitas. Hunc petulantissimum & maledicentissimum scriptorem, (cuius idcirco sepulchrum *lib. 3. anthol.* verborum grandine refertum, & horrendum, discribitur, eiúsque ibi cineres, iambos intorquere dicitur;) periisse acerbo lethi genere, indicant illa Nasonis *in Ibin.*

Vtque parum stabili, qui carmine læsit Athenim,
Inuisus periit deficiente cibo.

Lego enim *Athenim*, cum Alciato *lib. 5. parerg. cap. 18.* non *Athenas*, vt vulgo corruptè habetur. Ex Plinio autem compertum est, Athenim sculptorem in Hipponactis scripta incurrisse, & Scazontas clauda, & parum stabilia carmina, ab Hipponacte primùm excogitata sustinuisse: quam petulantiam, autor Hipponax lethali inedia luit. Recolenda quæ huius Erotematis principio de Hipponacte sunt præmissa.

Castigetur itaque & corripiatur in scribendo petulantia, Deo, & homini- 169.
bus inuisa. Deum enim ipsum violari hac mordacitate scriptionis, optimè tradit Hugo Etherianus *lib 2. de hæresibus*, quas Græci in Latinos deuoluunt, *cap. 19.* Agens enim ibi cum aduersario insigniter mordaci, cuius spicula verborum acutissima, immediatè antè retulerat, addit. [Huius conuitia, quemadmodum abyssus, siue Tartarus, fundum non habent, cùm ex eius ore, Auerni flumina effluant, quorum nomina, vt Socrati visum est, sunt hæc; Acheron, Pyriphlegethon, Cocytos, ex quibus Stygia nascitur palus, & inamabilis vnda, quæ Acherusia nuncupatur. Vtinam iste obliuionis aquam potasset, omniúmque perdidisset conuitiorum memoriam. Paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est fide & spe, Apostolorum Princeps præcepit; sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam. Sed hic non quærit cum modestia, & timore secundùm Apostolicam institutionem. Propterea seueritas illi non manifestauit, vtpote non rectè quærenti. Ita quippe veritas quærenda est, quasi Deus præsens sit. Si Deum hic præsentem habuisset,

buisset, nequaquam in Dei Ecclesiam tot conuitia profudisset. Nullus enim præsente domino suo, prudens seruus impudenter agit, proprij domini honorem contemnendo.]

170. Hoc si attendisset scriptor, nec eruditione destitutus, nec zeli vacuus, Nicolaus de Clamengis, qui sub seculi decimiquinti finem florebat, & à Ioanne Trithemio amplo præconio celebratus est in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis, non deuocasset in se iustam cæterorum omnium offensionem, & Romanæ censuræ tam scabris eius scriptionibus admotæ, runcinam. Tametsi enim etenim aliqui excusant, & fortassis ad veritatem dictum esse inficiari nolim, suffarcinatas esse ab hæreticis in odium Ecclesiæ, lucubrationes huius Autoris; tamen quales nunc extant, tanto perfusæ sunt mordacitatis aceto, vt ferri non possint. Quale enim est, quod libro de Præsulibus simoniacis, Ecclesiam horribili fœditate deformatam, totius negotiationis, imò latrocinij, & rapinæ officinam esse dicit, in qua venalia exponuntur Sacramenta, venales Ordines, venalis pro certa annua summa, fornicandi permissio, & cætera, quæ premere præstat, quàm retegere? Quale item, quod libro *de corrupto Ecclesiæ statu, cap. 36.* agens de Sanctimonialibus, nihil distinguit inter sui temporis virginum Monasteria, & lupanaria meretricum? Inter Sanctuaria ancillarum Dei, & prostibula victimarum Veneris, ac petulantium iuuenum libidinibus apparata receptacula? Nihil denique inter velare puellam, & publicè ad scortandum exponere? Hæc dicebam ferri non posse, præ summo acore & mordacitate: meritóque Claudius Espencæus *lib. 2. de continentia, cap. 12.* medicinam quam Nicolaus facere voluit, malis tunc Ecclesiam grauantibus, in multis excessisse modum, expostulauit. Itaque meritò tanta mordacitas censuræ patuit, quam nec ipse Espencæus suis in Romanos vsus conclamationibus, queis nonnullas suas lucubrationes inferfit, satis declinauit.

171. Non redolet ea mordacitas lenem Christi ac Sanctorum spiritum. Itaque quantum à domesticis fidei aliena est, tantum ab Allophylis, qui extra Ecclesiæ septa degunt, familiariter adhibetur. Siue enim inter se inuicem non consentiant, quod est quotidianum, siue in Catholicos, à quibus implacabiliter dissident, exerant calamos, iuges sunt in lædoriis atque spiculis verborum. Appetiit Lutherus scriptionibus Carolostadium, Zuinglium, OEcolampadium, vicissimque isti in Lutherum egere. Iosephus Scaliger in Dauidem Pareum, & Thomam Lidyat, non absque repassione admouit arietem. Brentius in Bullingerum scripsit, nec mutus fuit Bullingerus. Beza aduersùs Castalionem, Erastum, atque Sarauiam emisit scriptiones, híque vicissim aduersùs Bezam. Hugo Grotius in Sibrandum scripsit; in Grotium Sibrandus, ac Bogermannus. Ianus Gruterus ex Antuerpiensi Catholico Caluinista, in Philippum Pareum, & hic vicissim in Gruterum. Et videre est omnes hos Ecclesiæ perduelles, ita contrariis pugnare scriptionibus, vt non tam scriptiones esse videantur, quàm grandines probrorum, & imbres conuitiorum. Iodocus Coccius in huiusmodi Scriptorum libris versatissimus, & ipse aliquando è segregibus ab Ecclesia, vnus, *tomi primi lib. 8. artic. 7. 8. 9. 10.* petulcitatis huius ac mordacitatis in scribendo exempla multa suppeditat, quibus apparet quàm se inuicem hæretici mordeant, laceréntque scribendo. In vnius Iani Gruteri, quem postremo loco referebam, scriptione aduersùs Philippum Pareum eiusdem secum Caluiniani furfuris-

furfuris hominem, Gretserus *lib.* 1. *var. cap.* 9. centum triginta sex conuitia annumerauit, nec qualiacumque, sed horrida, & fellis referta. Ait quippè aduersarium *insanire, gannire, rudere, obrutescere, delirare, fanaticum, ac lymphaticum agere.* Vocat *Magisterculum, scrofipascum, cuius discipuli porcelli pro bonis literis referunt cacatissimas chartas, Arcadicum germen, Asinum cumarum, Mulum, Verrem, Veruecem, Arietem, Hircum, Noctuam, Simiolum, Porcam mugientem, Phreneticum, Braccatum, Inuertgrum, Morychorum stolidissimum, Dæmonium hominis, Impudentiæ vernam, stercoreum Grammaticalis cellæ inquilinum.* Piget plura his chartis dehonestamenta scriptionis illinere. Hunc hominem à Spiritu Dei in scribendo agi credam, tam auerso à Christiana scribendi ratione, stylo vtentem, & hoc in eiusdem sectæ professorem, ac pro nugis; sic enim appello eorum pro Plautinis emendationibus altercationes.

Minùs mirum esse debet hos alienos cum in Catholicos agunt, dentes in- 172.
figere, & mordacitatem prodere. Nihil enim procliuius quàm vt diffidium religionis ac fidei, abiunctionem animorum progeneret: vnde amarulentia defluat in calamum, & acor chartam corrumpens. Sed cùm hæc labes omnibus propè sectariis in Catholicos scribentibus communis fuerit, tum præsertim in Iosepho Scaligero, & Isaaco Casaubono Caluinianis bacchatio ista se prodidit: qua enim erant arrogantia, & sui ipsorum æstimatione, in cæteros omnes, nominatímque in Catholicos scriptores, petulanter admodum sunt bacchati. Sed Scaliger effrænatissimè; literio enim fastuosissimus, principatus Veronensis iura, (scilicet,) ad se à cane transmissa, perpetuò crepans, & sui amore planè ebrius, in quoscunque incurrit, Tros Rutulúsve foret, strenuum egit conuitiatorem, præsertim cùm aduersùs aliquos è sacro Ordine, doctrinæ laude claros, arietauit. Gilbertum Genebrardum eximium omnino scriptorem è sacra D. Benedicti familia, & Aquēsem Archiepiscopum, cui Hebræa lingua adeò familiaris erat, quàm vernacula; peritia verò sacræ & humanæ literaturæ, omninò multis scriptionibus apud doctos vulgatissimis, est testata, ausus est, *pecus maledicentissimum, bestiam insolentissimam* nominare. Vix persuadeatur lector, tantam cacochymiam sano homini excidisse. Sed videat *librum* 3. *Can. Isagog. pag. mihi* 219. & abesse impostoram deprehendet. Benedictum Pererium *prolegom. ad opus de emend. temp.* planè *puerum in Chronologia* vocat, & eius *sententiam* denominat *asininam.* Nec temperatiùs de eo statuit *in Animadu.* Euseb. *pag.* 85. & 87. Christophorum Clauium in Mathesi, ætate sua nulli secundum, vocat *hominem luteum, infantem, in Mathematicis tyronem, sarmentitij libelli autorem*, aliísque sexcentis probrosis titulis dehonestat *præfat. in Canones Isagog.* Idem in Martinum Delrium, Nicolaum Serarium, ac Ioannem Maldonatum, quàm petulanter effusè ac licenter mordax fuerit, Peniculus Fortarius Sangæ Cantabri pro Delrio, & Seratij Elenchus Trihæresij docere possunt. Idem qua strigili autores mediæ ætatis pexuerit, sigillatim monstrat Gretserus *lib.* 2. *var. cap.* 3. Specimen id esto, mordacitatis qua sectarij ab Ecclesia Dei, & Christi spiritu extorres, siue suos, siue nostros, & alios quoscumque, prout libido tulerit, indignè ac petulanter configunt: quo turpi spectaculo hîc exhibendo, idem propositum habui quod Lacedæmonij, cùm Ilotas suos ebrios proponebant liberis suis, vt fœditatem inebriationis docerentur. Id quod Plutarchus *lib. de dictis,*

& factis Lacedæmon. ac Clemens Alexand. 3. *pædag. cap.* 8. obseruauerunt.

EROTEMA X.

An libri supposititij confixione digni.

173. POssunt quidem libri supposititij, nec in se mali esse, nec nociui: quia tamen procliue est, vt suppositio ex malitia fiat, ad inferendum damnum, vt sæpè factum est ab hæreticis, refero in hanc seriem librorum in se malorum, & nociuorum, libros supposititios.

Libros ergo esse velut liberos, magni Antistites duo, Ambrosius, & Sinesius tradiderunt. Ille *epistola* 40. quæ est ad Sabinum, iste *epistola* 1. Quod ergo circa liberos non est inauditum, vt aliis parentibus supponantur, (qua de re Alphonsus Carranza *de partu naturali ac legitimo, cap.* 5. latè disserit,) contingit quoque plerumque circa libros, & fœtus ingenij. Dubitari itaque potest, quid iuris sit de libris suppositis. In qua controuersia, quia valdè latè fusa est, & ad plurima pertinens, præmittam varias suppositiones librorum totales, & partialem: quibus præmissis, subiiciam qui ex libris suppositis sint damnandi, qui secus. Suppositiones totales sunt multiplicis generis. Nam integrum opus aliquando supponitur certò alteri autori ab ipsomet autore. Aliquando autem similis suppositio fit à tertio, sed per hallucinationem & oscitantiam. Rursus aliquando similis suppositio fit à tertio, sed per nequitiam, & malignitatem. Tandem similis suppositio non fit aliquando à tertio, sed à falso autore, supponente sibi librum alienum per plagium, quod dupliciter posse contingere, vsus docuit. Nam interdum adhibetur interpolatio aliqua, ita vt plagium sit palliatum; aliàs verò absque vllo artificio admittitur plagium manifestum. Hæ sunt suppositiones totales. Suppositio verò partialis ea est, qua opus alterius scriptoris, admisso fermento quopiam, adulteratur; sic enim supponitur autori operis, pars aliqua ad eum non pertinens. Nec absimile est, quòd aliqui falsas sententias quas sunt cõmenti, venditant, tanquam alicuius grauis autoris, vel S. Patris, præsertim ad inoculandam concionem. Non plures librorum suppositiones occurrunt. Nam ea qua nomen aliquod fingitur, in nullum verè hominem cadens, non est suppositio operis alieni facta alteri. Quare de ea seorsim est agendum. Prædictas autem quæ verè suppositiones sunt, exponemus primùm, tum diiudicabimus.

§. I.

De suppositione libri facta alteri, per ipsummet libri autorem.

Supponi plerumque ab ipsis autoribus libros suos, aliis parentibus, exempla plurima docent, recentia, & vetera; permulti enim siue vt tutò compareant libri, qui ipsorum nomine editi malè exciperentur, vltrò eos amicis tradunt, vt eos ipsi suo ipsorum nomine edant. Aliquando autem, vt maior sit operi autoritas, & vberiùs per illud habeatur effectus intentus, abdicant à se autores, libros suos, supponúntque alij eminentiori, vel potestate, vel sanctitate, aut fama. Sic opus de Consolatione, conscriptum ab aliquo, Tullij nomine, eíque suppositum, videtur euincere Iustus Lipsius *dissertatione de ea lucubratione*. Tametsi alij, inter quos Mariana *lib. 3. de immortal. cap. 4.* opus illud Tullij ipsius esse contendunt. Opus Gobelini Personæ, ab autore Pio II. esse ei suppositum, multi notarunt. Nuper qui Anglicanam historiam Nicolai Harpsfeldij ediderunt, Dialogos Alani Copi nomine editos, sanè eruditos, & ad diffidia de fide perutiles, ab eodem Nicolao autore, iustis de causis Alano Copo amico concessos, prodiderunt. Nec illud omittam; Ioannis Fischeri, vel autoris, vel adiutoris esse, opus *contra Lutherum de Sacramentis*, ab Henrico VIII. ante hæresim vulgatum, vt scribit Sanderus *lib. 1. de schism. Anglic. ad annum* 1535. Suspicio item fuit Pamelij, non vana, Erasmum supposuisse S. Cypriano opus *de duplici martyrio*, ab ipsomet Erasmo fabricatum. Inter Ethnicos, Adrianus Imperator, lucubrationes suas Phlegonti liberto suo supposuit, & eius nomine exposuit, vt disertè scribit Spartianus in Adriano. 174.

Non desunt apud ipsos Patres, exempla. Opus S. Prosperi *ad obiectiones Vincentianas*, ab ipsomet Prospero, nomine S. Augustini editum, eo titulo, *Augustini, ad articulos sibi falsò impositos, responsio*; olim inualuit opinio, quæ tametsi nunc erasso eo titulo propè exoleuit, videtur tamen esse verè antiqua. Nam S. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum, cap. vlt.* illum librum citans tanquam Prosperi, ait in eo depelli, quæ fuerant S. Augustino malè impositа: & tamen constat, Prosperum neque in præfatione illius libri, neque in responsione ad singula obiecta, meminisse depulsionis calumniarum circa ea puncta irrogatarum D. Augustino. Videtur ergo Prosper D. Augustini nomine librum conscripsisse, vt ferebat vetus inscriptio, nomine Augustini *ad articulos sibi falsò impositos*. De conscripto abs se tomo dogmatico, sub nomine S. Flauiani, testis est S. Anastasius Synaita *cap. 10.* 175.

Vigilius item *lib. 5. contra Eutychem*, non longè à principio, sic scribit. [De Conciliorum diuersis sanctionibus, & nominum religiosè additis nouitatibus, pleniſſimè in eis libris, quos aduersùs Sabellium, Photinum, & Arrium, sub nomine Athanasij, tanquam si præsentibus cum præsentibus agerent, vbi etiam cognitoris persona videtur inducta, conscripsimus, à nobis fuit expressum.]

Hæc est illa tractatio, quæ inter S. Athanasij opera legitur *tomo vltimo*, sub nomine *disputationis Laodiceæ habitæ*. Nam argumentum disputationis illius, perbellè consentit cum iis, quæ in ea tractari, affirmat Autor ipse Vigilius. Perperam igitur inter D. Athanasij opera, tanquam ab eo verè conscripta, recensetur illa disputatio. Frustrà etiam vetus autor, qui in ea præfatus est ad Maternum Episcopum, quem nominat Beatissimum Papam, vt eam disputationem S. Athanasio salua temporum consonantia asserat, adducit Chronicum Seueri Sulpitij, duos distinguentis Arrios, quorum vnus posterior, potuerit cum S. Athanasio confligere. Hoc vides frustrà fingi, cùm Vigilius consilium suum apertè prodiderit.

178. Spectant ad hunc ordinem, retractationes nomine quorumdam Patrum, vel antiquorum Doctorum editæ à posterioribus. Sic enim palinodiam S. Cyrilli, à Nestorianis editam, legimus in Concilio Ephesino. S. Hieronymus *lib. 2. in Ruffinum, cap. 7.* testatur, fuisse qui ex ipsius S. Hieronymi nomine, librum pœnitentiæ, & palinodiæ ederet, ob versam scripturam ex impulsu Iudæorum. Pari audacia, tametsi fortassis meliore animo, quidam cùm S. Hilarium non possent subducere criminationi illi, qua grauabatur, ob doloris affectum, Christo, (vt videbatur,) negatum, edidit librum retractationis illius sententiæ, imò erroris, nomine S. Hilarij. Quem librum abs se visum fuisse, Gulielmus Paris. testatus est S. Bonauenturæ, vt scribit sanctus hic Doctor *in 3. d. 16. art. 1. quæst. 1. ad primum.* Non eguisse tamen S. Hilarium ea erroris deprecatione, monstraui suo loco, prolatis variis luculentis S. Hilarij testimoniis, veritatem Catholicam ferentibus. Affine est, quod Magister Ioannes Vitalis *tract. de conceptione Deip.* refert se vidisse librum retractationis S. Thomæ, circa sententiam de maculata conceptione Deiparæ, traditam *3. sententiarum*; quam palinodiam eodem modo confictam, non videtur dubitandum.

179. Planè item existimo, sermones ad fratres in Eremo, qui nomine B. Augustini circumferuntur, esse in hanc classem referendos. Non enim reuera sunt Augustini, sed alterius, qui nomine S. Augustini ad suos loquentis, sermones illos conscripsit. Quamquam non me latet, perantiquam esse hanc suppositionem; nam citantur hi sermones nomine D. Augustini, in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio *anno* 830. *cap.* 113. & 112. Mordicus item hos sermones esse verè D. Augustini, contendit Ambrosius Coriolanus Generalis Eremitarum, *in defensione sui Ordinis, veritate* 3. Basilius Poncius *lib. 7. de matr. cap. 1. à num. 6.* Ægidius à præsentatione in Primate Augustinianæo *lib. 1. cap. 8.* Maiolus *colloq. 6.* Nicolaus Crusenius *in Monastico Augustiniano 1. part. cap. 10.* Sed contrarium euincere omnino videntur Gabriel Pennotus *lib. 1. histor. Canon. Regul. cap. 30. ac 31. & 32.* & Bellarminus *tract. de scriptor. in Augustino*, cùm de tomo 10. ineptiæ certè tales ibi continentur, & stylus tam dissidet à stylo Augustini, vt cœci esse videatur, eam lucubrationem D. Augustino velle affingere. Studiosè eas ineptias collegit Erasmus *lib. 3. de ratione concionandi, non multis à principio foliis*, mihi *à pag. 137.* & multas quoque addensat Bernardns Vindingus Augustinianus, in opere quod inscripsit, *Criticus Augustinianus castigatus*, cùm de tomo 10. *à pag. 237.* vt certum statuens, eos sermones supponi S. Augustino.

Non

Non videtur dubium, quin multi quandoque, vel ad ostentandum ingenium in aptè exhibenda aliena persona, ex cuius nomine scriberent, vel quod postremo loco affirmabam, vt scriptiones suas aliquo loco sub grauis viri nomine esse viderent, concinnarint aliquas lucubrationes, nomine aliorum, quibus eas suppossuerint, non sine iniuria autorum quos ementiuntur, eorúmque stomacho si viuerent, aut suppositionem nossent. Sic enim Martialis *lib.*10. *epigr.*3. ad Priscum stomachatur his verbis in quendam, ipsi Martiali supponentem carmina. 179.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda lingua probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit empta ramento,
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poëta quidam clanculariùs spargit,
Et vult videri nostra. Credis hoc, Prisce,
Voce vt loquatur psittacus coturnicis,
Et concupiscat esse Canus Ascanles?
Procul à libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna.
Cur ego laborem notus esse tam praue,
Cùm stare gratis cum silentio possim?

Visum est nonnullis, sic suppositas fuisse S. Ignatio eas epistolas, quæ sunt ad B. Ioannem Euangelistam, & ad Mariam Deiparam, huiusque vicissim ad Ignatium. Quanquam non me latet, litteras Deiparæ ad S. Ignatium, & Ignatij ad Deiparam, agnosci pro germanis à S. Bernardo *serm.*7. *in Psal.*90. Marco Michaële Carnotensi *tract. de viris illustr.* Petro Canisio *lib.* 3. *de B. Maria cap.* 1. Sixto *lib.*2. *bibl. in Maria*, & latè à Melchiore Inchoffer *lib. pro epist. Deiparæ ad Messanenses cap.* 25. Tamen adhærendum potiùs videtur Baronio, qui anno Christi 48. eas epistolas censet suppositítias. 180.

Epistolas item Senecæ ad B. Paulum, & huius vicissim ad illum, extare scimus, quas vt genuinas agnoscit Pamelius *in cap.*20. *de anima Tertulliani.* Fauere videntur varij Patres, qui illarum epistolarum, vtrinque à Seneca, & Paulo scriptarum, meminerunt. Ita enim D. Hieronymus *lib. de scriptor. in Seneca*, S. August. *epist.*54. *& lib.*6. *de Ciuitate Dei, cap.*10. Sarisber. *lib.*8. *Polycrat. cap.*13. omnes post acta passionis S. Pauli à D. Lino, (vt volunt,) conscripta. Verùm eas epistolas, quæ nunc extant, suppositítias prorsus esse, censent Lipsius *in præludiis ad Senecam cap.*10. Baro. *anno Christi* 66. Onuphrius *lib.*1. *de primatu Petri pag.*3. *dissuasione* 15. *pag.*268. Possevinus *in Apparatu verb. Seneca.* Lælius Bisciola *tom.*1. *subsec. lib.*15. *cap.*1. & videtur ea sententia longè verior. Est quoque admodùm verisimile, non modò eas quæ nunc extant, epistolas esse suppositítias, sed verè nullas vnquam fuisse, vltrò citróque datas ab eis literas; sed ex fabulosis Lini actis hausta esse falsam existimationem de talibus aliquibus epistolis quandoque conscriptis à Paulo, & Seneca; síque ab aliquo otioso, suppositas fuisse epistolas quæ circumferuntur.

Impium Monachum Andream, (de quo S. Gregorius *lib.*9. *epist.*69. scribit, talia 181.

talia de eo reperta eſſe, qualia nec de ſcelerato quocumque laico crederentur;) conſtat Græcos ſermones ipſi S. Gregorio ſuppoſuiſſe, de quibus Sanctus Pontifex commonere adactus eſt Euſebium Theſſaliæ Epiſcopum: ne fortè ex imperitia & nequitia illius Pſeudomonachi, aliquid ſuo nomine vulgatum eſſet, quod fideles inficeret, & in fidei damnum redundaret. Negat verò S. Gregorius, ſe Græcè ſciuiſſe, aut aliquod opus aliquando Græcè conſcripſiſſe. Itaque flagitioſus ille Monachus ſuum fœtum tanto Pontifici nequiter ſuppoſuerat.

Nouum genus nequitiæ in ſupponendo alteri ſuomet opere, prodidit nebulo, mihi de nomine ac cognomine notus, erga Magiſtrum Iuriſperitum, in Dolana Academia Profeſſorem. Conſultò premo vtriuſque nomina, ſed Profeſſorem fingamus *Caium* dictum, diſcipulum verò *Titium*. Erat itaque Titius, cùm in Dolana Academia Iura prælegentem audiret Caium, quod plerique ex eo genere ſolent, qui in Academiis nihil minùs præſtant, quàm quod venerant præſtituri. Prærerea verò iuuenis erat turbido ingenio, & factioſus; tumultuoſa agendi, viuendíque ratione, faces inferebat quocumque ſe verteret, & omnia ſuſdéque miſcebat. Non ferens vltra huiuſmodi Auditorem Caius, per quos intererat, ablegari curat Titium, & à publica audientia extorrem fieri. Non ferens ſcholaſticum illud exilium Titius, genus vltionis excogitat, quo Caio cordolium, & apud exteros vbi nouus neuter erat, infamiam crearet: librum ſcribit omnibus ineptiis fartum, & inſulſiſſimis plenum ſalibus, quorum autorem facit Caium. Collectio videbatur dictorum, & factorum Caij, eiuſque apophthegmatum, & acroamatum, qualem de dictis & factis Socratis concinnauit Xenophon, & de dictis, & factis Alphonſi, Æneas Syluius; alij item de aliorum dictis, & factis, ſimiles eclogas contexuere, ſed ſuo nomine: cùm Titius nullo appoſito Autoris vel ementiti nomine, videri vellet neſciis ſtrophæ lectoribus, Caium eam collectionem ſuorum dictorum atque factorum, euulgaſſe. Quid hac nequitia doloſius? Quantam contemptionem ſuper Magiſtrum effuderit nequam Auditor, & quantis ille ſannis, principio patuerit apud ignaros malignitatis Titij, mitto dicere.

182. Reducitur ad hoc ſuppoſititium caput, fraus Monachi, niſi per calumniam grauatus fuerit, vt aliquorum ſuſpicio tulit, apud Philippum Bonæ Spei Abbatem *lib. de contin. Clericor. cap.* 103. Diſputans ergo cum Clerico Monachus, de monaſtici, & clericalis ſtatus præcellentia, agens Notarium in ea diſputatione, id eſt, eam excipiens, ac ſcribens, & pro ſuo arbitratu, quæ vellet dicta, Clerico affingens, ſe denique victum fatentem Clericum inducens, bellè deluſit Clericum. Item reducitur ad hunc ſuppoſitionis modum, ſuppoſitio literatum tanquam ex alicuius nomine, cùm ipſe reuera nihil tale ſcribat. S. Bernardus de ſcriptis à Nicolao quodam falſis literis ſub ipſius S. Bernardi nomine, grauem edit querelam *epiſt.* 298.

Aliò quàm ad proximè tactum ſuppoſitionum caput, pertinet, quæ & qualia Caſſiodorus, Theodorici nomine vltrò prænotarit. Quod enim eſſet ei à ſecretis, minùs mirum debet occurrere, tam multa Regis illius nomine à Caſſiodoro ſcripta. Bleſenſis quoque, egregiam ad Iconij Soldanum paræneſim, nomine Alexandri Papæ, prodire voluit.

§. II.

§. II.

De libri suppositione facta à tertio per hallucinationem.

Ad hunc suppositionis modum tres personas concurrere necesse est, nam 183.
neque autor ipse verus potest suorum fœtuum obliuisci, eósque per errorem alteri tribuere. Neque item autor falsus, qui sibi per probrosum furtum opus alterius supponit, hallucinari potest, existimando partum suum esse, qui reuera est alterius, qui sunt duo modi, quibus suppositio libri, duorum duntaxat opera perficitur. Hìc ergo tres interueniunt, éstque hæc suppositionis ratio creberrima, præsertim quoad opera SS. Patrum, & antiquorum Doctorum, quorum pleraque aliis autoribus perperam sunt adscripta, alia ipsis Patribus, vel antiquis Doctoribus, perperam tributa. Ortum id quandoque ex similitudine nominum, vt infrà videbimus, de Hugone Victorino, & Hugone de Folieto: itémque de Thoma Angelico Doctore, & Thoma Anglico. Aliàs ex eo quòd festinans librarius, librum prænotans sola initiali litera nominis veri autoris, occasionem errato dederit. Sic enim sæpè aduertimus, varia S. Anselmi opera, nunc S. Ambrosio, nunc S. Augustino tributa, eo quòd in manuscriptis, libri initium ita haberet, *Manuale Sancti A. Episcopi*; Incidens in sic prænotatum librum improuidus librarius, cui minùs compertus erat S. Anselmus, pro *Anselmo*, legit *Augustinum*; & deinceps prænotauit librum, *Manuale S. Augustini Episcopi*. De orationibus præparatoriis ad Missam eiusdem S. Anselmi, idem esto iudicium, sunt enim tributæ S. Ambrosio; quia in MS. Cod. Carthusiæ Parisiensis, è quo sunt erutæ, habebatur, *Orationes Sancti A. Episcopi*, & qui eas exscripserunt, *Sanctum A.* censuerunt esse S. Ambrosium. Similia multa, infrà occurrent. Plerumque prætermissus à librario anteriore libri titulus, vel autoris nomen, aliàs autoris nomen suum prementis humilitas, occasionem hallucinationi dederunt. Nauauit, quoad Patres, & sacros Scriptores, diligentem hac in parte operam Cardinalis Bellarminus; quia tamen in campo propè infinito, & vberrima omninò messe, nonnullæ spicæ eius diligentiam effugerunt, iuuat aliqua præterea exempla, huiusmodi circa sacros libros hallucinationum, & exortarum inde suppositionum, quæ ipsi deprehendimus, non omittere, ordine elementorum seruato. Neque verò dubito, quin aliqui ex libris in hoc syllabo annotandis, potuerint fortassis aliter, quàm per tertij hallucinationem, supponi autoribus quibus tribuuntur: tamen in re incerta, placuit dolum non præsumere. Porrò non modò operum, quæ reipsa fuerint suppositæ, exempla annotabo, sed etiam eorum, quæ aliqui minùs rectè censuerunt cuipiam fuisse suppositæ, subiuncta ratione cur eis non videatur subscribendum.

A.

Alberto Magno suppositum est sub nomine *Marialis* ab eo conscripti, opus 184.
Richardi à S. Laurentio de B. Virgine, vt monui in Diptychis Marianis.

Ægidius Romanus, Columna Ord. Eremitarum S. Augustini, postea Archiepiscopus Bituricensis, omnino multa scripsit: sed nomine eius vulgatum *Correctorium corruptorij doctrinæ S. Thomæ*, Ioan. Picus *quæst. 1. Apolog.* & Leander *lib. 4. de viris illustr. Præd. pag.* 138. tribuunt Ioanni Parisiensi Ord. Prædic. Ægidij æquali. Sed cùm addat Leander, Richardum quoque Clapoel Anglum, scripsisse eodem argumento, & titulo librum, quidni Ægidius quoque ea de re scribere, & vindex pro magistro exsurgere potuerit? Multo ampliorem plagam Ægidio Romano inflixit, qui omnia eius opera suppositit Ægidio Corbolienſi, Medico Gallo, eximiè laudato ab Ægidio Parisiensi *lib. 5. Carolini*, quem scripsit ad instructionem illustris pueri Ludouici, filij Philippi Augusti. Falsi enim sunt, Platus *lib. 2. cap. 32.* qui eius opera tribuit S. Ægidio, itémque Trithemius, & Gesnerus in suis Scriptorum indicibus, & ex eorum fide Tiraquellus *lib. de nobilit. cap. 31. num. 254.* ac Schenckius *in Biblioth. Medica*, cùm Ægidium illum Corbolienſem, Græcis, & Benedictinis accensuerunt, iure reiecti à Gabriele Naudeo *in Panegyrico scholæ Modicæ Paris. pag. 36.* Cæterùm quantus quantus fuerit hic Ægidius Corbolienſis, indignum tamen est, eius scriptiones esse arbitrari, quæ nomine Ægidij Romani circumferuntur. Quid enim Medico ad tot Ægidij Romani lucubrationes Theologicas?

Agobardi Lugdunensis nomine, tractatum *de comparatione vtriusque Regiminis Ecclesiastici & Politici*, emiserunt Papyrius Massonus, & Melchior Goldastus, sed per non leuem hallucinationem. Nam tractatus eo nomine inscriptus Agobardo, est aceruus trium tractationum sub vno illo titulo malè consarcinatarum; nimirum, *Epistolæ Agobardi ad Ludouicum Imperatorem*; *epistolæ Gregorij IV. increpatoriæ ad Episcopos Gallicanos atque Germanos*; *& rationum confusionis in domo Ludouici Imperatoris.* Prima tractatio incipit ab illis verbis, *Iubet vestra prudentissima*; & desinit in illis, *faciat Apostolicis meritis.* Secunda tractatio, (in qua sola agitur de prælatione Ecclesiasticæ maiestatis, & spiritualis regiminis, supra regimen Politicum, & maiestatem Imperialem;) orditur ab illis verbis, *Romano Pontifici scribentes*, & finit in illis verbis, *eadem damnatione sis?* Tertiæ initium ducitur à verbis illis: *Audite hæc omnes gentes*, & protenditur ad finem vsque tractatus, vbi illa verba leguntur, *ipse dixit, & facta sunt.* Hæ duæ partes tractatus prædicti, longiores multo sunt singulæ, quàm prima, quæ sola est Agobardi, in qua comparatio vtriusque regiminis, quæ titulo totius tractatus præfertur, ne attingitur quidem. Itaque admodùm indiligenter, aceruus ille tractationum, Agobardo suppositus est, præsertim sub eo titulo, qui nihil ad Agobardum. Notauit incuriam Massonij diligenter, & qua est iudicij acritudine, omnia prædicta accuratè secreuit vir doctissimus Petrus de Marca *lib. 4. de concordia sacerdotij & imperij, cap. 11.*

185. Alcuino, (vt refert Christophorus Madridius *lib. de freq. commun. cap. 3.*) multi doctissimi viri suppositerunt librum de Ecclesiasticis dogmatibus, quem Gregorius Ariminensis ex rubricis antiquis, (vt ait,) adscribit Diuo Augustino: sed liber ille neque Augustini, neque Alcuini est, at Gennadij.

Amalarius Treuirensis Antistes. Huic passim supponitur *lib. de diuinis officiis*;

Non

Non esse tamen hunc Amalarium libri illius verum parentem, sed alium Amalarium non nisi Diaconum, & Episcopo ætate supparem, qui iussu Ludouici Imperatoris opus illud contexuerit, annotat Sirmondus ad Ennodij opusculum *de cerei benedictione.*

186. S. Ambrosio suppositam esse posteriorem pro Dauide Apologiam, contendit Nicolaus Faber opusculo vltimo, quod est ad Frontonem Ducæum. Et idem habet Bellarminus *lib. de scriptor. in Ambrosio:* qui argumentum ducit ex styli diuersitate, & ex eo quòd alia extet apud eundem Ambrosium pro Dauide Apologia. Sed maximè ex eo quòd Autor posterioris Apologiæ, negat Dauidis cum Bersabea adulterium, fuisse verum adulterium, illúdque censeat allegoricè interpretandum, quod S. Ambrosius nunquam diceret. Hinc Nicolaus Faber colligit id opus esse alicuius Origenistarum omnia ad allegorias vertentium: & miratur in editione Romana expunctas esse ex cap. 8. aliquot lineas, quibus ea probrositas indignè Ambrosio affricabatur; quamuis non sint erasa ex cap. 11. illa idem ferentia. [In illo inuidioso Dauid adulterio inueniri non solùm quòd non reprehendatur, sed etiam quòd laudetur.] Hinc tamen minùs perspicuè habetur quod hi Autores intendunt de supposita S. Ambrosio ea lucubratione. Nam stylus haud abhorret à S. Ambrosio, imò plerique modi loquendi S. Ambrosio familiares, hîc passim occurrunt. Quod autem alia extet eiusdem tituli lucubratio, non vrget. Nam hæc posterior Apologia, est commentarius in titulum Psal. 50. & in ipsum Psalmum. Prior autem Apologia est eo nexu soluta. Quòd autem adulterium Dauidis in posteriore Apologia dicatur abdere mysteria Christiana, non pertinet ad laudationem adulterij. (Absit;) sed ad vtilem allegoriam, qualem alij quoque Patres factis quibusdam turpibus substrauerunt. Videndi S. Augustinus 22. *contra Faustum cap.* 83. S. Gregor. 3. *moral. cap.* 21. Beda *lib.* 2. *in Samuelem cap.* 3. *& quæst.* 6. ex variis Bernardus *serm.* 2. *de Domin. infra octauam Epiphaniæ*, qui ait hanc esse tenebrosam aquam in nubibus aëris. Rupertus *lib.* 5. *in Genes. cap.* 9. Blesensis *in calce Inuecti.* & ex recentioribus Sancius *in cap.* 1. *Oseæ à num.* 18. qui fatetur S. Hieronymum aliquando aliud sensisse, nimirum *in cap.* 45. *Esaiæ*, *& in cap.* 12. *Ezech. & in cap.* 10. *Oseæ.* Sed notat mutasse postea sententiam *epist.* 131. *ad Ruffinum.* Multo minus est operæ in retinendo libro altero de interpellatione Dauid, quem æquè S. Ambrosio suppositum asserit Bellarminus. Sed quæ adducit, debilia videntur, vt attendenti liquebit. Itaque fœtus illos esse S. Ambrosij genuinos, nec illi fuisse suppositos, verisimilius censeo.

187. Eidem S. Ambrosio suppositos esse libros duos de pœnitentia, visus est censere Petrus Soto *in Institut. Sacerd. tit. de necessitate Confessionis, lect.* 2. eiúsque sensum non alio firmiore argumento dispellit Bellarminus, quàm quòd ipse Autor, se Ambrosium subindicet, & communiter ei tribuantur. Verùm extra dubium planè esse debet, libros illos verè esse S. Ambrosij. Nam S. Augustinus *lib.* 2. *contra Iulian. non longè ab initio*, locum profert ex opere S. Ambrosij contra Nouatianos, qui legitur *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 2. Disputat autem in hoc opere S. Ambrosius contra Nouatianos. Et ipse S. Ambrosius *in Psal.* 37. horum librorum suorum apertè meminit, [*De pœnitentia*, (inquit,) duos iam dudum scripsi libellos.] Quare extra dubium esse debet, vt dixi, hos libros non esse Ambrosio suppositos. Quæ autem, vt Ambrosio eos eripiat,

opponit Soto, sunt planè leuia; ait enim, autorem illorum librorum, loca aliqua Scripturæ torquere, & peruertere sensum, vt cùm minùs sobriè, de exteriùs tantùm lapsis, postea reuersis ad cor, ait, quòd Diabolus poterit de eis dicere, *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*; & cùm obseruat, Christum dicere, *Omnis qui me confitebitur, confitebor & ego eum.* Nec similiter dicit, *Omnis qui me negauerit, negabo eum*; sed indefinitè tantùm pronunciat, qui negauerit, à se quoque negandum. Subiicit Soto, importunam esse eiusdem autoris verbositatem, & sui accusationem valdè insulsam, Ambrosiique grauitate indignam, ab eo prætexi, *lib.2. cap.8.* vbi agendum esse sibi leniter cum pœnitentibus, confirmat, ex eo quòd & ipse peccator fuerit. Itaque Soto, ne cogatur, hæc, (vt ait,) tam indigna ex Ambrosio suscipere, mauult illi totum opus abrogare. Ego tamen quæ sint illa tam indigna, non video. Nam tueri causam lapsorum qui postea surrexerunt, non est minùs sobriè factum, sed omninò catholicè ac sapienter. Eo autem accommodare verba alio sensu prolata, vitiosum non est, cùm tales accommodationes sint Patribus omnibus, & indubitato Ambrosio frequentissimæ. Recogitare autem infirmitates suas, & inde excitari ad compatiendum infirmis, non video quid insulsum, aut Ambrosio indignum contineat. Quare dubitare non possum, quin opus illud sit S. Ambrosij, & caput illud 8. libri secundi tam explicatè, ac disertè hoc tradit, vt nulli id ambiguum esse patiatur.

188. Commentarios in Paulum Ambrosio tributos, esse Hilarij Diaconi, quem S. Hieronymus ob Luciferanismum, vocauit *Orbis Deucalionem*, notauit iam pridem vir eruditus in recognitione Louan. operum D. Augustini *ad lib.4. contra duas epistolas Pelag. cap.4.* Non esse sanè opus illud S. Ambrosij, multis coniecturis euincit Franciscus Turrianus *lib.5. contra Magdeburg. cap.11.* & alij, quos adducit Cornelius à Lapide *in Prolegomenis ad Paulum*, agens de interpretibus epistolarum eius. Error quòd mulier non sit ad imaginem Dei, traditur ab hoc Autore 1. *Cor.* 11. Et idem tradit Autor qq. Veteris ac Noui Testam. quem verisimillimum est, esse hunc ipsum Hilarium Diaconum. Tempora certè consentiunt. Nam Hilarius sub Damaso se scribere notauit. Autor verò quæstionum, in 44. se scripsisse prodit sub annum 374. quo tempore sedebat Damasus.

Liber de dignitate Sacerdotali, Anselmum potiùs redolet, quàm Ambrosium. Nihil tamen definio.

189. Ambrosio communiter, ac S. Augustino, tribuitur *hymnus Dominicalis*; sic enim Alcuinus *lib. de officiis*, appellat canticum vulgatum, *Te Deum laudamus*, quod olim ex vsu Romanæ Ecclesiæ in solis Pontificum natalitiis concini solitum, teste Amalario *lib. de ordine Antiphonarij cap.2.* postea ex S. Benedicti præscripto, in quibusuis Dominicis, etiam Aduentus & Quadragesimæ, decantatum est, non sine aliqua offensione Præsulum, vt scribit Radulphus Glaber *lib.3. histor. cap.3.* Hunc igitur hymnum passim tribuunt SS. Ambrosio & Augustino, ex autoritate S. Dacij, à D. Gregorio 3. *Dialog. cap.4.* laudati, qui ita scripsit in suo Chronico *lib.1. cap.10.* referente Bellarmino *lib. de scriptor. in Dacio, & lib. de orat. cap.12. & 14.* & Olierio Bonarsio *lib.1. de horis Canon. cap.29. num.26.* Verùm opus quod S. Dacio adscribitur, eius

reuera esse, non omnes consentiunt, præciséque negat Hugo Menardus *in notis ad Ritum antiquum vnctionis Regum Francorum*, quem subtexuit S. Gregorij libro Sacramentorum. Et sanè stylus, quo liber ille S. Dacio adscriptus, exaratus est, non redolet tempora Iustiniani, quibus S. Dacius florebat; eáque, loco qui allegatus est, narrantur de gestis in SS. Ambrosij, & Augustini alloquio, quæ planè aduersentur ipsi S. Augustino, atque Possidio. Quare hymnus ille Dominicalis, alium videtur habuisse autorem, quàm SS. Ambrosium, & Augustinum; nec ante S. Benedictum, qui *in regula cap.* 11. eius vsum præscripsit, vspiam de eo aliquid legitur. Memoratur tamen postea frequenter, & in effusæ lætitiæ, vel gratiarum actionis argumentum, decantatus legitur, in dicto libro *de Vnctione Regum Francorum*; & in coronatione Caroli Calui, & in actis Ludouici Pij, cùm de recepto Rhemis Stephano Papa, & in restitutione Ebbonis Rhemensis, & in S. Germani Parisiensis translatione sub Pipino Duce Francorum.

Ambrosio Ansberto suppositi sunt libri decem in Apocalypsim ad Stephanum Papam, qui reuera sunt Authperti Abbatis S. Vincentij ad Vulturnum amnem.

Ammonius Alexandrinus perantiquus & doctus Scriptor fuit. Huius Harmoniam Euangelicam, Victor Capuanus præfatione in harmoniam, quæ secundo Bibl. PP. volumine legitur, suppositit Tatiano: & è contrario, opus Tatiani de eodem argumento, cui titulus *Diatessaron*, Ammonio adscripsit; sed errorem facilè est deprehendere, ex iis quæ de Tatiani operibus habent Eusebius *lib.* 4. *histor. cap.* 15. *&* 27. & Hieronymus *lib. de scriptor. in Ammonio, & Tatiano.* Verùm vt alteri confusioni obuiam eatur, aduertendum est, duos fuisse Ammonios Alexandrinos, in scriptoribus Ecclesiasticis claros. Primus is fuit, quem harmoniæ autorem diximus, Origenis æqualis, Plotini Philosophi præceptor, apostasiæ ad Gentilismum nequissimè & impudentissime infamatus à Porphyrio *in Plotini vita*, vt conuincunt Eusebius *lib. illo* 6. *cap.* 13. & S. Hieronymus *in Ammonio.* Posterior verò Ammonius Alexandrinus, is est, quem S. Anastasius Sinaita *in præfatione ad suam Hexaëmeri anagogen*, vocat *probatissimum interpretem*; atque affectatum esse S. Cyrilli vestigia, & arguisse, anteriores plerosque ob illatam vim scripturæ. Ex quibus potest de huius Ammonij ætate ferri iudicium. Nam S. Cyrillus, (quo eum posteriorem facit Anastasius,) floruit sub annum Christi 430. Anastasius verò sub annum 550. Intermedio igitur tempore, floruisse necesse est hunc Ammonium Cyrillo posteriorem, & Anastasio anteriorem; cuius opus paternarum Hexaëmeri sententiarum allegat *ibidem* Anastasius. 190.

Anselmus Canthuariensis Archiepiscopus, ex Abbate Beccensi, vir fuit doctissimus, & pleraque scripsit eo digna ingenio. Verùm quamplurima huic S. Patri suppositia, annotauimus in ea editione operum illius, quam annis superioribus adornauimus. In quartam enim classem, velut quisquilias in angulum reiecimus quæcumque comperimus ei falsò esse adscripta. Et quia in Syntaxi illius quartæ partis plenè egimus, de nothis illis Anselmi fœtibus, hîc duntaxat pauca, inde libabimus. Ac primùm, liber *de similitudinibus S. Anselmi*, est quidem liber de iis similitudinibus, quas S. Anselmus adhibebat: non est tamen liber S. Anselmi, sed alterius autoris, qui in illis simi- 191.

litudinibus colligendis laborauit, quem fuisse è familia cui aliquando S. Anselmus præfuerat Becci, inde haberi videtur, quod *c.*187. & 188. alleget S. Anselmum, & vocet eum *Patrem nostrum.*

Liber *de mensuratione crucis*, manifestè est supposititius. Nam *cap.*5. allegat S. Bernardum, qui tamen non est ad quicquam scribendum aggressus, nisi multis annis post S. Anselmi obitum, vt subductis annorum rationibus, moneo in Syntaxi prædicta.

Liber *de passione Domini*, & liber *de vestimentis Dei*, & liber *de imagine mundi*, tam clarè sunt supposititij, vt non sit in ea re diutius terenda opera.

Elucidarium non esse Anselmi, conuiceram in Syntaxi. Sed cuius autoris, nondum compereram. Postea verò agnoui, librum illum esse Gulielmi Couentrienſis Carmelitani, vt fusiùs monstraui in præfatione ad editionem
192. meditationum S. Anselmi, quæ seorsim in 12. facta est. Breuiter autem probatio ducitur ex eo quòd indices Scriptorum Anglicanorum, quos Lælandus, Gesnerus, Balæus, Pitsæus, aliique repræsentant, inter varia opera Gulielmi illius Couentrienſis, quæ ipse non adscripto nomine suo euulgare soleret; numerant librum vnum, cui titulum fecerit, *Elucidarium fidei*, addúntque illius libri hoc esse initium, *sæpiùs rogato à condiscipulis*, &c. quod est initium operis de quo agimus. Itaque cùm & titulus, & initium operis, prodat autorem, non est vlteriùs de eo ambigendum.

Commentarium in Matthæum, annotabam in Syntaxi, supposititium esse, tametsi verum eius parentem nondum compereram. Postea verò deprehendi, autorem illius commentarij, esse Petrum Babionem. Nam indices
193. Anglicani, librum vnum commentariorum in Matthæum, Petro illi Babioni tribuunt, eiúsque hoc referunt initium, *Dominus ac Redemptor noster.* Quamuis autem hoc initium non habeatur in eo commentario, qui nomen S. Anselmi præfert, tamen ita planè inchoatur Præfatio ad eum commentarium, quam ex MS. codice commentarij prædicti, asseruato in Bibliotheca nostri Lugdunensis Collegij, repræsentauimus in calce Syntaxeos. Vbi tamen per librarij oscitantiam, quam à nobis admonitus recognouit, vox prima *Dominus*, mutata est in vocem *Christus*, modo loquendi prorsus inusitato, & absono. Quis enim aliquando dixit, *Christus, & Redemptor noster?* Christus enim, est *Christus Dei*, (vnctus quippè à Deo Patre;) non autem *Christus noster*: verè autem est, *Dominus, & Redemptor noster*; & ita planè scripsit Autor in ea præfatione. Sed librarius, ad vocem initialem cœcutiuit, quia tribus litteris maiusculis compendio vocem integram *Dominus* repræsentantibus, ob configurationem non nihil extraordinariam, variósque ac implexos calami ductus, censuit exhiberi vocem *Christus.* qui error in nostram editionem eiusdem præfationis manauit. Quare Autor commentarij, ex præfatione prædicta, tenetur manifestè Petrus Babion; de cuius præstanti ingenio, ac dotibus, plura Pitsæus *in Scriptorum Anglicanorum elencho.*

194. S. Athanasio suppositus in nupera editione cumulus opusculorum *de Incarnatione,*

carnatione, est reuera Theodoreti, vt habetur ex Photio *cod.46.* vbi libelli, qui apud Athanasium extant, inchoantur ab octauo, & desinunt in 25. inclusiuè.

Eidem S. Athanasio suppositæ sunt qq. ad Antiochum. Aliqui id probant, quia in eis citantur aliqui S. Athanasio posteriores: nominatim S. Epiphanius, & Gregorius Nyssenus. Sed respondet Turrianus *in proœmio ad constitutiones S. Clementis*, §. *item Anastasius Antiochenus*, se nactum esse Messanæ, exemplar qq. Athanasij, carentium eo additamento, quod aliquis postea fecit, annotans quæ alibi conformia legerat. Addit *ibidem* Turrianus, has qq. tanquam Athanasij, citari ab Anastasio Sinaita, & Damasceno. Verùm Damascenus *orat.3. de imag.* citat quidem qq. Athanasij ad Antiochum, non tamen sub nomine magni Athanasij, & præfixo *sancti* nomine, quo mox *ibidem* donat verum Athanasium; atque opus illud esse centum capitum, & adducit 38. quorum nihil respondet operi quod extat. Lege sis Bellarminum *in fine recognitionis librorum de Conciliis.* Illud opus qq. esse Athanasij cuiusdam, qui fuerit S. Cyrillo Alexandrino æqualis, & opus suum Antiocho præfecto sub Theodosio iuniore dicarit, censent aliqui, quibus non refragatur Gretserus *tom.3. de Cruce lib.1. cap.3.* admonens illud ἄρχοντα, quod Latinus interpres vertit *principem*, reddi verè debuisse *Præfectum.* Quòd Maluenda *lib. de Paradiso cap.51.* hunc librum, omninò contendit esse Magni Athanasij, audiendus non est.

Eidem S. Athanasio, tributus sermo *de SS. Deipara*, non videtur eius esse, 195.
cùm clariùs differat de mysterio Incarnationis, quàm soleat S. Athanasius; latéque agat in errorem Nestorij, post Athanasij tempora exortum. Baronius *notis ad Rom. Martyr.15. Aug.* putat esse S. Cyrilli.

Librum de communi essentia Patris & Filij, ac Spiritus sancti, perperam S. Athanasio fuisse suppositum, & erroribus scatere, confirmat Petrus Halloix *lib.4. Origenis defensi q.5. §.1.*

S. Athanasij perperam censeri disputationem Laodiceæ habitam, monui §. 1. libros item vndecim de Trinitate, qui latinè tantùm habentur, inserti S. Athanasij operibus, esse Vigilij Africani, Autoris Laodicenæ illius disputationis, coniectat Sirmondus ad Theodulfum *pag.276.*

D. Augustino adscriptum opus *de Incarnatione*, suppositititium est; nec re 196.
vera aliud continet, quàm defloratione quorumdam capitum libri Origenis *de Principiis*, nominatim capitis secundi libri primi, & capitis sexti libri secundi.

Eidem S. Augustino adscriptum perperam est opus *Hypognostici*, vt latè prosequitur Ecclesia Lugdun. *lib. contra Ioannem Friugenam Scotum*, ad caput eius 18. nec non *in libro de tribus Epistolis.* Sed quod ad priorem locum, excidit Doctissimo Andreæ Duuallio, circa librum Hypognostici, eundem cum libro Pelagiano de Ecclesiasticis dogmatibus, damnato per Collestinum I. hoc, inquam, refutatione non eget.

Liber de vita Christiana ad Sororem viduam, id est, piam matronam orbam coniuge, est Fastidij, Episcopi Britanni.

Liber

Liber *de rectitudine Catholicæ conuersationis*, insertus tom. 9. est S. Eligij Episcopi Nouiomensis, teste S. Audoeno in vita S. Eligij *lib.* 2. *cap.* 16. vocante *concionem.*

Liber *de triplici habitaculo*, qui eodem tomo habetur, à S. Bonauentura *in soliloquiis cap.* 4. citatur nomine S. Fulgentij.

197. Liber *de Spiritu, & Anima*, malè suppositus est S. Augustino, cùm sit cuiusdam Cisterciensis, vt ait S. Thomas *opusc.* 72. *& quæst. vnica de anima art.* 12. *ad* 1.

Liber *de fide contra Manichæos*, est Euodij Vzalensis, vt habet Codex Corbeiensis. Id quod etiam ex multis aliis codicibus confirmat Sirmondus *in historia Prædestinatiana cap.* 1.

Liber *de fide ad Petrum*, quem constat esse S. Fulgentij, suppositus aliquando fuit D. Augustino, & eius nomine citatur à S. Anselmo, *in fine libri de Sacramento Altaris*: quod latè quoque contendit Gregorius Arimin. *ex antiquis*, (vt ait,) *rubricis*. Sed hallucinatur apertissimè.

Librum *de cognitione veræ vitæ*, S. Anselmo tribuit Argent. *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 1. *artic.* 2. *in corpore.*

198. Librum *de prædestinatione, & gratia*, esse S. Fulgentij, demonstraui iusto opusculo, cui titulus, *Censura inofficiosæ censuræ.*

Librum *de V. Hæresibus*, Petro Chrysologo adscribit S. Hildephonsus *lib. de perp. virginit. & partur. S. Mariæ.* Beda tamen in *cap.* 1. *ad Rom.* agnoscit esse D. Augustini.

Librum *explicationis Apocalypsis*, esse Tychonij, euicit Franciscus Ribera in Anacrisi interpretum Apocalypsis. Absurdè certè suppositus est Augustino, cùm istius libri Autor, caput Apocalypsis 21. exponat de statu præsentis Ecclesiæ, quod nimiæ esse impudentiæ ait ipse Augustinus 20. *Ciuit. cap.* 17.

Opus Tripertitum *de Mirabilibus S. Scripturæ*, perperam suppositum S. Augustino, vt monuit S. Thomas 3. *part. quæst.* 45. *artic.* 3. *ad* 2. esse S. Marchiani Hiberni, asserit Henricus Firtzesimon, *in Catalogo SS. Hiberniæ.*

Sermo I. *de festo omnium Sanctorum*, quem Louanienses volunt potius esse Alcuini, tribuitur Odoni Cluniacensi in MS. C. Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ, teste Baronio in Martyrol. 1. Nouemb. *Serm.* 15. *de temp.* est S. Fulgentij sub *titulo de laudibus Mariæ ex partu Saluatoris.*

B.

199. S. Basilio supposita videtur *epist.* 80. est enim eadem planè lucubratio cum tractatu Gregorij Nisseni *de Trinit.* ad Eustathium Medicum, addito duntaxat apud Nissenum limbo, qui apud Basilium desideratur; à verbis illis sub finem opusculi, [sin autem aliquis statuat hanc appellationem.] &c. ad metam vsque libelli.

Regulas breuiores, suppositas esse S. Basilio, esse autem re vera Eustathij Sebasteni monuit Garetius *præfatione ad opus suum de Eucharistia*, allegato Nicephoro *lib.* 9. *histor. cap.* 16. *& lib.* 13. *cap.* 29. fateor tamen Photium

sium esse in contrarium, & eas regulas tanquam genuinum S. Basilij opus agnoscere.

Constitutiones monasticas, quæ passim soli S. Basilio tribuuntur, communiter ab eo, & à Gregorio Nazianzeno esse conscriptas, tradit Gregorius Presbyter in vita Theologi. Eidem Basilio apertè suppositus est liber, *de laudibus eremi*, quod est segmentum operis *de Dominus vobiscum*, à Petro Damiani conscripti, continetúrque illius operis *cap. vltimo.*

Item suppositæ Basilio sunt *homiliæ* 10. *&* 11. *in Hexaëm.* Nam S. Hieronymus *lib. de scriptor. in Basilio*, & Suidas, nouem duntaxat S. Basilij in Hexaëmeron homilias agnoscunt. Et disertè S. Gregorius Nyssenus *in calce libri de Hexaëmero*, quem rogante Petro fratre conscripsit, ad enodanda dubia, quæ S. Basilius auditorum captui se attemperans prætermiserat, testatur S. Basilium nihil in eo opere tradidisse de hominis opificio. Rursúmque in Epistola ad Petrum Fratrem, præfixa operi ipsius Nysseni de hominis opificio, disertè ait Nyssenus, opus Basilij in Hexaëmeron esse truncum consideratione hominis, in quam binæ illæ Basilio tributæ homiliæ impenduntur. Et scribebat ista Nyssenus, fratre Basilio iam mortuo, vt satis patet ex adiunctis, disertéque tradit Nicetas *in Epigrammate ad librum Nysseni de hominis opificio.* Vt propterea euanescat quod ait Bellarminus *in Basilio*, de tandem perfecto & consummato suo illo opere à S. Basilio, quamuis initio exiisset imperfectum. Ratum igitur esto, binas illas homilias esse S. Basilio suppositas. An verò sint Gregorij Nysseni, qui præter illud veluti heterogeneum supplementum operis S. Basilij, istud quoque eadem qua Basilius methodo elucubrauerit, nec nisi imperfectum, vt constat ex calce secundæ homiliæ, pronuncient alij. 200.

Ægrè adducor vt moneam, libellum de Grammatica exercitatione absurdè adscribi S. Basilio Magno, vt habet titulus. Sed siue eum titulum appposuit Gilbertus Cognatus interpres, siue quispiam alius, vt accessu illius lucubrationis, editio operum S. Basilij videretur plenior prodire, impositum est manifestè lectoribus. Nam ipsummet initium, satis supérque docere poterat hallucinationem. Siquidem in eo initio ponitur oratio ad Deum, qua rogatur, vt meritis S. Ioannis Chrysostomi, Sancti paruulum rudem literarum, & primis Grammaticæ notionibus imbuendum, dignetur ad profectum iuuare. Hæc quis fingat à Magno Basilio, qui Chrysostomum antecessit, esse conscripta? Itaque absurdè omnino, ea scriptio S. Basilio est attributa, quam auctiorem, nomine Manuelis Moschopuli, qui sub annum Domini 1300. scribebat, emisere iam olim Parisienses. Notauit quoque, Moschopulum, non S. Basilium esse libri huius Grammaticalis autorem, Martinus Crusius, *in Notis ad historiam Politicam Constantinopoleos, insertam libro* 1. *Turco-Græciæ.*

S. Bernardo suppositus est tractatus Aëlredi Cistercienſis *de Domin. infra Octau. Epiph.* Et eiusdem Aëlredi sermones *de oneribus Esaiæ*, qui vndecim numero, inserti sunt operibus S. Bernardi, ex prima eorum sermonum ad suos Fratres per Aëlredum propositione, postea ab eodem in homilias triginta sunt expassi, vt ipsemet autor profitens in præfixa triginta illis sermonibus *epistola ad G. Lundonienſem Episcopum*, in plena eorundem sermonum emissione per Richardum Gibbonum. Laudatur is Aëlredus effusè à Gilleberto *serm.* 42. *in* 201.

Cant. & à Nicolao Rieuallensi, quem adducit Ioannes Picardus *in Notis ad librum* 1. *Gulielmi Neubrigensis de rebus Anglicis.*

Sermo quoque in Remensi Concilio habitus, non est S. Bernardi, sed cuiusdam Episcopi, vt dixi in corona aurea super mitram, *v. Moyses autoritate.*

Scala Claustralium, operibus S. Bernardi inserta, est Guiguonis Carthusiani. Eidem Bernardo suppositа est longa oratio ad Deiparam, quæ incipit, *Mentem, & oculos, pag. mihi* 268. Est autem Eckberti Abbatis, sub cuius nomine, plagula ex ea oratione recitatur à Richardo de S. Laurentio *lib.* 12. *de Deipara, pag.* 712. Habetur autem ea oratio non nihil plenior in Homiliario Alcuini, quo aliquis recentiorum eam intrusit, absque autoris adscriptione. Eidem quoque Eckberto tribuit Trithemius Meditationes S. Bernardi nomine vulgatas, hoc initio: *Verbum absconditum mihi est.*

Liber cui titulus est, *Formula honestæ vitæ*, suppositus S. Bernardo, est Bernardi Sylvestri, illiusmet, cuius est epistola *de re familiari benè administranda*, perperam item aliquando tributa S. Bernardo.

202. Tractatus *de vita solitaria ad Fratres de Monte Dei*, non est S. Bernardi, vt malè contendit allegatis plerisque Theodorus Petreius *in notis ad cap.* 29. *libri* 6. Chronici Dorlandi Carthusiensis, post Petrum Sutoris *lib.* 1. *de vita Carthusiana, tract.* 3. *cap.* 19. Perperam porrò Petreius causatur longinquitatem temporis inter Bernardum, (cuius tempore eam lucubrationem scriptam constat,) atque Gulielmum Abbatem S. Theodorici, cui meritò adscribitur; nam tantum abest, vt sit posterior tempore Gulielmus, vt potiùs S. Bernardo, cui erat amicissimus, sit præmortuus. Dunis in Cisterciensi apud Flandros cœnobio, opus de quo agimus, nomine *Epistolæ Gulielmi Abbatis S. Theodorici* prænotatum in veteri MS. Codice reperisse se, ait Chrysostomus Henriquez *in Menologio Cistercienſi* 12. *Ianuarij litera C.* vbi de Gulielmi sanctitate plusçula. Quæ pro eodem tractatu adscribendo S. Bernardo, profert Dionysius Richelius *lib. de præconio Ordinis Carthusiani art.* 5. eneruia sunt. Adducit in primis ex prologo illius libri, plagulam qua Autor testatur se scripsisse in Cantica Canticorum, vsque ad illum locum, *Paulum cùm pertransissem eos*, quæ est meta expositionis S. Bernardi *in Cantica.* Deinde addit Richelius, eodem Prologo autorem profiteri, se impeditum impugnatione Petri Abailardi, id est, Petri Leonis Antipapæ, non potuisse scriptioni librorum nauare operam, & senio ac ægritudinibus grauatum, exemptiones, à communibus laboribus admittere adactum, quod alibi S. Bernardus de se profitetur. Ad extremum vrget Richelius, præcellentiam huius lucubrationis planè dignæ Bernardo. Hæc dicebam esse eneruia. Nam plagula quæ ex Prologo adducebatur, assumentum est, quod in nullo vulgatorum codicum comparet; estque hauddubiè attextum ab aliquo cuius interfuit, scriptionem illam autorem præferre S. Bernardum. Æquè exulat à vulgatis omnibus codicibus mentio Petri Abailardi *in eo Prologo* Quòd autem Richelius, Petrum Abailardum in eo assumento expressum, interpretatur Petrum Leonis, non eget discussione, & vix credo excidisse Richelio, viro pererudito talem cespitationem. Denique huius lucubrationis nitor, & pietas, euincit Gulielmum fuisse virum doctrina, & pietate insignem, quod est extra controuersiam.

Sermones quinque super *Salue regina*, non sunt S. Bernardi Claræuallensis, sed

sed Bernardi ex Benedictino Archiepiscopi Toletani, vt testatur qui sermonum illorum autographum sub huius Bernardi nomine, penes se fuisse testatur Iulianus Toletanus *in Chronico num.* 607. multa de huius Bernardi sanctitate subnectens,& præter cætera annotans, quantum is iam Archiepiscopus S. Hugoni Cluniacensi, Abbati quondam suo,deferret.

Eidem S. Bernardo Clarauallensi tributus liber *de natura & dignitate amoris*, est Gulielmi Abbatis S. Theodorici,S. Bernardo coniunctissimi, vt ipse Gulielmus scribit in quadam epistola,cuius fragmentum exhibet Andreas Quercetanus *in præludiis ad Abailardum.*

Bernoni Abbati Augiensi suppositus est liber *Micrologus*, is enim est libri ti- 203.
tulus, non autem, vt aliqui commenti sunt, cognomentum autoris, quem fingunt vocatum *Ioannem Micrologum.* Eius ergo libri autorem,Claudius Espencæus *tract. de Missa publica, & priuata*, qui habetur in calce operis ab eo conscripti *de adoratione Eucharistiæ*, ait fuisse Bernonem Augiensem, sub cuius nomine eum librum prodiisse ait Parisiis anno 1518. titulo libri, *De officio Missæ*, quem inter Bernonis opera numerat Trithemius. Non potest tamen verisimiliter Bernoni tribui Micrologus. Quandoquidem Berno *lib.de rebus ad Missæ officium pertinentibus*, testatur, se interfuisse coronationi Henrici primi per Benedictum. octauum anno 1014. Autor autem Micrologi c. 34.testatur se scribere post obitum Gregorij VII. qui excessit è viuis anno 1085. Atque ita oporteret fateri, Bernonem plusquam decrepitum, scriptioni *Micrologi* dedisse operam. Est qui scribat, Autorem Micrologi fuisse Guidonem Abbatem S. Crucis Auellani, propè Aretium, qui cantum figuratum, & solemnes illas notas, *vt, re, mi, fa, so, la*, excogitauit. Nam Donizo Presbyter, carmine de gestis Comitissæ Mactildis, agens de Thebaldo Aretino Episcopo, siccanit:

Micrologum librum sibi dictat Guido peritus,
Musicus, & Monachus, nec non Eremitâ beandus.

Hic tamen Micrologus longè diuersus est ab eo opere *de Ecclesiasticis obseruationibus*, aut *Officio Missæ:* nam Card. Baronius anno 1022. recitans præfationem eius ad prædictum Thebaldum, monstrat fuisse librum de Musica,qui ibidem scriptus refertur anno ætatis Guidonis 34. sub Ioanne Romano Pontifice, nempe Ioanne XX. qui est sublatus è viuis anno 1033. Ex qua temporum collatione, in idem propè incommodum reuoluimur, in quod se coniecisse vidimus, qui id opus adscripsere Bernoni. Nam si Guido tempore Ioannis XX. agebat ætatis annum 34. (vt testatur vetus codex Micrologi Musici,cui id opus adscriptum esse refert Baronius;) Autor autem Micrologi de Ecclesiasticis obseruationibus, scripsit post Gregorium VII. quem notauimus obiisse anno 1085. necesse erit Guidonem plusquam nonagenarium scripsisse hoc opus de Ecclesiasticis obseruationibus. An in Guidone præcessit, quod seculum proximum in Martino Nauarro expertum est, vt scilicet 90. eóque ampliùs annos natus,adhuc scriptioni daret operam ?

Bertramo suppositum esse librum *de Eucharistia*, qui eius nomine circum- 204.
fertur, graues autores prodiderunt, nominatimque Sanctesius repetit. 2. c.14. Sixtus Senensis in Bibliothecæ sanctæ præfatione, & Claudius Espencæus *lib. 2. de adorat. Eucharistiæ cap.* 41. Nec repugnat Sanderus *lib.* 7. *de visibili*

Monarch. hæresi 133. At Valentia *lib.* 1. *de præsentia Christi in Euchar. cap.* 2. *num.* 10. & Nicolaus Romæus *in Caluini effigie spectaculo* 3. *colore* 21. *& spectac.* 8. *colore* 72. librum Bertrami, adulteratum duntaxat, & admistis plerisque supposititiis deprauatum confirmant. Addit verò Nicolaus, syncerum opus Bertrami, scriptum esse aduersùs hæresim, quam nuper quidam Siculi non absque barditate renouarunt de speciebus sacramentalibus, si obiectiuè spectentur, nequaquam realibus, sed meris præstigiis ac spectris. Nam hanc hæresim olim fuisse inuectam, ex Algero eam diligenter confutante *lib.* 1. *cap.* 7. perspicuum est. Sed hæreo in adulteratione operis illius. Potéstque satis verisimile apparere, OEcolampadium, cuius operâ Bertrami liber primùm lucem vidit, manus falsarias, & adulteratrices ei lucubrationi apposuisse; qui per idem tempus Christianum Druthmarum, & alios Catholicos scriptores perfidè contaminauit. Nec item est inuerisimile, eundem OEcolampadium totum libellum confinxisse, & suppositisse Bertramo, bono, & pio Presbytero, vt est apud Trithemium *in Catalogo.* Suffragatur huic verisimilitudini, quòd Bertramus per totos annos septingentos, à nemine notatus est hæreseos; nec vllus tam multorum qui Berengarij tempore scripserunt, præiuisse Berengario Bertramum, meminit. Imò quotquot Bertramum norunt, virum bonum, ac pium fuisse, statuerunt, & Catholicis scriptoribus annumerarunt. Alanus quidem *lib.* 1. *de Euchar. c.* 21. Bertramum facit autorem primum distinctionis illius corporis Christi, in verum, mysticum, & sacramentale, quam impugnat Paschasius *sub finem expositi:* nihil tamen apud Paschasium inuenio, quod apertè Bertramum feriat. Et illa ipsa distinctio tripartita, saluo mysterio Eucharistiæ, & vera in eo Christi præsentia, retineri facilè potest; nam corpus Christi *mysticum*, est Ecclesia, *verum*, est corpus Christi sub specie visibili, *sacramentale*, idem speciebus opertum. Itaque quamuis Paschasius in eam distinctionem insurrexisset tacito Bertramo, nihil inde haberetur, ad opus quod extat Bertrami nomine, genuini partus titulo venditandum; vel etiam ad statuendum, Bertramum, Berengarij prodromum: verisimilius autem est, quæ Paschasius peruersè à quibusdam sub illud tempus iactata dicit contra Eucharistiam, intorqueri in Ioannem Scotum Benedictinum, qui primus in Ecclesia Latina, dubiè de Eucharistia scripsit, & in Concilio Vercellensi præsente S. Leone IX. damnatus est, eiúsque liber de Eucharistia confixus, teste Lantfranco qui aderat, & Paschasij, ac Ioannis Scoti contrapositionem à Berengario factam memorat, tacito prorsus Bertramo. Sit igitur non inuerisimile, opus quod Berrami nomine circumfertur, esse illi suppositum, saltem magna ex parte.

205. Audio extare MS. Codicem Autoris Anonymi, qui tempore Caroli Calui scripsit, & Paschasij, ac Rabani, eiusdem æui scriptorum tanquam suorum æqualium meminit; in quo etiam codice mentio habetur operis Carolo Caluo inscripti de Eucharistia contra Paschasium, nomine cuiusdam Ratranni. Cuius item Ratranni scriptionem, conformem ei quæ sub Bertrami nomine vulgata est, extare manu exaratam, refert vir Eminentissimus *tract. de Euchar. lib.* 2. *cap.* 39. Qua ratione salua manet Bertrami fama; & verisimilitudo suppositionis ei factæ, obtruso illi libro Ratranni, insigniter confirmatur. Quàm enim facile fuit, in tanta nominum affinitate atque vicinia, Bertramum

mum & Ratrannum confundere? Scripsisse porrò fertur Ratrannus ille, contra hæresim Stercoranistarum, ab Erybaldo Antissiodorensi Episcopo proseminatam, qua Christi corpus in Eucharistia tale prorsus, quale speciebus obiicitur, atquè adeò album, rotundum, sapidum, quale speciebus præfertur, nuda & aperta prorsus veritate exhiberi asserebatur, affecta corpori Christi in Eucharistia, passibilitate, diuisibilitate, digestibilitate, & subiectione ad omnes specierum visibilium affectiones. In hunc errorem insurgens Ratrannus, vt est mos improuidorum, vitans hoc extremum, in contrarium cucurrit, & nihil nisi mysticum, & figuratum, (contra quàm Erybaldus figuram prorsus excludens censuerat,) reperiri in Eucharistia contendit. Quod ipsum, in vulgato Bertrami nomine, de Eucharistia libro, aliquoties occurrit. Vt proinde meritò liber ille, falce Ecclesiasticæ censuræ succisus sit, & libris damnatis annumeratus.

Sic pronunciarunt graues scriptores, de libro, qui Betrami nomine circum- 206.
fertur; rectè statuentes illum Bertramo suppositum fuisse, homini, ad superius vsque seculum, apud omnes retrò Autores, sine querela. Siue autem liber ille sit Ratranni, siue alicuius posterioris Autoris, non esset difficile, salua censuræ in eum vibratæ iustitia, præstare eum purum ab hæresi Berengariana: cuius solius reus agitur, etiam ante Berengarium. Nam meritò quidem liber eius proscriptus est, quia admodum implexè de veritate præsentiæ Christi, totóque hoc mysterio loquitur: ita vt lynceos lectoris oculos desideret, ad veritatem quæ verbis eius subiici potest, deprehendendam: cæteroqui disertissimè aliquoties agnoscit veram Christi in Eucharistia præsentiam, & panis, ac vini transubstantationem. Et quæ duriusculè profert, æquè mollienda sunt, in variis locis quæ ex D. Augustino, Facundo, & aliis Catholicissimis scriptoribus iactantur passim à sectariis. Sed in eam operam ad hoc instituto alienam nunc non excurro, libri, (qualiscunque sit,) suppositionem Bertramo factam indicasse contentus.

S. Bonauenturæ suppositus est liber Collationum. Eius enim esse non potest, cùm allegetur in illo libro Vbertinus de Casalis, qui anno 1305. opus in Collationibus allegatum conscripsit, anno vno & tricesimo post S. Bonauenturæ obitum, qui contigit anno 1274. Videsis Rosvvedium *in vindiciis Kempensibus*, & Heserum *in opusculis pro Thoma Kempensi*. Nec refert quòd Marianus Florentinus, Collationes Sancto Bonauenturæ tribuat. Marianus enim qui ad annum vsque 1529. vitam produxit, & malè fingitur anno 1400. floruisse, errori aliquorum inhæsit, re non satis considerata.

S. Brunoni Carthusiano suppositæ esse pleraque opera, quæ reuera sunt S. Brunonis Signiensis, contendit R. P. Philippus Malabayle, qui recens sub nomine ciuis sui Brunonis Astensis ea emisit. At illorum ipsorum operum partem nobilem, hoc est, Commentarium in Pentateuchum, Georgius Galonnus Ord. S. Benedicti ex Bibliotheca S. Gisleni in Cella vulgauit sub nomine S. Brunonis Herbipolensis Episcopi. Ego nihil definio.

C.

Catoni Censorio suppositæ distichæ, alium parentem habent. Allegari ab 207.

Agellio Catonis librum inscriptum, *Carmen de moribus*, qui liber hic ipse sit de quo agimus, censent aliqui apud Ptolomæum Flauium *cap. 95. Canicta-neorum*, qui ab aliis adscribi Boërio testatur. Ipse verò incerti autoris esse concludit: dictum autem *Carmen* ob sapientiam monitorum quæ tradit. Verè tamen hic parænecticus libellus, à Maximo Planude ob sapientiam qua scatet, Græcè factus, habet autorem Catonem; non quidem Catonem Valerium, cuius est poëma *Ciris*; sed Dionysium Caronem, Poëtam Christianum, de quo Elias Vinetus *comment. in Ausonium*, & Delrio *initio præfationis in Threnos*. Videsis Iosephum Scaligerum *lib. 2. lect. Auson. cap. 32*.

208. Claudiano Mamerto adscriptum *Carmen de Christo*, quod alij absurdiùs Gentilissimo eiusdem nominis Poëtæ adscripserunt, est S. Damasi, vt benè vidit Delrio *Polem. 2*. Eidem Claudiano, in veteri MS. codice, (quem penes se fuisse scribit Georgius Fabricius, *Commentario in Poëtas Christianos, v. Turcius Ruffus*), adscriptum est opus *de collatione miraculorum vtriusque Testamenti*. Sed non est dubium quin supponatur Claudiano ea lucubratio, quam Beda versus aliquos ex ea proferens, tribuit Sedulio. Aldus verò, & Cuspinianus tribuunt Turcio Ruffo Asterio, qui imperante Anastasio, consulatum cum Flauio Præsidio obiuit, post Claudianum. Onuphrius Turcio duntaxat missum, & inscriptum ab autore, id opus agnoscit. Mihi sat nunc est, iure abiudicari Claudiano.

209. S. Cyrillo suppositas esse pleraque homilias Paschales, ex iis quæ iustum volumen nuper compleuerunt, notatum est à nonnullis scrupulorum Chronologicorum scrutatoribus, pensata temporis in illis homiliis signati, nota. Legesis Elucidarium Deip. *lib. 1. in Isagoge ad Chronolog. Deiparæ cap. 2. & 6*.

Eidem S. Cyrillo, suppositum esse opus quod inscribitur *Thesaurus*, contendit Spurcus hæreticus, autor disputationis de suppositio, quam nuperrimè emendato nomine loci, suóque suppresso, homo malè teres atque rotundus, edidit Arausicæ. In ea disputatione, quæ est vna iugis hæreseon, & atrocissimarum calumniarum lepra, nebulo qui in S. Cyrillum maximè rabit, abiudicat ei opus Thesauri, contenditque ei perperam fuisse suppositum. Causatur autem styli diuersitatem: quam tamen Græci, Cyparissiota, Scholarius, & alij non olfecerunt, allegantes opus illud tanquam S. Cyrilli genuinum. Addit allegari à S. Thoma & aliis antiquis, nonnulla quæ in Thesauro nuper Auberti operâ edito non comparent. Sed hoc nihil est dicere: nam lacunæ vnius exemplaris Græcanica arte truncati, alitérve deficientis, non possunt S. Cyrillum de illius operis possessione deiicere. Ait denique hæreticus, in Thesauro profectum Christi quoad sapientiam, (de quo Lucas *cap. 2.*) attribui humanitati, quod S. Cyrillus Paschali *homil. 17. pag. 230*. stultè dici affirmat. Item *in Thesauro assert. 11*. negatur æqualitas Patris, & Filij in Diuinis, quam S. Cyrillus in germanis scriptis suis agnoscit. Denique *ibidem assert. 20. 21. 23. 24*. diuiduntur voces secundùm diuersas naturas. Quod genuinus Cyrillus, facere vetat *Anathematismo 4. & in epistola Synodica ad Nestorium, ac lib. 7. & 8. in Ioan*. Verùm hæ non sunt sobrij hominis oppositiones. Nam S. Cyrillus, vt ab hoc postremo incipiam, iis ipsis locis, quæ hæreticus allegat, tantùm ait, voces non esse diuidendas, tanquam si essent in Christo duæ personæ: non

nega t

negat autem esse diuidendas pro naturarum quæ plures in Christo sunt, diuersitate; idque rectè in Thesauro asserit. Quòd verò S. Cyrillus agnoscat, Patrem posse dici Filio maiorem quoad diuinitatem, quia Pater caret principio, & Deitatem ipsi Filio communicat, nihil oblædit Patris, & Filij æqualitatem. Tandem calumnia manifesta est, quòd S. Cyrillus negarit vspiam profectum in sapientia, cadere in solam humanitatem, si inde non inducatur personarum in Christo dualitas, vt ipse loco allegato disertè limitat. Itaque suppositio Thesauri S. Cyrillo facta, est somnium manifestum.

S. Cypriano suppositum esse librum *de duplici martyrio*, euicisse apertè videor in opere *de martyrio*, *p.1. initio.* 210.

Liber *de notis Ciceronianis*, otiosè S. Cypriano est suppositus, & iure à Pamelio, ne inter quisquilias quidem est admissus.

Eidem suppositus est liber *de singularitate Clericorum*, quem Philippus Abbas *lib. de continentia Clericorum*, *cap.67.* malè adscribit Augustino, nec meliùs alij tribuunt Origeni, vt euinco in opere *de sobria sexus mollioris frequentatione per sacros homines.*

Librum *de abusionibus seculi*, S. Cypriano supponit Concilium Trosleianum *cap.2.* & Hincmarus in calce operis *de diuortio Lotharij.* Sed est manifesta hallucinatio, vt alij monuerunt.

Eidem quoque Cypriano, manifestè suppositus est liber *de operibus Christi cardinal.* Nam *serm. de pass. Dom. & initio sermonis de Bapt. Christi*, apertè refellit errorem S. Cypriani *de Baptismo hæreticorum.* Vnde si S. Augustinus agnouisset illud opus tanquam Cypriani, non tantoperè laborasset in abstergenda labe S. Cypriani, ob illum materialem errorem, de Anabaptismo hæreticorum. Sed neque consentio Billio, *ad orationem 42. Naz. pag.901.* vbi eum librum, alicuius saltem S. Cypriano æqualis, esse contendit, cùm sit inscriptus Cornelio Papæ, & ex eo Nazianzenus apertè locum ibi à Billio expensum, mutuatus videatur. Hoc, inquam, non admitto; & potiùs arbitror, autorem illum, qui alteri cuipiam Cornelio Papæ, id est, Episcopo, iuxta antiquum eius vocis vsum, opus suum inscripsit, à Nazianzeno plagulam illam mutuatum esse. 211.

Hoc opus esse Autoris subsecuti ætatem S. Cypriani, nec modico tempore, persuaseram mihi aliquando, quia Autor initio sermonis de vnctione Chrismatis, meminit reseratorum ea die carcerum: quod videtur pertinere ad vsum, temporibus S. Cypriani non conuenientem; nimirum, vt sub Pascha laxarentur qui mancipati erant carceri, ita enim habetur ex Sacra Honorij Imperatoris ad Arcadium fratrem, cùm expostulat de S. Chrysostomi expulsione Cucusum; itémque ex lege Theodosij, cuius meminit Flauianus Antioch. ea *oratione ad Theodosium in causa Antiochenorum*, quam retulit postea S. Chrysostomus *hom.20. ad pop.* & habetur nunc ea lex *in append.7. & 8. Cod. Theodosiani.* Videnda item *lex 8. de indulg. crim. in Cod. Theod.* Idem tradunt Nyss. *orat.1. de Resurr.* Ambros. *epist.3.* quæ est *de tradendis basilicis, ferè initio*, & Chrysost. *in Psal.2. in fine*, S. Leo *varij sermonibus de Quadragesima*, ac nominatim *serm.2. & 7.* & alij, quos adducit Filesac *lib. de sacra Quadrag. cap.14.* Ita mihi, (vt dixi,) aliquando persuaseram, attento vsu illo altæ paci Ecclesiæ congruente. Postea tamen aduerti, quæ initio illius sermonis de vnctione Chrismatis,

Chrismatis, de reseratis carceribus, & laxatis captiuis, ac iudicibus manuefactis, , traduntur, repeti in calce Sermonis, iisdem ferè verbis, & ad sacerdotalem pœnitentium absolutionem referri. Quare nihil inde potest colligi, pro tardiore Autoris illius æuo, quàm sit æuum S. Cypriani. Nam quòd iam tunc non haberet locum absolutio pœnitentium in Cœna Domini, vnde probari queat?

212. Malim ergo argumentari, ex eo quòd auctor iste passim clariùs & destinctiùs agat de Mysterio Incarnationis, quàm soleant agere Patres, qui æuo S. Cypriani scripserunt. Deinde quòd sub finem prologi, auctor ita loquatur de auaritia, etiam Ecclesiasticos & religiosos occupante, vt planè insinuet, scribere se non tempore S. Cypriani, sed multo posteriore. [Hæc, (inquit,) sitis diuitiarum, miseris pectoribus assidet, & ambitionis salsugo bibulam animam occupat, ita vt per fas, & nefas, ad loca inferiora, etiam de latebris Eremi nonnulli se ingerant; & de omni gradu vbi aliquis aditus patet, anheli prodeant, discurrant ad iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, vt sedeant cum Principibus, eo quæstu, vt maledicat Deus quod ipsi benedixerint, & benedicat quod maledixerint.] *Eremum* pro cœnobio, & religioso statu vsurpare, Fausto, Eucherio, & cæteris illius ætatis, est frequentissimum. Itaque arguit hic auctor Religiosos, quòd ipsi quoque ad diuitias, & honores Ecclesiasticos, quibus diuitiæ iam essent adiunctæ, aspirarent ex suis latebris. Quod per se liquet, locum non habuisse per tempus S. Cypriani, grassantibus immanibus persecutionibus aduersùs Ecclesiam: quas non est quod quis existimet, insinuatas ab hoc autore in calce sermonis *de Natiu. Dom.* Certamina enim de quibus ibi agit, sunt communia certamina Christianorum, quæ etiam in Ecclesiæ pace non desunt. Quæ porrò argumenta eximium hoc opus S. Cypriano abiudicant, æquè illud abrogant Lucio Papæ, cui id alibi adscriptum legi. Præterquam quòd autor *in prologo num.3.* apertè agnoscit superiorem. Non igitur fuit Summus Pontifex, saltem cùm scripsit. Estius, & Cornelius *in cap.12. epistolæ 2. ad Cor. ad vers. 7.* hoc opus tribuunt Saluiano. Sed non adscribor: nam quamuis Saluianus disertissimus est, quæ item est gloria Autoris eorum Sermonum; tamen cultior & planior videtur Saluianus. In veteri quodam Manuscripto, hoc opus tribuitur Arnoldo Bonæ Vallis, & ab eo dicatum refertur Alexandro III. Idem monuit me, vir doctissimus, ac S. Petri in Vaticano Canonicus, Lucas Holstenius, allegato indice librorum Academiæ Oxonienſis in Anglia, quæ hoc Opus Manuscriptum, attextis reliquis Arnoldi lucubrationibus asseruat, vt videre est *pag. dicti indicis* 12. Et disertè præfatio operis sub nomine Arnoldi, dirigitur ad Alexandrum III. Idem refert Andreas Riuetus *lib.2. critici sacri cap.15.* ex Lameſio *in Catalogo Bibliothecæ omnium animarŭ, volum.25* nisi quòd ait, hoc opus ab Arnoldo inscribi Papæ Adriano, qui fuit coæuus S. Bernardo, nempe Adriano IV. qui immediatè præiuit Alexandro III. Sanè scriptionis in hoc opere maiestas, ab aliis Arnoldi lucubrationibus non abhorret. Et facilè est coniicere, nomen *Alexandri*, vel *Adriani*, mutatum esse in nomen *Cornelij Papæ*, S. Cypriano æqualis, per eos qui primi has dissertationes, ob nonnullam in styli grauitate similitudinem, S. Cypriano adscriptas voluerunt, vt essent ob vetustatem commendatiores ac vendibiliores, quod factum circa commentarios

in

in Matthæum Diuo Thomæ Aquinati adscriptis, infrà referam ex Vielmio. Non occurrit quod validè conuellat hanc coniecturam.

D.

Dacriano Abbati Ordinis S. Benedicti, suppositus est liber cui titulus, *Speculum Monachorum*, & alius cui titulus, *Epistola duodecim documentorum.* Eum Margarinus Bignæus in Indice Chronologico, refert ad octauum à Christo seculum. Sed hoc gratis ab eo factum est; nec minùs incongruè, quàm quod *ibidem*, autorem cui nomen *Idiotæ*, eidem seculo transcribit, quem constat exeunte decimoquarto seculo floruisse; vt docui ad *Oculum* eius *mysticum*, quem remota persona esse Raymundum Iordani Ordinis Canonicorum Regularium, demonstraui. Similiter ergo Dacryanus in seculum decimumquintum referendus fuit. Nam Dacryanus, ipse est Ludouicus Blosius, Abbas Lætiensis, cuius scripta omnia eximiam spirant pietatem. Dacryanum autem, id est, *gementem* ac *flentem*, se nominauit, vt collapsos eorum quos informatos ritè volebat, mores, minore cum inuidia restitueret. Cæteroqui nullus fuit vnquam, siue in Ordine S. Benedicti, siue alibi, Abbas Dacryanus. Mirúmque esset, Trithemium adeò pro locupletando Benedictinorum scriptorum indice sollicitum, non agnouisse Abbatem Dacryanum, si verè fuisset in rerum natura alius Dacryanus, quàm Blosius, qui post editos à Trithemio Indices floruit. Modus item scriptionis, & defloratio Tauleri, ac similium scriptorum Blosio familiaris, tantùm non clamant, Blosium ipsum esse Dacryannm, & expungendum esse suppositiuum illum octaui seculi Abbatem Benedictinum horum libellorum parentem. 213.

S. Damasceno, supposita videtur *historia Barlaami, & Iosaphati*, quæ potiùs est Ioannis Sabaitæ, vt fusè prosequitur Raderus *in prologo ad Climacum cap.* 1. Nec refert quod Romanum Martyrologium 27. Nouembris, S. Damascenum illius historiæ autorem laudet; id enim ex probabili, & communiter recepta sententia in tabulis est propositum. Et posse alioqui in eas tabulas irrepere menda, quoad ea quæ non sunt substantialia, monstratum est in opere *de martyrio p.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. 214.

Quis credat suppositos S. Ioanni Damasceno, libros *de re medica Ioannis Mesue*? Fecit id Abrahamus Bzouius *in libello de Medicis sanctis*; sed per cæcultationem & inaccurationem incongruam. Quod enim legisset, S. Ioannem Damascenum, dictum fuisse *Ioannem Mansur*, existimauit Bzouius, aliqua nominum vicinia delusus, eum ipsum esse *Ioannem Mansur*, qui passim dicitur *Ioannes Mesue*, scriptor librorum de re medica. At meminisse oportuerat, & genere, ac natalibus, & instituto, & æuo, & permultis aliis adiunctis, longè alium fuisse Ioannem Mesue, à S. Ioanne Damasceno, cuius cognomen *Mansur*, quod sonat *Redemptum*, obtorquebat impius S. Ioannis persecutor, Constantinus cognomento Copronymus, qui per conuitium denominabat eum, *Manser*, vt narratur in vita S. Stephani iunioris. Vt mirum non sit, si ea sancti viri cognominatio, ob detorsionem à Copronymo factam, sit infrequentissima in Catholica Ecclesia. Qui ergo libri, nomine Ioannis Mesue de re medica sunt vulgati, non sunt supponendi S. Ioanni Damasceno, sed Ioan-

S nis

nis Mesue autoris sunt agnoscendi, & Medici à Bzouio implanati, dedocendi sunt errorem, nominatímque Gulielmus Du Val Autor historiæ Morogrammæ SS.Medicorum.

215. Dareti Phrygio perperam suppositus est liber *de bello Troiano* Iosephi Iscarici Angli, qui sub annum Christi 1189. imperante apud Anglos Henrico II. & Ecclesiam Cantuariensem regente S. Thoma florebat, Christianus Poëta, vt ex *lib.3.* liquet; vbi Athenienses sugillat, ob transcriptos cœlo incestos Deos, gentilíque acerra delusas preces. Expeditionum item Cruciatarum, & Arturi Britannici meminit, quæ quid ad Ethnicum Daretem?

S. Dominico suppositus est liber *de Corpore Christi*, quem verè esse Dominici de Pantaleonibus, notat Maluenda *lib. de Paradiso cap.60.pag.*191. & alij quos adduco *in Diptychis Marianis parte 2. puncto 2. n.19.*

E.

216. Edmundo Monacho Cantuariensi, tractatum de dissidio inter S. Anselmum, & Henricum Regem, nec non commentarium de vita S. Anselmi, distinctum ab eo quem conscripsit Edineus, adscribunt Card. Baronius *ad Martyrol. Rom. 21. April.* & Ioannes Pitsæus *tomo 2. relationum, ad annos* 1120. & 1121. *n.*185. & 186. Sed has scriptiones perperam supponi cuipiam Edmundo, esse autem vnius, & eiusdem Edineri, liquere potest ex eius præfatione ad conscriptam à se vitam S. Anselmi.

217. Eusebio Emisseno, per magnam hallucinationem suppositi sunt sermones *de tempore, & Sanctis*, qui primo loco habentur in opere quod Eusebio adscribitur, cùm sint S. Brunorus signienses, magni in Berengarium concertatoris, sub Gregorio VII. Ita enim habetur ex Indicibus Cassinensibus, ac Vaticanis, & ex Petro Diacono, Cassinensi Bibliothecario, qui omnes illos sermones ex nomine notatos, adscribit S. Brunoni Signiensi, cuius ætate vixit. Eidem Eusebio Emisseno, perperam suppositas esse homilias Latini scriptoris, pridem notatum est. Eusebius enim Emissenus quem S. Hieronymus *in Chronico ann.*10. *Constantij, Arrianæ factionis signiferum* nominauit; non vixit Lugduni, vbi constat habitas aliquas homiliarum illarum; nec scripsit latinè, quod pereleganter facit, qui eam homiliarum paulò plusquam quinquagenam Eusebio adscriptam exarauit, siue Eucherius senior, siue Faustus: aut, quod verius videtur, varij ævi illius Patres. Suppositio tamen earum homiliarum facta Eusebio Emisseno, non est nupera. Nam Guitmundus *lib.3. contra Berengarium, sub finem*, locum ex illis homiliis nomine Eusebij Emisseni allegauit. Id quod etiam factum est à Gratiano *c. quia corpus, de consecr. dist.2.*

218. Eusebij Cæsarienses nomine edidit nuper Meursius expositionem in Cantica, quæ reuera est catena variorum Doctorum in eum sacrum librum; & quidem Eusebio posteriorum, vt Gregorij Nysseni, Didymi, Theophylacti, Philonis Carpathij, qui sub Arcadio floruit. Itaque quamuis aliqua fragmenta ex commentario Eusebij in Cantica, sint intexta operi nomine Eusebij edito, & ipsa præfatio eius, ex Eusebio sit decerpta, tamen opus perperam Eusebio est suppositum, & ob eandem causam, non rectè Gregorio Nysseno tribuitur à Vincentio Ricardo *in notis ad c.4. Cantacuseni in Cant.*

Eustathio,

Eustathio quidam suppoſuere *regulas apud S. Basilium fusiùs disputatas.* Ita 219.
constanter asseruisse aliquos, testatur Sozomenus *lib. 3. histor. cap.14.* & Nicephorus *lib.9.cap.16.ac lib.13.cap.29.* Fuit hic Eustathius, Episcopus Sebastenus, Arrianorum gregalis,& plenus nequitiæ homo, vt intelligitur ex iis quæ de eo tradit S. Basilius binis epistolis, altera ad Occidentales Episcopos, ad Patrophilum altera. Itaque minùs verisimile est, tantæ perfectionis lucubrationem, ad perditum Arrianum esse referendam : ac proinde S. Basilio eam adiudicant Iustinianus Imperator *tract.pro V.Synodo OEcumenica;tom.2.Conciliorum editionis Romanæ pag.267.* & Photius *cod. 144.ac codice 191.*

S. Brunoni Carthusiano, suppoſita esse omnia opuscula tomi tertij, quæ in indicibus Cassinensibus à primo illorum opusculorum denominantur,*Liber de luminaribus Ecclesiæ*, essèque omnia S. Brunonis Signiensis; contendit Autor disquisitionis historicæ ad opera S.Brunonis Signiensis,recèns euulgata. Qui si existimaret, S. Brunonem Carthusianum non fuisse satis à doctrina benè constitutum, vt posset dici ea opuscula conscripsisse, aberraret omninò; cùm S. Bruno Carthusianus fuerit Doctor suo tempore eximius. Suppoſita tamen vtriusque Brunonis idoneitate ad eas scriptiones conficiendas, quorum alterutri tribuenda sint ea opuscula, non definio.

F.

Flauij Dextri Chronicon nuper vulgatum, suppoſitum fuisse Dextro, latè 220.
contendit Gabriel Pennotus *in Canonicorum Regularium historia.* Quamuis enim, ipso S. Hieronymo teste, ratum sit, Flauium Dextrum scripsisse Chronicon quod eidem D. Hieronymo inscripserit; tamen hoc Chronicon nuper vulgatum,illud ipsum esse genuinum, cuius S. Hieronymus meminit,multa sunt quæ dissuadent. Nec quæ aduersùs libri illius suppoſitionem, proferunt Biuarius commentator ac defensor, & Melchior Incoser *lib. pro epistola Deiparæ ad Messanenses à cap. 42. ad 46.* explent reuera legentis animum.

S. Fulgentio Ruspensi Episcopo suppoſiti sunt tres Mythologiarum libri ad Carum Carthaginensem Presbyterum. Quanquam Sigebertus anceps hæret; nec planè audet eos libros quos ab ingenij acumine valdè commendat, S. Fulgentio adscribere. Probatior sententia videtur, eos libros esse S. Fulgentij Astigitani primùm, postea Carthaginensis in Hispania Episcopi, fratris SS. Leandri, & Isidori. Passim sanè is scriptor, quem Fabium Furium Fulgentium, Placiadem nominant,Christianum se prodit,deridens Ethnicorum nugamenta, vt *sub finem Proœmij ad lib. 1. & in fabula Mercurij 1.* Testimonia item à sacris libris producit in Herculis,& Omphales fabula: & in fabula *de iudicio Paridis*, vbi Episcopos, Sacerdotes,& Monachos, addit, apud nos vitam agere contemplatiuam, qualem apud Ethnicos egere Philosophi. Est ergo perspicuè autor Christianus. Et cùm nihil sit apud eum quod S. Fulgentio Ruspensi quadret, nec alius occurrat S.Fulgentius,cui opus illud tribui possit,præter Astigitanum, siue Carthaginensem, haud grauatè eius esse libros illos admiserim.

G.

Gabrieli Biel suppoſita est expoſitio Canonis Missæ,quæ reuera est Eggelin-

gi Brunsvvicensis, paucis à Gabriele omissis, nonnullis additis, aut mutatis, vt ipse Gabriel ingenuè fatetur ad calcem operis.

221. S. Gelasio Romano Pontifici suppositus iam olim, est liber *de duabus naturis.* Et eius nomine illum citat, ac locum ex eo describit S. Fulgentius *ad q. 2. Ferrandi.* Sed esse potiùs Gelasij Cyziceni, demonstrauere plerique.

Gennadio, (olim Georgio,) Scholario Patriarchæ Constantinopolitano, suppositа est *defensio quinque capitum Concilij Florentini*, quæ verè est Gregorij Protosyncelli, qui ex Cófessario Ioannis Palæologi Imperatoris, & Vicario Patriarchæ Alexãdrini in Concilio Florentino, tandem euectus est ad Patriarchatum, Constantinopolitanum. Ipsemet alibi se defensionis prædictæ autorem prodit, scribens aduersùs Marcum Ephesium. Nam nominatim allegat suum illud opus pro capitibus controuersis in Concilio Florentino. Ac ne quis opponat, varios Græcos post Concilium Florentinum, cui affuerant, scripsisse defensionem eorumdem capitum; in contrarium est, quòd ipse verbatim alibi non pauca è suo illo opere describit, quod ex alieno opere non faceret.

222. S. Gregorio Magno suppositum esse *decretũ* quod *lib. 2. post epist. 31. indict. 11.* habetur, continens priuilegium à S. Greg. concessum Monasterio S. Medardi; cõrendit Bernardus Vindingus Augustinianus *in Critico Augustiniano castigato, §. 8. Prolegomenorum*; addítque multa esse argumenta quibus ea suppositio conuincitur: & in primis vrget inscriptionem, quæ videtur cum S. Gregorij solemni simplicitate non cohærere. Sic enim ibi habetur. *Prætiosissimis lapidibus in diademate Christi meritò renitẽtibus, omnibus S. Dei Ecclesiæ membris, quorum vniuersale caput est Christus, Gregorius, licèt S. Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen seruorum Dei seruus.* Hanc inscriptionẽ esse simplicitati S. Gregorij aduersissimã, affirmat Vindingus; argumentatúrque præterea ex eo quòd huic decreto apponatur nota annorum Christi, quam S. Gregorius alibi non adhibuit. Item vrget, quòd Monasterium dicatur constructum in ciuitate Suessorum, & dicatum esse B. Mariæ, & SS. Petro, ac Stephano, cùm in Concilio Sueßionensi habeatur id Monasterium esse dicatum BB. Medardo ac Sebastiano. Ac denique vrget Vindingus, multiplicem in subscriptionibus Episcoporum falsitatẽ, cùm subscripti habeantur duo simul Portuenses Episcopi, Gregorius, ac Felix. Item Marinianus Rauennas, qui nondum ea indictione 11. erat Episcopus, sed tantùm Episcopus fuit indict. 13. & tamen subscriptus habetur, vt Episcopus; quod item vitium cernitur in subscriptione Augustini, Episcopi Cantuariæ, & Melliti Episcopi Lundoniæ, qui multo pòst inaugurati sunt Episcopi. Hinc ergo concludit Vindingus, decretum illud esse suppositicium, nec manasse à S. Gregorio Magno.

Reiiciendus tamen est Vindingus, qui in re tanti momenti, nihil debuit notare ob adeò friuolas ratiunculas. Quid enim vetuit, quo minus S. Greg. in decreto quod ad omnes planè fideles exarabat, alium inscriptionis modum adhibuerit, quàm passim soleat in priuatis, vel familiaribus epistolis, ad personas singulares? Mendũ verò librarij scribẽtis *Sueßorum*, pro *Sueßionũ*, ridiculè obiicitur aduersùs decreti veritatem. Sanctos quibus dicatum est Monasterium, aliter referri in hoc decreto, aliter in Concilio Sueßionensi, parum refert; subinde enim mutantur huiusmodi nuncupationes Domorum sacrarum. Ad reliqua omnia à Vindingo obiecta suppetebat ei responsio ex Baronio, qui anno Christi 593. admonuerat de subscriptionũ illarum interpolatione, & nota anni Christi postea

apposita.

appoſita ab aliquo exſcriptore Decreti S. Greg. Cæterùm hoc decretũ verè eſſe S. Gregorij Magni, dubitare non licet, cùm S. Gregorius VII. *lib.*8. *ſui regiſtri, epiſt.*21. *& lib.*4. *epiſt.*2. *&* 23. illud agnoſcat tanquam fœtum S. Gregorij genuinum; id quod etiam facit Thomas Valdenſis *lib.*2. *doctrin. artic.*3. *cap.*75. ac Bellarminus *lib. contra Barclaium cap.*40. Sanè Barclaius quamuis valdè grauaretur eo S. Gregorij decreto, non eſt tamen auſus ſuppoſitionem eius cauſari: ſed ad ineptam interpretationem confugit, quam benè ibi repellit Bellarminus. Nec eo duntaxat decreto, (vt Baronius loco citato rectè monuit,) ſed in aliis quoque priuilegiis idẽ munimentũ appoſuit S. Greg. quod in decreto de quo agimus; & nominatim in priuilegio cuiuſdam Xenodochij erecti Auguſtoduni, vt videre eſt *lib.*11. *indict.*6. *epiſt.*10. Itaque extra dabium eſt, decretum illud pro Monaſterio Sueſſionenſi, non eſſe ſuppoſitum S. Gregorio. 223

Gregorio Nazianzeno ſuppoſita eſt Tragœdia *Chriſtus patiens*, quam eſſe Apollinaris Laodiceni, benè monuit Baron. anno Chriſti 34.

Gregorio Nyſſeno tributus liber *de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſeos*, idem eſt cum *epiſt.* 43. S. Baſilij eidem Nyſſeno adſcripta. *Oratio de Reſur.* quæ incipit, *Quanquam*, eſt Heſychij, vt habet Groëcus *Codex Bibliothecæ Regiæ.*

Gulielmi Baldeſani nomen præfert liber perutilis, cui titulus eſt, *Stimuli virtutum adoleſcentiæ Chriſtianæ*, quem conſcriptum eſſe à Bernardino Roſſignolio, Rectore tunc Taurinenſi, compertum habeo teſtimonio eius cui ipſe Roſſignolius rem aperuit, & quo conſilio ſub alieno nomine vulgaſſet, expoſuit. Eiuſdem Roſſignolij eſt hiſtoria SS. Martyrum Thebæorum, eidem Baldeſano ſuppoſita.

Gulielmo Pariſienſi Epiſcopo, qui propriè cognominatur *Aruernus*, ſuppoſitus eſt *Dialogus de Sacramentis*, qui eſt Gulielmi Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum, cuius Poſſeuinus meminit. Eum Claudius Spineus eiudem Ordinis, ante annos ducentos ſcripſiſſe referebat ſuperiore ſeculo ſub annum 1550. Ipſe auctor in calce, ex S. Thoma, & Petro de Tarentaſia Dominicauis, profeciſſe ſe profitetur. Stylus longè abhorret à Stylo Gulielmi Aruerni, multis rationibus redundante, & ampulloſo.

H.

Suppoſitis S. Hieronymo lucubrationibus, Marianus Victorius, Tomum nonum Operum eiuſdem S. Patris impleuit. Neque adhuc perfecta cribratio videtur adhibita. Siquidem ſuperſunt in aliis voluminibus nonnulla eidem Patri abiudicanda, vt liquet ex iis, quæ à Cornelio Schultingio in præludiis ad Confeſſionem Hieronymianam proferuntur, in Criſi operum S. Hieronymi. 224

Commentarius in omnes Pſalmos, (quidquid Victorius, & Schultingius contendant), multa continet S. Hieronymo ſuppoſita, vt Canus, Lindanu, Hutterus, & alij pronciarunt.

Hieronymo item ſuppoſita eſt epiſtola *de ſcientia diuinæ legis*, quæ eſt ſceleſti Cœleſtij, ſocij Pelagij, vt notauit Ioannes Montinienſis præfatione ad Proſperum. Suppoſitam item S. Hieronymo eſſe epiſtolam 51. tomi noni, cenſuit

Victorius. Sed quæ opponi possunt, quo minùs ea epistola sit D. Hieronymi, debilia esse monstrat Baronius *in Notis ad Martyrol. 23 Septembris*, & Thomas Massutius *lib. 4. de vita S. Pauli cap. 9.*

225. S. Hilario suppositum esse *hymnum ad Apram*, (corruptè *Aspram*,) affirmat his verbis Georgius Fabricius *commentario ad Poëtas Christianos.* [Hilarij hymnos tres, inuenimus nos. Nam qui Aspræ sorori ipsius inscriptus est, nihil planè habet aut sanctitate, aut eruditione Hilarij dignum.] Verisimile est, hunc censorem, hymnum illum ne legisse quidem; sed in Erasmi sententiam iuisse pedibus. At Erasmus in editione operum S. Hilarij, epistolam adducturus cui hymnus ille subiunctus est, hoc adscripsit elogium. [Hæc epistola, merum est nugamentum, hominis otiosè indocti. Hymnus, eiusdem est farinæ. Sed benè habet, quod non plures nænias affinxerint S. Hilario.] Ad hymni verò òram hæc illiuit. [Hymnus epistolæ respondens; hoc est dignum patella operculum.] Hæsit in hoc Erasmi iudicio Fabricius. Et quia cœcus cœcum duxit, ambo in foueam ceciderunt. Dixi autem Fabricium non videri legisse hymnum S. Hilarij, non modò quia Aspram vocat, quæ ibi Apra nominatur; sed etiam, quia sororem S. Hilarij statuit, quam exploratum est, eius ex anteriore legitimo connubio, filiam fuisse. Item, quia despuit hymnum verè pium, verè S. Hilario dignum, quem ei adscribendum esse, habetur satis apertè ex Venantio Fortunato, *sub finem lib. 1. de vita S. Hilarij*, cùm de eius allocutione ad Apram filiam, pro sponso, cui eam bonus Pater desponderat. Itaque valeat cum suo Erasmo Fabricius, dignum patellâ operculum; vt hîc aptiùs vsurpem Erasmi verba. Non est in hymno, & epistola S. Hilarij, locus suppositioni inuehendæ.

226. Explicatio Psal. 127. quæ apud S. Hilarium legitur, Zenoni Veronensi ab aliis adscribitur.

Holkoto opellam *Pro insipiente*, quæ Sancti Anselmi opusculo contra insipientem annectitur, adscribit Franciscus Picus *theoremate 1. de fide.* Sed esse manifestam hallucinationem, dixi in Syntaxi operum S. Anselmi, cùm Autor illius opellæ, vixerit tempore S. Anselmi: at Holkot, ducentis minimùm annis S. Anselmum sit subsecutus.

227. Hugoni de S. Victore, suppositus est tractatus *de claustro animæ*, Hugonis de Folieto; cuius nomine, & seorsim editus habetur, & sæpè allegatur à Ioanne Nider *in opere de reformat. Religios.*

Hugoni de Balma Carthusiano, (quem alij *de Baldea*, alij *de Palma* nominant,) adscribit Theodorus Petreius *in Bibliotheca Carthusiana*, opus *de Mystica Theologia* adscriptum Gersoni, allegans Thomam Bosium *lib. 9. de signis cap. 12. sub finem.* Quanquam Bosius non tribuit Hugoni de Balma prædictum opus, sed tantùm ait, tribui vni Carthusiano. Verius tamen est, non esse hominis Carthusiani, nec Hugonis à Balma. Nam Autor profitetur se lectionibus publicis dedisse operam, quod in Carthusianum non quadrat. Adhæc initio tractatus *de elucidatione scholastica Mysticæ Theologiæ*, testatur, se duos tractatus de Mystica Theologia scripsisse, post alios eius argumenti tractatores, quos adducit, quibus non annumerat Hugonem de Balma, quamuis aliud eius opus de triplici via alleget. Si opus illud de Mystica Theologia esset Gersoni abiudicandum, & tribuendum alicui Carthusiano,

videretur

videretur potiùs tribuendum vni ex illis duobus Carthusianis, quos Carolus V I. Rex Francorum, comites addidit duobus Carthusianis Italis, à Bonifacio ad pacem Ecclesiæ componendam submissis, cùm Romam regrederentur. Nam Autor operis *de Mystica Theologia*, quod apud Gersonem legitur, Legatus Romam in ea causa fuit, vt ipse initio secundæ partis profitetur, affirmans se in reditu, cum Massiliæ expectaret pactorum conuentorum expletionem, vt tempus piè impenderet, in eam scriptionem incubuisse. Quæ posset esse coniectura ad abiudicandos Gersoni omnes illos tractatus *de Mystica Theologia*, cùm peregrinationis Romanæ, & legationis Gersonis ad schisma tollendum, non meminerint, qui Gersonis Acta descripserunt.

I.

S. Ildefonso supposita esse omnia opera, quæ circumferuntur illius nomine, dempto libro *de perpetua B. Mariæ virginitate*, multis prolatis coniecturis, contenditur *in Elucidario Deiparæ lib.4. tract.4. cap.6.* 228.

Ioanni Hierosolymitano suppositas voluit quas S.Cyrillo item Hierosolymitano abiudicauit Catecheses,sectarius nuperus Anglicanus;argumentum petens ex Bibliothecæ Augustanæ indiculo, in quo ait eas Catecheses inscribi Ioanni, ipsius Cyrilli immediato successori. Sed hoc est lubentem volentem errare. Nam antiquis omnibus extra dubium fuit, eas Catecheses opus esse S. Cyrilli. S. Damascenus *orat. 3. de imag.* locum citat ex *Catech.12.* sub nomine S. Cyrili. Similitérque Ioannes Cyparissioa,quædam ex *Catechesi 10.* tanquam S. Cyrilli, adducit. Item Theodoretus *dialog.2.* agens contra Eutychianos,inficiantes veram Christi in carne nostra resurrectionem, locum, ex his Catechesibus nomine Cyrilli Hierosolymitani adducit. Cùm è contrario, testimonia supperant S. Hieronymi *epistol. 61.* quæ est de Ioannis Hierosolymitani erroribus, necnon S. Epiphanij, quem idem B. Hieronymus *epist.60.* adducit, quibus habetur, Ioannem Hierosolymitanum non benè de nostrorum corporum resurrectione sensisse; sed Origeni, hac nominatim in parte, adhæsisse. At autor Catecheseon, de resurrectione corporum catholicissimè loquitur, exponens Symboli de ea articulum. Idem *Catech.6.* affirmat à Probi Imperio, & exortu Manichæorum, effluxisse septuagesimum annum, quæ periodus bellè cadit in ætatem S. Cyrilli; quem S. Hieronymus *lib. de scriptoribus, in Cyrillo*, testatur adhuc iuuenem eas Catecheses exarasse. Hæc argumenta præter S. Cyrilli pacificam ad hæc vsque tempora possessionem, omnino suadent,perperam hoc opus supponi Ioanni Hierosolymitano,pro quo vnica dumtaxat probatio militat, ducta ex Bibliotheca Augustana, vt initio memorauí. Sed est valde friuolum argumentum. In primis, quia nihil tale re vera habetur in ea Bibliotheca, quamuis apud Gesnerum legatur, quod hallucinationi causam præbuit: nempè quòd habeatur in Augustana Bibliotheca indiculus librorum, inter quos vnus referatur continere octodecim Carecheses illuminatorum, & quinque Mystagogicas, Ioanne Hierosolymitano Autore. Quid si verò amanuensis Indiculi scriptor, per oscitantiam *Ioannem* pro *Cyrillo* scripsit? Quid si reuera totidem quot sunt Cyrilli Catecheses, de iisdem argumentis à Ioanne sint exaratæ? Sicut totidem de iisdem argumentis homiliæ, aut sermones ad Populum leguntur apud autores varios. Causatur præterea

sectarius

sectarius, stylum quem negat redolere antiquitatem. At hoc æquè probaret catecheses Cyrillo attributas, non esse Ioannis Hierosolymitani, qui immediatè successit S.Cyrillo.Nec possunt attribui alteri Ioanni item Hierosolymitano Antistiti, qui librum scripsit *de institutione Monachorum*; siquidem in huius Ioannis ætatem non quadrat numerus septuagenarius annorum à Probi Imperio, & exortu Manichæorum. Fuit enim multo posterior, & Ioannem illum quadragesimum quartum, (melius fortassis quinquagesimum secundum,) S. Hieronymi æqualem, multò pòst est subsecutus. Itaque S. Cyrillus catheses quas hactenus tenuit, teneat, possessio valet.

229. Eidem Ioanni Hierosolymitano Episcopo quadragesimo quarto, suppositus est libet *de Institutione Monachi*, ad Caprasium. Pugnat latissimè pro eo libro adscribendo huic Ioanni Autor Paradisi Carmelitarum, & Michael Munos *lib.2. propugnac. Eliæ tit.2. cap.2. art.5.* quo non nemo refert quod Gennadius scripsit, exscripsítque Honorius Augustod. *cap.30. Catalogi*, scriptum scilicet ab hoc Ioanne esse librum *contra obtrectatores studij sui.* Id quippè dictum putant de laude religiosi instituti, quod inter Carmelitanos professus erat, in quorum laudes eo commentario effunditur. Mihi neque hic Ioannes æqualis S. Hieronymi, neque vllus Græcotum veterum, libri illius Autor videtur; stilus enim clamat, autorem esse Latinum, nec adeò antiquum, vt S. Hieronymi dici possit æqualis. Sed idem circa hunc librum de institutione Monachi, asserendum Ioanni Hierosolymitano Hieronymi æquali, apud scriptores Carmelitas obtigisse videtur, quod apud Augustinianos circa sermones in Eremo, quos vnanimiter FF. Eremitæ S. Augustino adscribunt, sicut vnanimiter FF. Carmelitæ tribuunt prædicto Ioanni, plaudente extra vtrorumque cœtum nemine. Qui eidem Ioanni Hierosolymitano adscribunt opus imperfectum in Matthæum Chrysostomo: consertum, non probant quod dicunt.

Ioannes Germanus, Episcopus Cabilonensis, Autor verus est *Mappæ sacræ*; quod opus per errorem adscriptum est Primo Episcopo Cabilonensi, cùm nullus vnquam fuerit illius nominis Cabilone Episcopus, vt videre est apud Robertum. Erroris occasio ducta est ex eo, quòd aliqui vnica *Litera I.* expressum reperissent, nomen huius Ioannis, quod transformarunt *in Primum*, sicut alij A, initiale nominis *Anselmus*, transformarunt in *Augustinum*, vel *Ambrosium*, vt suprà admonui.

Ioanni Charlierio, à patria cognomento *Gersoni*, suppositus est tractatus Bonifacij Ferrerij Carthusiani, Fratris S. Vincentij Ord. Prædicatorum, *Cur in Ordine Carthusiensi, pauci sint Sancti Canonizati*; & *Cur pauca referantur miracula Carthusianorum*; & *De Ordinis Carthusiensis approbatione*, quæ omnia ab eo, quem nominaui Ferrerio conscripta, Gersoni gratis sunt attributa; tantùm, quia aliæ quædam extabant Gersonis lucubrationes, spectantes ad Carthusianos. Vero autem parenti quem dixi, ea meritò adscribunt, Trithemius *lib. de scriptor. Eccles.* & Theodorus Petreius *in Bibliotheca Carthusiana*, vt notaui in Opere *de S. Brunone Stylita mystico.*

Eidem Ioanni Charlierio, cognomento *Gersoni*, suppositus aliquando est liber *de Imitatione Christi.* Supponendi causa fuisse videtur, quòd liber sit piissimus, & aliquando absque Autoris nomine emissus, vt etiamnum cernitur in

pleriſque

pleriſque manu exaratis Codicibus. Hoc conſpicatus quiſpiam ; vel bona fide, argumentatus à pietate per id opus inhalata quæ piiſſimum Autorem deceret ; vel ex oſcitantia, aut etiam ex malitia, vt liber prodiret vendibilior, illum Cancellario Pariſienſi adſcripſit, cuius doctrina & pietas, & copioſa ſcriptorum multitudo, omnium ſermonibus celebrabatur, & meritò quidem. Quod enim in Sanctorum Lugdunenſium Indiculo monſtrare memini, Gerſonis pietas atque doctrina, micant in eius ſcriptis inſigniter ; & in factis dum ſuperſtes eſſet, micuerunt omnino excellenter. Cæterùm, vt Gerſo operis *de Imitatione Chriſti*, Autor haberetur, nullum fuit idoneum fundamentum ; & omnes ferè circunſtantiæ aduerſantur. Ideóque è tot operum Gerſonis editionibus, alio licet aliquo extraneo opere infartis, nulla fuit quæ Gerſoni parenti, hunc librum inſcriberet.

Ioannes Geſſen, Ord. S. Benedicti, Autor libri de quo proximè, à non- 230.
nullis habetut. Primus hanc cogitationem immiſit aliquibus, Card. Bellarminus, annotata Epigraphe Codicis Aronenſis apud Inſubres, quæ libri autorem præferebat Ioannem Gerſen Abbatem, vtique Ordinis S. Benedicti, cuius ea domus Aronenſis fuerat, priuſquam Societati IESV tranſcriberetur. Mutauit poſtea mentem Bellarminus ; auditis quæ in contrarium poſtea protulerunt Henricus Sommalius, & Heribertus Roſvvedius. Sed ſtetit in ſententia ex Bellarmini ſuſpicione vel dubio concepta, Conſtantinus Caëtanus Benedictinus, homo adeò flagrantis zeli pro ſui Ordinis honore, vt omnia ad ipſum traheret ; nec ſcriptores tantùm, ſed etiam cœlites ipſos, vt SS. Franciſcum, Thomam Aquinatem, Ignatium Loyolam, & alios : ita vt Scipio Cobellutius Card. S. Suſannæ, genium hominis habens perſpectiſſimum, vereri ſe diceret, ne propediem, arte Caëtani, S. Petrus Apoſtolorum Princeps, inter Benedictinos numeraretur. Hic ergo Fabulinus, ſæpiſſimè vocans ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt ; &, (quod Leo Allatius, ipſo ſupeſtite ac Romæ præſente Caëtano, ſcriptis, ſecurus veritatis, commiſit atque vulgauit,) nemini de fingendi arte concedens, vndecunque amplificandæ Ordinis gloriæ, ſpes aliqua affulgeret ; Bellarmini ſuſpicionem primam, pro certa veritate arripiens, autorem libri *de Imitatione Chriſti*, eſſe Ioannem Gerſen Benedictinum, mordicus & præfractè aſſeuerauit, non parcens labori in conquirendis ſuffragationibus ; & quod audiente me, confirmabat Romæ Gabriel Naudæus, à Codicum quoque adulteratione, & eraſo *Thomæ*, ſubſtituto autem *Ioannis* nomine, petens ſubſidium. Eandem molem verſauit poſt Caëtanum, præter cæteros, vnus quidam adeò ſcabioſi ingenij homo, vt etiam Sanctos cœlites fidenter exaurorauerit ; alios Gallia vniuerſa proſcripſerit ; nec ita pridem, quadragintadialem à carnibus abſtinentiam, nouitium propè vſum, ab Epiſcopis è cœnobio aſſumptis in Eccleſiam inuectum, ignorante antiquitate appellans, exigere ex communi vſu fidelium ac in cœnobia retrudere, per cuniculos tentauerit. Hic ipſe, pro Ioanne Gerſon autore *libri de Imitatione Chriſti*, abacto Thoma de Kempis, cui ab aliis ſupponi expoſtulat, omnem lapidem mouit ; ſed adeò infeliciter, vt non poſſet infeliciùs ; præſertim cùm ab autoritate Nicolai de Clemengis, inſignis, (vt vult,) Scriptoris, per illud ipſum tempus quo Thomas viuebat, florentis, argumentum petit ; Nicolaus enim, vt iſte argumentatur, ſuo tempore Gallicana virorum cœnobia in Ganeas, Partheno-

nes in proſtibula fuiſſe transformata expoſtulat; cùm è contrario Autor operis *de imitatione Chriſti*, prouocet ad alacriter ſeruiendum Deo, & vitam religiosè componendam, exemplo Monachorum Carthuſianorum, & Ciſtercienſium, ac ſacrarum Virginum, quæ in ea ora, in qua ipſe degebat & ſcribebat, ſobriè ac iuſtè & piè famulabantur Domino. Subſumit inde patronus Gerſenis. Igitur autor operis *de imitatione Chriſti*, non ſcribebat in Belgio, vbi Thomas degebat, ſed in Italia, vbi vigebat regularis diſciplina: ac proinde libri illius Autor non fuit Thomas de Kempis, ſed Ioannes Gerſen. Hæc ratiocinatio mouet commiſerationem. Nam quæ Nicolaus de Clemengis, per auxeſim non ferendam, in ſuis illorum ſcriptorum ſenticetis, de Gallicanis Monachis & Monialibus dixit, non fuerunt extendenda ad prouincias inferioris Germaniæ, quas Thomas incolebat, in quibus tunc non minùs vigebat Regularis diſciplina omnino multis locis, quàm in Italia, aut alibi vſpiam. Vt proinde Autor libri de quo agitur, potuerit prouocare ad exemplum illorum Monachorum & Monialium imitatione exprimendum. Ineptire videbor iſta vel nudè referens, nedum refellens. Sed quia patronus Gerſenis hoc argumentum iactat vt palmare, attingendum ſaltem fuit, vt non lateret æquos æſtimatores, quibus argumentorum furfuribus, hic inſulſus Gerſenis fautor, Thomam de poſſeſſione antiqua tentet deiicere.

Has igitur gerras non perſequor accuratiùs, nec in calamum quaſſatum connitor validiùs. Sed vno verbo dico, perperam opus *de imitatione Chriſti* ſupponi Ioanni Gerſen, quiſquis ille demum fuerit, de quo altercari non vacat; ſed omnino opus illud autorem habere *Thomam Hemerchenum*, à patria dictum *de Kempis*, dicendum potiùs *de Campis*, vt monuit ciuis eius Theodorus Petreius *in Notis ad vitam S. Brunonis*, Chronico Carthuſienſi inſertam §. 7. Eſſe Thomam, operis huius verum parentem, optimè probarunt Sommalius, Roſvvedius, atque Heſerus in Dioptra Kempenſi, & in Proloquio longiuſculo ad hoc opus, & ad nuper refoſſum perantiquum Thomæ operum Indicem. Hi aliíque non pauci, antiquam Thomæ poſſeſſionem adductis tot teſtimoniis eiuſdem cum Thoma æui Autorum; prolata tot incorruptorum veterum codicum fide, & tam multiplici alio argumento firmarunt; cauillos verò quibus Thomæ ius impetebatur, adeò validè retuderunt, vt quæ mihi pridem in hanc rem apparaueram, lubens volens abiecerim, ne actum agerem; & regeſta crambe recocta, faſtidium lectori ingenerarem. Illud duntaxat obiter moneo, non qui à Caëtani ineptiis hac in parte abhorrent, de Ordinis S. Benedicti ſplendore quicquam minuere. Ordo quippè per ſe in omni genere illuſtriſſimus, non poſtulat emendicatam lucem, & qui ſuis ornamentis exquiſitè nitet, non eget furtiuis decoribus, quæ potiùs ad effundendam contemptionem faciunt, cùm ſcriptio reuincitur aliena eſſe, & abſque fundamento arrogata, vt hîc ſanè reuincitur.

231. S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, paſſim ſupponuntur commentarij in quatuor libros Regum, quos vera ſententia eſt, conſcriptos eſſe ab Iſidoro illo ſeniore, item in Hiſpania Epiſcopo, ſiue Cordubenſi, ſiue Pacenſi, nec deſunt etiam qui Cæſarauguſtanum ſtatuant.

Iuliano Pomerio, ſuppoſitum eſt opus *contra Iudæos*, quod eſſe à Iuliano Toletano conſcriptum, conſtat ex eo quòd autor *in fine*, notat ſe ſcribere annis à Chriſto ſexcentis octoginta ſex; quam ætatem Iulianus Pomerius annis circiter ducentis anteceſſit. Videſis Baronium *in notis ad 8. Martij in Rom. Martyr.*

Iuliano

Iuliano Pelagiano, librum *de bono viduitatis*, qui inter D. Augustini opera legitur, supponit Cardinalis Hosius *in confessione fidei cap.56.* & eum librum non esse D. Augustini, contendit Erasmus, annuitque Ioannes Copetius *lib. de perpetua castitate Sacerdotum, cap.24. pag. mihi* 119. cuius argumentum est, quòd libri autor improbet nuptias votarum mulierum, quibus nuptiis indubitatus Augustinus subscribit. Verùm liber ille non potest D. Augustino abiudicari, & supponi Iuliano, cùm à Possidio recenseatur inter genuina D. Augustini opera, & sub eius nomine aliquoties à Beda allegetur. Nec si improbat vt illicita, earum coniugia, quæ simplici voto castitatem vouerant, contrarius est iis, quæ alibi tradit circa validitatem eorumdem coniugiorum, prius quàm appositò per Ecclesiam impedimento dirimente irritarentur. Quod autem Fernandus Mendoça *lib.2.pro Concil. Eliber. cap.24.* contendit, eo libro D. Augustinum concedere viduarum continentium coniugia, quia non agit de viduis continentiam ex voto professis, ægrè defendi potest; & frustrà id adduci, cùm aliis locis D. Augustinus clarè agat de iis, quæ votum emiserunt, monstratum est in tractatione *de Apostatis cap.3.*

Iunilio Africano perperam suppositus est liber *in Hexaëmeron*, qui indubiè est venerabilis Bedæ, vt rectè vidit Benedictus Pererius *lib.1. in Genes. ad cap.1. v.1. num.49.* Non esse sanè Iunilij, liquet, quia in eo libro allegatur S. Gregorius, qui fuit Iunilio posterior. 232.

S. Iustini esse non possunt *qq. ad Orthodoxos*, cum autor *q.115.* citet S. Irenæum, qui Iustino posterior fuit; eúmque allegat ipse S. Irenæus *lib.5.c.27.* Idem autor quæstionum, in 82. citat Origenem, Irenæo quoque posteriorem. Notauit id *Couar.4. variar. cap.19. num.6.* Itaque liber ille S. Iustino est suppositus. Epistolam ad Zenum & Serenam, probabile est S. Iustino Philosopho esse suppositam: reuera autem spectare ad S. Iustinum Abbatem Hierosolymitanum, cuius est mentio in Actis S. Anastasij Persæ.

Quid autem Martino Polono facias, qui ad annum 1. Antonini Pij, S. Iustino Martyri suppositit abbreuiationem Trogi Pompeij? Impegit ea in parte Martinus, quia non discreuit, sed in vnum confudit duos Iustinos; quos admitto eadem ætate vixisse, vt notauit Vasæus *in chron. Hispan. anno Christi* 140. Fuere tamen quo ad omnes alias circumstantias, satis diiuncti. Itaque perperam *Epitome Trogi*, S. Iustino Martyri adscribitur.

L.

Lactantio, suppositum *est carmen de Phœnice*, quod Iacobus Sirmondus Theodulfo Aurelianensi adscribit, ad librum 5. carminum eius. At Ethnici hominis esse notauit Thomasius ad Lactantium, & subscribit Iacobus Pamelius *ad lib. de resurrect. carnis*, Tertulliani *cap.13. num.105.* Carmẽ item *de resurrectione Domini*, non esse Lactantij, sed Fortunati, monuit Giselinus *ad carmen* 8. *Prudentij*, περιστεφάνων. Eidem Lactantio à nonnullis absurdissimè suppositus est Luctatij commentarius *in Statium.* Atqui Lactantius seculo Constantini vixit, vt notum est. In eo autem Commentario Boëtius, Seduliusque allegantur. Videsis hoc commentum explodentem, Lilium Gyraldum *dialog.5. suæ Poëtarum historiæ*, & Tiliobrogam *præfatione ad Statium.* 233.

234. S. Leoni suppositas esse epistolas quæ nomiue eius circumferuntur contra Eutychen,& esse Prosperi Aquitanici,quidã dixerunt.A Prospero certè,esse dictatas,ait Marcellinus *in Chronico*.Sed nõ res modò, (de quo vix dubitare licet,) sed stylum quoque & scriptionem, esse S. Leonis , certum videtur ; collatione facta earum epistolarum,& aliorum indubitatorum S. Leonis operum, vt proinde nulla hîc suppositio locum habeat.

Sancto tamen Leoni , suppositos esse aliquos sermones , & vicissim aliquos eius sermones, aliis suppositos fuisse, dubitare non licet. Certè sermo de Absalone,qui antehac in variis codicibus S. Leonis nomine legebatur, & in Manuscriptis Vaticanis, ac Mediceæ Bibliothecæ,ei adscribebatur,ab aliis attribuitur S.Augustino;cùm tamen neutrius sit,sed S.Chrysostomi,apud quem extat Græcè & Latinè. Sermo autem octauus S. Leonis *de Epiphania* , legitur apud Augustinum inter sermones *de tempore* ; éstque *num.*33.& qui ibi est *num.*63.legitur apud S. Leonem *titulo serm.*5. *de Quadragesima*. Vterque autem est germanus fœtus S. Leonis, perperam suppositus D. Augustino.

M.

235. Mariæ Deiparæ epistola ad S. Ignatium,supposititia iure censetur à Mestræo, præfatione ad S. Ignatij epistolas,cui præiuit Cardinalis Baronius anno Christi 48. Tametsi S. Bernardus *concione 7. in Psal.*90. eatenus insinuare videtur eam epistolam esse genuinum Deiparæ partum , quatenus S. Ignatij ad Deiparam epistolas , ad quas respondet Deipara , verè esse S. Ignatij pronunciat. Et eam illam, quæ Deiparæ adscribitur, epistolam, quàm Ignatianas,rectè & Deiparæ, & Ignatio tribui , contendit Melchior Incofer *lib. pro epistola Deiparæ ad Messanenses c.*25.Verùm omnes antiquiores, tantas diuitias ignorarunt,& eam Mariam Christiferam , ad quam est S. Ignatij epistola , à S. Bernardo memorata, non posse esse sanctissimam Deiparam , clamat titulus, siue inscriptio epistolæ. Vocat enim eam S. Ignatius *filiam:* quod non puto ausurum, si ad Dei matrem scripsisset. Qui tamen eam epistolam S. Ignatio vendicant , quod non carere probabilitate pronunciat Petrus d'Alloix *in Apologia pro S. Ignatij epistolis, sub finem,* eam *filiæ* denominationem in epistolæ titulo, non agnoscunt. Epistolam tamen ad Mariam Cassoboliten , esse S. Ignatij fœtum genuinum , extra controuersiam pono, quicquid contrarium , pauci quidam Sectarij effutiuerint.

236. Metaphrasti multa supposita sunt, quæ aliorum,& quidem posteriorum Autorum fuere,vt notauit Card. Baronius anno 859.& Gretserus *lib. de imaginibus non manufactis cap.*19. Vbi de Metaphraste pluscula aduersùs spurcos sectarios , qui virum magnum , in Ludimagistrum triobolarem transformarunt, & *Metaphrastem* dictum voluere , quia conscripsit Sanctorum vitas ; ridiculi æquè ac ignari. Vtrumque enim hoc cognomen,*Metaphrastæ*,& *Magistri*,quod huic Autori adhæsit, aliunde appositum est, quàm hi parum accurati Doctores sunt arbitrati. *Metaphrastes* quidem est appellatus,non quia scripsit Sanctorum vitas , quas ipsi ignoranter vocant *Metaphrastas* , sed quia cùm *Metaphrastes* propriè is dicatur, qui ex vno idiomate in aliud , aliquid vertit, aut qui seruato eodem idiomate ; nouum colorem inducit orationi , exornans scilicet , expoliens, addenda attexens,vel detrahens detrahenda,iste in vitas Sanctorum,hanc

vniuersam

vniuersam contulit operam. Hoc autem præstitit hic Autor circa Sanctorum acta, quæ sua & adhibitorũ ad id multorum librariorum, Scribarum, Interpretum, Notatiorũ opera, grãdibus expẽsis in eam rẽ factis, partim è peregrino idiomate traducta, partim expolita, & concinnata, publico dedit, Michaele Pſello teſte, qui de magni huius viri inſigni hac ex parte in rem Chriſtianam ſtudio, copioſè diſſeruit, eo encomio quod illi panxit, quiſquis demum fuerit Michael iſte Metaphraſtis laudator, de quo non liquet inter recentiores. Nomen verò, ſeu potiùs agnomen *Magiſtri*, retulit hic autor, ex munere Magiſtri officiorum, quod in aula Conſtantinopolitana geſſit. Quod enim Pſellus in Encomio eius tradit, homo Illuſtri familia natus, & abundans opibus, primùm quidem Imperatori fuit à Secretis & Conſiliis intimis. Tum illud quoque munus longè ampliſſimum obiit, cuius eſt referre ad Imperatorem externorum poſtulata, & viciſſim reſponſa Imperatoris ac iuſſa: tantóque ſplendore refulſit, vt non Conſtantinopolim duntaxat, viciniámque, ſed Orbem etiam vniuerſum illuſtrauerit. Ex quo vides, quàm imperitè ſectarij eximium hunc virum, in Ludimagiſtrum vulgarem transformarint.

Ex titulo portò *Magiſtri*, erui videtur, Collectanea illa orationum de variis argumentis moralibus, ex Baſilij operibus hinc inde libata, & nomine Simeonis Magiſtri edita, ad hunc Simeonem eſſe referenda. Erat Simeon, vir valdè pius, & ſanctus, eóque nomine non ſemel celebratur in Concilio Florentino, cùm Græcis, tum Latinis allegantibus, vt videre eſt *ſeſſ.* 7. & in Gennadij diſputatione pro eodem Concilio, necnon apud Beſſarionem, & Ioſephum Methonenſem. Noſtra tamen nunc non refert, eius decora ſtabilire, ſed quæ ei ſuppoſita ſunt veſtigare; qualia dixi complura eſſe poſt eum addita. Nec ea ipſa quæ edidit ſuperſtes, magnam partem, ſunt eius fœtus, quicquid multi ſint arbitrati, ſupponentes ei tanquam Autori omnia nomine eius vulgata. Maxima enim pars eum non agnoſcit Autorem, ſed collectorem duntaxat, vel concinnatorem, per ſe, aut eos quos adhibebat. Gretſerus *cap. illo* 19. adſcribit Metaphraſti, orationes triginta tres de moribus Chriſtianis, atque Monaſticis à Iacobo Pontano latinè factas, cenſétque eundem eſſe Metaphraſtem cum Simeone cognomento *Theologo iuniore*, ad differentiam antiqui inter Græcos Theologi, nimirum Nazianzeni. Sed cùm hic Simeon iunior, eſſet Abbas S. Mamantis, ad Xylocercum; Metaphraſtis autem Monachiſmus non Pſellum modò, ſed & omnes antiquos latuerit, veriſimilius eſt ſupponi Metaphraſti eas lucubrationes abſque idonea cauſa. 237.

N.

Nazianzeno ſuppoſita eſt à nonnullis *Metaphraſis in Eccleſiaſten.* quæ cauſa fuit cur à Billio, Naziazeni operibus intexeretur, quòd Naziazeno inſcriptam reperiſſet in Regia Bibliotheca. Vix tamen neceſſe eſt admonere, eam Metaphraſim malè ſupponi Naziazeno, cùm ſit manifeſtiſſimum eſſe S. Gregorij Neocæſarienſis, vt benè notauit Aymo *lib.* 7. *de Chriſtianarum rerum memor. cap.* 8. & diſertè S. Hieronymus tractans illud Eccleſiaſtis 4. *Melior eſt puer pauper.* citat enim nominatim S. Gregorium Neocæſarienſem, tanquam huius Metaphraſis germanum patrem. De hallucinatione illius, qui agens de Patribus 238.

qui in Ecclesiasten scripserunt, distraxit Gregorium Neocæsariensem à Gregorio Thaumaturgo, numerans eos tanquam diuersos Ecclesiastis Interpretes, videndus Pineda *in Prolegomenis ad Ecclesiasten.*

239. Nemesio Episcopo Emeseno, suppositum esse librum *de homine*, qui verè sit Nysseni, contendit Pamelius ad librum Tertulliani *de anima, cap. 5. num. 60.* qui ex eo argumentatur, quòd Trithemius eum librum S. Gregorio Nysseno adscribat, se quoque eum librum, titulo D. Gregorij Nysseni, multis in locis reperisse confirmat. Et à S. Thoma allegari ait, nomine eiusdem Nysseni, necnon ab Alberto Magno in libris *de mirabili scientia Dei, & de homine.* Addit, multa ad verbum ex hoc opere desumpsisse S. Basilium *in Hexaëmero*, necnon Eliam Cretensem, ac Ioannem Damascenum. Verùm hæc postrema argumentatio, est admodùm imbecilla; facilè enim responderi posset, non tam ex hac lucubratione profecisse S. Basilium, quàm eius Autorem profecisse ex S. Basilio. Durius est quod alij opponunt, hoc opus redolere Pelagianismum, & tradere errorem Origenis circa præexistentiam animarum ante corpora, quæ omnia à S. Gregorio Nysseno, scriptore Catholicissimo, abhorrent. Quanquam Pelagianismus Autori huius operis impactus, haud ægrè depelli potest. Non enim, si ait, in nostra libertate positam esse beatitudinem nostram, (quod item asserebat Pelagius,) censendus est eodem spiritu cum Pelagio locutus, quippè qui censeri potest non exclusisse gratiam præuenientem; qua ratione varia loca S. Chrysostomi, & aliorum multorum Patrum, similiter locutorum, purgantur ab errore. Nec aliter de antiquis plerisque Patribus, Petrus Lansselius *in dispunctione calumn. Casauboni ad Iustinum, cap.* 1. Præexistentiam verò animarum, in hoc opere ab Autore traditam, si nulla alia excusatio suppetat, eodem modo purgare licebit, quo S. Germanus Constantinopolitanus *codice apud Phosium* 233. immunem hunc ipsum S. Gregorium præstitit, ab alio Origenis errore, ipsi perperam impacto, ob interpositas ab Origenistis adulterationes, atque mixturas. Itaque coniecturæ Pamelij, de suppositione libri S. Gregorij Nysseni facta Nemesio, tametsi non sunt vsquequaque inuerisimiles, mihi tamen non arrident. Et video Mosem Barcepham *parte* 1. *operis de Paradiso cap.* 20. hunc librum Nemesio adscribere, suffragantibus variis antiquis Codicibus, ac *Mercuriali* 4. *var. cap.*4. qui Nemesium vixisse notat imperantibus Gratiano & Theodosio, & SS. Basilij ac Nysseni fuisse æqualem.

240. Nicolao Cabæsilæ adscribitur à nonnullis *Oratio in Trinitatem Theologorum*, quæ verè est Philothei Patriarchæ Constantinopolitani, eiúsque nomine nuper, Græcè ac Latinè vulgata est.

O.

S. Odoni suppositus perperam est sermo *de Cathedra S. Petri*, qui ferè totus legitur apud S. Leonem *serm.* 3. *in anniuersario suæ assumptionis*, addita sub finem plagula ex *sermone* 1. eiusdem S. Leonis in natali SS. Petri & Pauli. Vix vna, & altera periodus, sub sermonis medium, assuta est ab eo, qui alienum hunc fœtum S. Odoni supposuit; nempe ab illis verbis, *O inæstimabilis, & immensa*, vsque ad illud, *existimaret ascensum.* quem non esse purpuræ clauum mastrucæ inoculandæ, prudens Lector facilè deprehendet, sed viceuersa.

Origeni

Origenis ſuppoſiti ſunt *commentarij in Iobum*, ſiue, libri illi, quos Perionius edidit, ſiue alij, qui anteriùs prodierunt; in vtriſque enim citatur S. Lucianus, qui longè poſterior fuit Origene, vt benè monuit Baronius *anno* 311. & notatio nominis *Luciani* à luce *ibidem* tradita, monſtrat Latinum, non Græcum autorem. 241.

Homiliæ in Ioannem, non poſſunt eſſe Origenis, cùm in eis mentio fiat Arianorum & Manichæorum, quos conſtat poſt Origenem eſſe exortos.

Commentarij in Cantica, quorum initium eſt, *Epithalamium libellus*, non poſſunt eſſe Origenis, ſed ſunt Latini autoris, qualem ſe autor ipſe bis profitetur, agens de Logica in Philoſophiæ diuiſione.

Ogerij Abbatis Cucedij Ordinis Ciſtercienſis ſermones *de Cœna Domini* abſurdè ſuppoſiti B. Bernardo, leguntur in MS. Codice, qui eſt in Bibliotheca Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, titulo ipſius Ogerij, vnâ cum eiuſdem Ogerij tractatu *de laudibus Deiparæ*. Habuerat eum MS. Codicem, ex Ciſtercienſi oræ Saluciarum Abbatia, cui nomen *Stafarda*, Carolus Emmanuel magnanimorum Principum idea. Codicem notauit, nauus genuinorum S. Bernardi operum à ſpuriis diſcretor R. P. Ioannes Bona, Ordinis Ciſtercienſis, ſtrictioris inſtituti, cui pro cribratione illa totius furfuris, S. Bernardi farinæ oſcitanter antehac inſperſi, quam molitur, qui S. Bernardum amant, (& amare debent omnes,) obſtrictos ſe ac obæratos agnoſcent. 242.

P.

Paſchaſio Rathberto, perperam ſuppoſitus eſt liber *de vita S. Adelhardi Abbatis*; vt perſpicuè iutelligitur ex præfatione libro præfixa ab ipſomet Autore, qui Paſchaſium veluti Sanctum celebrat, & eius reliquias Corbeiæ aſſeruari teſtatur. Accedit ſtyli à Paſchaſiano diuerſitas, obſeruata in notatione adiuncta Molano *in natalibus SS. Belgij*, 2. *Ianuarij*. 243.

Paſchali Papæ ſuppoſitus eſt liber Guidonis Aretini, quem Bernoldus *tract. de ſacramentis excommunicatorum*, vocat Muſicum Widonem. Eo tractatu tradebatur, Simoniacorum Sacramenta nulla eſſe declaranda. Quod tantum abeſt vt Paſchalis Papa tradiderit, vt potiùs fortiſſimè ſtetetit pro contraria ſententia: quam etiam à Petro Damiani eius æquali, explicatè eſſe confirmatam in libro cui nomen *Gratiſſimus*, rectè admonuit Bernoldus. Itaque perperam ea ſcriptio Paſchali Papæ eſt ſuppoſita.

Paulino Aquileienſi ſuppoſiti ſunt ſeptem libri contra Felicem Vrgelitanum, quos reuera eſſe Alcuini, probatior eſt ſententia.

Petro Bleſenſi, ſuppoſitus videtur liber *de Amicitia*, qui item apud Caſſiodorum legitur; conferendus cum eiuſdem argumenti libro, nomine Aëlredi Ciſtercienſis edito, *tomo* 13. *bibl. Colon.* 244.

Petro Damiani ſuppoſitus eſt ſermo *de S. Martino*, qui manifeſtè eſt hominis Galli; ait enim, *prouidit Deus Regibus & Regno noſtro Martinum*. Ex duplici ſententia, Tullij, (vt vocat,) ſuorum temporum, quam Autor eo ſermone *pag.* 282. *col.* 2. *ad finem*, & *pag.* 283. *col.* 1. *ad finem* profert, conſtare poterit de æuo illius, Tullius quippe ille, eſt Fulbertus Carrotenſis, qui floruit ſub ſeculi

seculi vndecimi initium, & obiit anno 1028. cùm Petrus Damiani sub annum 1050. florere cœperit.

Sermo *de Riuis fluminis*, in vigil. Natiu. est item manifestè Petro Damiani suppositus, verèque est D. Bernardi, & apud eum habetur inter sermones additos *pag.* 1270.

Ibidem consequenter, habetur sermo *de S. Stephano*, qui est apud eundem Petrum Damiani.

Sermo 2. Petri Dam. *de S. Andrea*, est apud Bernardum, tertius in eodem festo.

Sermo item Petri Damiani *de S. Nicolao*, est apud S. Bernardum.

245. S. Petronio Episcopo Bononiensi, viro sanctissimo, cui insigne elogium panxit S. Eucherius in elegantissima ad Valerianum paræneſi, suppositum est *Satyricon* spurcissimi inter scriptores *Petronij Arbitri*. Ita suppositit Vincentius Bellouacensis *lib.* 20. *spec. histor.* (*aliàs* 21.) *cap.* 25. qui induxit in errorem S. Antoninum *in summa histor.* Dolet id vtrique excidisse, M. Antonius Delrio ad Medæam Senecæ *act.* 1. *v.* 14. Reuera enim siue ætatem vtriusque scriptoris, siue vitæ institutum, & mores spectes, non magis conueniunt Petronius Satyrici Autor, & Petronius Bononiensis, quàm nox & dies. Vixit Petronius prior sub Nerone, cuius turpitudines ab hoc Petronio notatas volunt, sed profectò, monstrosè turpi scriptione. Petronius verò Bononiensis, multis seculis fuit posterior; vixit enim temporibus S. Eucherij Lugdunensis, sub annum Christi 440. Videndus Baronius *ad Rom. Martyrol.* 4. *Octobris*. Nitor autem vitæ S Petronij, satis superque monstrat, quàm à spurciloquio prioris Petronij, abfuerit. Nam vitæ speculum, (de S. Paulini sententia,) est locutio, siue prolata, siue commissa literis.

Prospero Aquitanico suppositi sunt libri *de vita contemplatiua*, quos esse Iuliani Pomœrij, habetur ex Isidoro *lib. de scriptoribus cap.* 12. Videsis Iacobum Sirmondum *in Notis ad Concilium Aquisgran. tom.* 2. *Concil. Galliæ pag.* 683.

R.

246. Rabano Mauro suppositа est in editione nupera Colonienſi, *expositio in Regulam S. Benedicti*. An ex fide veterum codicum, me latet; nullus tamen proditur. Et è contrario, benè multi, qui operum Rabani Indices texuerunt, & referuntur in fronte tomi primi eiusdem Rabani, nullum agnoscunt Commentarium Rabani in Regulam S. Benedicti. Disertè verò Aimonnius serm. *de S. Benedicto*, expositionem, quæ recèns tribuitur Rabano, ait esse Smaragdi, verbis illis; [Smaragdus quoque, expositionem in ipsius regulam commentatus, hos præmisit versiculos,

[*Quisquis ad æternum mauult concedere regnum.*]

Quod est initium carminis præfixi huic expositioni recèns Rabano suppositæ. Interuenit & alia circa eam expositionem suppositio, de qua infrà in *verb. Smaragdus*.

Raymundo Lullo seniori, apud Maioricenses Sanctimoniæ laude claro,

suppo

suppositi sunt quidam reprobi, alterius Raymundi Lulli sexaginta circiter annis posterioris, dicti Raymundi Lulli *de Tarraga*. Alij vocant Raymundum Lullum *Neophytum*, eo quòd è Iudæo conuersus esset ad fidem Christi. Postea autem in Ordinem Prædicatorum cooptatus, errores de quibus pridem insimulatus erat, non abiecit. Itaque iussu Gregorij XI. anno Christi 1372. examinatus, & grauium errorum compertus, damnationi patuit, & libri eius igne sunt combusti. Secernit hos duos Raymundos Lullos, Franciscus Penna *in Notis ad Directorium Eymerici, parte 2. ad quæst.20. & 27.* Quare absurdè Abrahamus Bzouius ad Christi annum 1372. in Lullum apud Maioricenses sanctitatis gloria clarum, conclamat, tribuens illi errores ac libros Raymundi Lulli Neophyti. Quos inter libros, ille passim tribuitur Lullo seniori, qui inscribitur, *de Inuocatione Dæmonum*; cùm tamen, vt Eymericus ipse tradit, sit Lulli iunioris. Et certum est, Eymericum non esse abblauditum seniori Lullo, quem grauauit variis, (vt alij contendunt,) falsis notis. Videndus Vasquez *1. p. d.133. cap.4.* Dermicius Thadæus *in Nitela Franciscanorum*, circa annum 1372. & Lucas Wadinghus *ad annum* 1315. Hæc in præsentia dimitto, contentus notasse, plerosque doctrinæ reprobæ libros, videri suppositos Lullo seniori, æquè ac constat suppositum ei esse nefarium illum librum *de Inuocatione Dæmonum*.

Raymundi Iordani cognomento *Idiotæ*, Oculus mysticus, Scriptori Franciscano suppositus in Bibliotheca Francisco, me, (vt volunt,) manus dante quamuis nihil tale cogitauerim; eidem Iordani, Canonico Regulari, plenè asseritur, in mox proditura omnium eius operum aduuatione; quam in se recepit, sacri cœtus Canonicorum Regularium Assistens sapientissimus & eo loco dignissimus P. Boulartius; meritò indignum ratus, tantum sui Ordinis lumen, diutiùs latere sub modio; & humilitatem præ qua vir doctissimus se *Idiotam* dixit, tandiu cum ingenti Reipublicæ Christianæ dispendio, fraudi esse scriptori optimo, & luce dignissimo: de quo iure dixeris, quod de S. Ephremo eiusdem genij autore, Photius, mirum esse quanta vis spiritus lateat in tanta humilitate sermonis, & quantam sapientiam, sordidum hoc pallium simplicitatis verborum, vilia omnia præferentium occulat.

S. Remigio Remensi supposuit Villalpandus *commentaries in epistolas Pauli.* 247.
qui verè sunt vel S. Remigij Lugdunensis Episcopi, vt dicere memini in indiculo auctiore, vel certè Haymonis Alberstadiensis, cuius nomine, & in antiqua Corbeiensi Bibliotheca manuscripti extant hi commentarij, & iam pridem quoque, anno scilicet 1550. prodiere Parisiis: Et apud Trithemium inter Haymonis lucubrationes recensentur. Non posse certè tribui S. Remigio, inde perspicuum est, quod *in cap.3. ad Philipp.* Autor huius commentarij, alleget Bedam, addito *Beati* prænomine. At Bedam esse S. Remigio Remensi Antistite posteriorem, nemo ignorat. Nec causari licet errorem librarij; quasi locus allegetur tanquam ex B. Beda, cùm allegari oportuerit B. Benedictum, quæ est Villalpandi coniectura, eo quòd locus ille, (vt ait,) apud Bedam non compareat. Sed multo minùs comparet apud B. Benedictum, è quo reuerà depromptus non est locus ille, sed ex Beda *quæst.5.* ex variis. Æquè Bedam allegat Autor *2. Corinth.11.* & locus apud Bedam extat citato opere *quæst.2.* Citatur quoque ab Autore commentarij *ad Rom.8.* ac *1. Timoth.2.* S. Gregorius

Papa, posterior S. Remigio. Fuit quoque post S. Remigium Cæsarius Arelatensis; vt ex subductione annorum S. Remigij apud Flodoardum *lib.2. histor. Rem. cap.1.* & annorum S. Cæsarij ex Cæsarij vitæ scriptore Cypriano, perspicuum est. Et tamen ea ipsa Acta per Cyprianum conscripta, allegantur ab Autore commentarij 1. *Cor.*14. Quare quod in Basilica S. Mariæ ad Martyres, extet Codex MS. in quo titulus præfert horum commentariorum Autorem S. Remigium, hallucinatio fuit librarij, quæ non vendicat hos commentarios S. Remigio Remensi, nec abiudicat Haymoni, cuius stylum redolent. Nam si commentarij isti in Paulum, cum indubitatis Haymonis lucubrationibus conferantur, præsertim cum commentario in Isaiam, non est gutta guttæ similior. In MS. Codice Cassinensi, Autor his commentariis præscribitur Remigius, & Raimo Episcopus, manifesto indicio deprauationis nominis *Haymonis*. Si tamen alicui Remigio tribuendi essent, abiudicati Haymoni, non Remensi Remigio, vt volebat Villalpandus, ex deprauato titulo, nec Remigio Antissiodorensi, vt censuit Senensis *lib.4. Bibliothecæ*, sed alteri Remigio, nempe Lugdunensi aptiùs adscriberentur, ob ea, quæ in indiculo auctiore SS. Lugdunensium diximus.

248. Ruffino aliqui suppossuere librum *de singularitate clericorum*, quem alij S. Cypriano, alij Origeni, adscripserunt; &c. Verisimilius est nullius eorum esse, nam stylus est hominis Latini: atque adeò non est Origenis, cuius etiam nullo modo redolet geniun allegoricum. Sancto autem Cypriano rectè abiudicatus est à Pamelio; nec ei re vera quadrat, vt neque Ruffino. Est autem epistola prolixa alicuius Episcopi dehortantis suos Clericos à conturbernio fœminarum, de quo argumento S. Chrysostomi lucubrationes habemus duas. Quòd dico esse epistolam Episcopi, patet ex principio libelli, vbi sic legitur. *Licet hæc admonitio, sola litterarum mearum autoritate sufficeret*; & sub finem. *Vos autem filij charissimi, non tantùm persuasione, sed potestate conuenio.* Quæ hominis cum Clericis agentis, personam priuatam non sapiunt, sed Antistitis, siue Episcopi, cuiusmodi neque Origenes, neque Ruffinus fuit.

Ruffino item suppositus est commentarius in Psalmos quinque ac septuaginta; cùm tamen, vt Lorinus præfatione in Psalmos cap.16. rectè vidit, vsurpatæ ab hoc Autore D. Augustini, & D. Gregorij sententiæ iisdem planè verbis, & altum veterum omnium Gennadij, Honorij, Trithemij, de hoc Ruffini fœtu silentium, non obscurè demonstrent, Ruffinum commentarij prædicti parentem, alium esse ab Aquileiensi. De commentario eidem adscripto in Oseam, Ioël, & Amos, idem suspicatus est Ribera in *cap.2. Oseæ num.*78. Et potest argumentum duci ex elegantia & concinnitate quæ in his commentariis effloresçit, cùm tamen Ruffinum antagonistem suum optimus censor S. Hieronymus in Apologia, impolitum & penè barbarum vixque constantis Grammaticæ, Magistri adhuc ferulæ subdendum pronuntiarit. Quo argumento, (si approbetur,) abroganda item erit Ruffino Aquileiensi explicatio Symboli Apostolorum, quæ sua concinnitate & elegantia se commendat. Itaque hoc argumentum ad deiiciendum possessione commentariorum illorum Ruffinum Aquileiensem, fortassis non est adeò validum. Nam eam Symboli explicationem plerique omnes tanquam Ruffini Aquileiensis agnoscunt, Gennadius in

catalogo,

catalogo Vincentius Bellouacensis, Antoninus, Trithemius atque Pamelius, qui à S. Cypriani genuinis operibus,& Marianus qui à probatis S. Hieronymi scriptionibus opus illud secernentes, adscribunt Ruffino Aquileiensi. Quod autem fortiùs vrget ad Propheticos illos commentarios, Ruffino Aquileiensi abrogandos, esse potest quod in præfatione, & postea in operis corpore S. Hieronymum carpat, quod friuolis Origenis allegoriis in Prophetarum expositione insistat. At hoc non videretur facturus Ruffinus Aquileiensis, indefessus Origenis decorum buccinator.

S.

Salomoni suppositos esse libros magicos, qui eius nomine prænotantur, dico in opere *de caluinia sect.2. cap.13.* dissolutis iis, quæ Pineda, & alij proferunt, vt Salomonem panurgicæ Magicæ dedisse operam, doceant. 249.

Sergio Constantinopolitano adscripta est Synodica ad Honorium Papam, quæ verè est Sophronij Hierosolymitani, vt ex variis coniecturis benè confirmat Turrianus *lib.1. contra Sadeelem, de Ecclesia, & eius Pastore cap.10.* addens, ab eo ipso, qui epistolam Sergio suppossuit, nomen Romani Pontificis, transformatum esse in nomen Antistitis Byzantini in extrema pagina.

Smaragdo Abbati S. Michaëlis, suppossuit Trithemius, commentarium in Regulam S. Benedicti, Smaragdo autore. Sed falsus est ob vocabuli communitatem. Nam Smaragdus Autor prædicti commentarij, non est Smaragdus Abbas S. Michaëlis, sed Ardo Smaragdus, Monachus Monasterij Anianensis, qui *Beati* titulo honestatur in eo Monasterio, & festo peculiari colitur; nec dicitur *Abbas*, in lectionibus Officij, sed tantùm *Presbyter Monachus.* Cùm ergo vetusti Codices commentarij prædicti, eum tribuant Smaragdo Monacho, abiudicandus est Smaragdo Abbati.

Sophronio adscriptus *Sermo de Assumptione Deiparæ*, est suppositititius. Nam multa in eo verbatim habentur ex epistola S. Leonis ad Flauianum. Cùm ergo Sophronius fuerit æqualis S. Hieronymi, non potest ea opella esse Sophronij. Accedit quòd, vt notauit Baron. *in notis ad Roman. Martyrol.15. Augusti.* in eo sermone, multa disputantur contra Nestorij, & Eutychetis hæreses, quas constat post S. Hieronymum, & Sophonium erupisse. 250.

Suidæ tribuitur *Lexicon*; quod tamen multis auctariis à variis posterioribus est cumulatum, felicitate Lexicographis perpetua. Nam etiam Ambrosij Calepini Dictionarium, quod ab autore editum erat valdè ieiunum, & aridum; nunc accessionibus subinde factis, & Calepino semper tributis, clarum reddit autorem, labore suo futurum inglorium, vt notauit Magius *lib. de equuleo, cap.6.*

T.

Tertulliano afficti sunt *lib.4. carminum contra Marcionem.* Obseruauit 251.

hoc Petrus Halloix *in vita Sancti Dionyſij, in Notis ad cap. 9. littera V.*

Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo, ſuppoſitum eſt carmen quod in Ramis palmarum in Eccleſia concinitur. Hoc carmen Sigebertus *in Chron. anno* 841. & Hugo Floriac. *lib. 6. Chron.* (ac ex eis Iacobus Eueillon *lib. de proceſſ. cap.* 9.) volunt in carcere Andegauenſi ab eodem Theodulpho, ipſa die Palmarum decantatum audiente Ludouico Pio, qui eum idcirco exoluerit vinculis. Id quod Anonymus *in Bibliotheca Floriac. cap.* 3. *libri de tranſlat. reliq.* S. Mamantis, affirmat de Renaldo Epiſcopo Lingonenſi, in Nouiomenſi Vrbe concluſo. Reuera tamen, neque Theodulphus, neque Renaldus, autores videntur prædicti carminis; quod apud Alcuinum vtroque anteriorem, legitur *lib. de diu. offic. cap.* 14. Et Renaldum quidem eſſe Alcuino poſteriorem, in confeſſo eſt. De Theodulpho inde conſtat, quòd certum ſit, Alcuinum obiiſſe anno 804. vt notauit Oderannus Monachus S. Petri Viui, *in Chronico.* & tamen Imperator non multauit deſertores ſuos, & in his Theodulphum, niſi anno 818. poſt Paſcha, vt ſcribunt eo anno Eginhartus atque Theganus. Ex quibus etiam habetur, Epiſcopos noxios, vel Monaſteriis mancipatos eſſe, vel exilio multatos; quam ſecundam pœnam ſe perpeſſum ſcribit ipſe Theodulphus *epiſtola metrica ad Modoinum*, & alia ad Aigulphum, quæ leguntur apud Henricum Caniſium *parte* 2. *tomi* 5. *antiq. lection.* Quomodo ergo in carcere Andegauenſi ante Paſcha concluſus Theodulphus, exoraſſe veniam dicitur, beneficio carminis de quo agimus? Itaque ſuppoſitum Theodulpho fuiſſe illud carmen, vix dubito; potuitque hallucinari Lupus Ferrarienſis *epiſt.* 20. cum hos verſus Theodulpho adſcribit. Vel ſi omninò quis obſirmetur, vt ſint Theodulphi, at ſaltem editi ab eo non ſunt cum propoſitis circunſtantiis.

252. Theodoro Metochitæ, ſuppoſita eſt à Meurſio interprete, aliena lucubratio, nempè *Hiſtoria Romana*; Neque enim liber ille eſt Theodori partus, ſed eſt liber tertius Annalium Glycæ, id quod benè vidit Vincentius Richardius *in notis ad ſuam interpretationem Cantacuſeni, in Cant. pag.* 130. Et facile eſt deprehendere collatis locis Glycæ eo lib. 3. & Metochitæ in hac hiſtoria. Glycæ initium eo loco eſt huiuſmodi. [*Res Romanæ à conſulibus adminiſtratæ ſunt* 364. *annis vſque ad Iulium Cæſarem.*] Metochitæ verò id eſt principium ex Meurſij interpretatione. [*Res Romanæ antea per conſules adminiſtrabantur annos* 364. *ad tempora vſque Iulij Cæſaris*, &c.] Concludit Glycas tertiam illam Annalium partem, narratione infelicis obitus Galerij Maximiani. Eadem quoque eſt apud Metochitam clauſula hiſtoriæ, iiſdémque Græcis verbis vtrobique exarata. Itaque idem, (vt dixi;) Glycæ opus eſt, quod recens eſt Metochitæ attributum à Meurſio interprete; qui, quod magis mirum eſt, Glycam frequenter allegat, in notis ad eam Metochitæ nomine editam, & abs ſe verſam hiſtoriam; vt proinde non potuerit Meurſius non deprehendere, illam ipſam lucubrationem, totidem verbis haberi apud Glycam, nec recèns vulgari, quæ pridem apud alium Autorem proſtabat. Sed homini ex Caluini caula, leue eſt ita ludere, & illudere.

S. Thomæ,

S. Thomæ, suppositum est *Opusculum 58. de Eucharistia*, capitibus 32. distinctum, quod reuera est Alberti Magni, cui etiam tribuitur à Trithemio, memorante hoc eius initium, *De Sacrosancto Corporis Domini*, &c. Is Prologus habetur in Alberti sermonibus de Eucharistia, in quos illud opusculum sectum est, in libro antiquo Collegij Lugd. Quod S. Antoninum, opus illud S. Thomæ adscripsisse, habet Romana Opusculorum S. Thomæ editio, non reperio apud S. Antoninum. 253.

Compendium Theologiæ, (ex cuius *lib. 5. cap. 68.* sub nomine S. Thomæ aliqua produxerat Armachanus,) non esse S. Thomæ, sed credi esse Vlrici de Argentina, affirmat Henricus Kalteisen, in replica ad Vlricum Hussitam, *in Conc. Basileensi §. restat nunc.*

Expositio in Matthæum Diuo Thomæ adscripta, supposititia est. Hieronymus Vielmius *lib. 2. de scriptis & doctrina D. Thomæ*, tribuit illud opus Petro Scaligero Ord. Prædicatorum, Episcopo Veronensi, cuius nomine prostabat Veronæ in Bibliotheca Cœnobij S. Anastasiæ, cùm ibi idem Vielmius, ex Ordine Prædicatorum assumptus, tyrocinium poneret, & literarum, & Religionis; qui addit, se cum Bartholomæo Spina expostulasse, quod dictum opus nomine S. Thomæ primus vulgasset: nec lectores admonuisset, cui autori tribueretur in publica Cœnobij Bibliotheca. Sed, quod editio sub D. Thomæ nomine, esset futura vendibilior, neglexit Spina suggestionem discipuli ac tyronis sui. Admonet mox *ibidem* Vielmius, *Commentarios in Boëtium, de Consolatione Philosophiæ*, esse suppositos sancto Thomæ, séque verum Autoris nomen, legisse in vetusto Codice Cœnobij Cydonienſis Ord. Prædicatorum, sed sibi excidisse. 254.

Commentarius in Epistolas Canonicas, suppositus est Sancto Thomæ, nam Autor 1. *Petri* 2. ad illud, *quasi liberi*, citat Lyranum, tanto posteriorem Sancto Thoma. Quòd verò non editorum inter S. Thomæ opera, horum commentariorum, in editione facta iussu Pij V. causam retulit Bellarminus, quòd is commentarius primùm prodierit Antuerpiæ, anno 1592. approbare non possum. Extat enim editio Parisiensis anni 1550. & Lugdunensis anni 1556. Fuit igitur illius commentarij Autor, Thomas Anglicus, quem luscioſus aliquis, pro *Angelico* accepit.

V.

Valeramo Episcopo Nemburgensi, ad quem extat S. Anselmi scriptio de azymo, & de Sacramentorum diuersitate, *Opus de diuinis Officiis*, cuius initium est, *Ea quæ per anni circulum*, supponit Thomas Waldensis, in cuius sententiam planè concedit Gabriel Vasquez 3. *p. d.* 80. *c.* 1. sed est aperta hallucinatio. Nam opus illud *de Officiis*, habere Rupertum Autorem, rectè alij statuunt, quibus subscripsimus in Syntaxi operũ S. Anselmi, parte prima, cùm de libro *de sacr. Altaris.* Quin etiã ipse Rupert. opus illud agnoscit suum *lib. 1. in regulam S. Benedicti, sub finem*, & in sua ad Pontificem Romanum inscriptione, operis *de Glorificatione Trinitatis, & processione Spiritus sancti.* 255.

Vigilio Tridentino Episcopo, & Martyri perperam suppositi sunt libri quinque contra Eutychem, exortum tanto post S. Vigilium, qui S. Ambrosij literis

ris frequentatus reperitur. Sunt ergo libri illi Vigilij Africani. Nam Theodulphus Aurelianensis *in Eclogis de Spiritu sancto*, locum ex libro 1. Vigilij contra Euytchem adducens, sic dicti libri Autorem allegat. [*Vigilius Africanus Episcopus, in libris quos scripsit Constantinopoli in defensionem Leonis Papæ, contra Euthychianistas.*] In Codice S. Eugendi, dicitur fuisse Episcopus Thaphensis, quæ ciuitas erat Byzacenæ Prouinciæ in Africa. Et sanè inter Episcopos ad Hunericum fidei causa profectos, recensetur Vigilius Thaphitanus in Prouincia Byzacena Episcopus.

Z.

256. Zenoni Veronensi, suppositus est sermo in illud, *Attende tibi*, quem esse S. Basilij, in confesso est; & nominatim patet ex Damasceno qui in opere Parallelorum, sermonem illum aliquoties deflorauit.

Specimen dedi suppositarum aliquibus scriptionum sacrarum. Et poteram de suppositionibus scriptionum profanarum referre non pauca. Hadrianus Iunius *lib. 6. Animaduersorum cap.* 1. exempla signat, Iornandis, cui compendium historiæ Flori suppositum est. Cassiani Bassi, cuius opus Geoponicorum Constantino est suppositum, sicut opus Medicum L. Cœlij Arriani de celeribus & tardis passionibus, Aureliano est adscriptum: & Lucani poëma ad Calpurnium Pisonem, Nasoni est suppositum. Donati, quem S. Hieronymus præceptorem agnoscit, commentarius in Virgilium, suppositiuius est, cùm sit Asinij Pollionis, vt constat ex Seruio ad illud 2. Æneid. *duri miles Vlyssi*, vbi refert ex Asinij Pollionis commentario locum, qui in vulgato Donati nomine, commentario legitur. Alias in eam rem coniecturas adducit Ptolomæus Flauius *cap. 95. Coniectaneorum.* Non potest negari, quin Donatus scripserit commentarium in Virgilim; id enim disertè habet S. Hieronymus *lib. 1. Apologiæ aduersùs Ruffinum* Tantum itaque negatur, eius esse commentarium qui Donati nomen præfert, cùm sit Asinij Pollionis, Flacco, & ipsi Virgilio laudati, atque adeò tanto anterioris Donato, qui Christianus fuit & Sacerdos, vt scribit Ruffinus Antiochensis *in opere De metris Comicis*, testatus nomen Donato fuisse *Euanthus*. Quanquam S. Hieronymus, qui aliquoties Donatum memorat, & Præceptorem suum fuisse agnoscit, vt *loco proximè signato*, & *in cap. 1. Ecclesiastis*, ad illud, *nihil sub Sole nouum*, eius Sacerdotium reticet. Angelus Decembrius, operis *de politia literaria lib. 1. parte* 10. alia adducit suppositorum librorum, Tullio, Ouidio, Iuuenali, aliisque exempla, quæ apud eum legenda dimitto, contentus notasse; quam sortem Christianis & sacris pleriſque scriptoribus obtigisse monstraui, vt scilicet eorum lucubrationes aliis per hallucinationem supponerentur, eandem profanis quoque Scriptoribus obtigisse, pro facili & nimiùm quantum frequenti in rebus humanis hallucinatione. Ita enim factam arbitrari placet hanc in his libris suppositionem, cùm de dolo non constet, vel per coniecturam.

§. III.

De suppositione facta per tertium, meditatò, & cum dolo.

SPectant ad hunc ordinem librorum suppositorum, libri plerique apocryphi; 257.
intelligendo hoc nomine libros nomine magnorum virorum confictos, ad stabiliendum aliquem errorem. Scio aliter quoque vsurpari *libros apocryphos*, vt videre est apud Couarr. *lib.4.var.cap.17. num.2.* & Serarium *in prolegom. bibl. cap. 8. q. 12.* Sed nunc restringo notionem illius vocis, ad libros per veteratoriam hæreticorum malignitatem, viris grauibus, præsertimque primoribus alterutrius Testamenti, vel Scriptoribus Canonicis, ac ipsi etiam Deo affictos. Cuiusmodi librorum fuit olim ingens supellex. Non me latet, pleroſque libros ex iis quos nunc referam, potuisse per ipsosmet autores supponi aliis, atquè adeò videri posse reuocandos ad §. primum. Tamen quia Synagoga quoque malignantium, eos suppossuit, & ex consensione multorum in id conspirantium, facta esse videtur obtrusio talium librorum, viris magnis, placuit eos huc referre. Vtinam verò esset ad manum liber S. Amphilochij, Episcopi Iconij, de falsò inscriptis ab hæreticis, libris, qui citatur in VII. Synodo *actione 6.* Exolueremur onere, multa in hanc rem colligendi, quæ hinc inde in hoc negotium suppetunt.

Scriptiones meditatò, magnis perantiquis viris suppositæ.

Sethianos memorat S. Epiph. *hær. 39.* nauos artifices in hoc genere fuisse. 258.
[Libros quosdam, (inquit,) ex magnorum virorum nominibus conscribunt: ex nomine quidem *Seth*, septem libros esse dicentes, alios verò libros alienigenas, sic enim vocant. Alium autem ex nomine *Abraham*, quem & reuelationem esse dicunt, omni malitia refertum: alios item ex nomine *Mosis*, & alios aliorum.] Ante hos quoque, alij in eadem nequitia, strenui fuerant, vt memorat Clemens Rom. *6. constit. cap. 16.* verbis illis. [Priscis temporibus, quidam libros apocryphos scripserunt, Mosis, Enoch, Adam, Esaiæ, Dauid, Eliæ, & trium Patriarcharum; libros, dico, pestiferos veritatis inimicos.] De confictis per quosdam, libris, nomine Prophetarum, testis est D. August. *15. Ciuit. cap. 23. & lib. 18. cap. 38.* Apud Sanctum quoque Hieronymum *lib. contra Vigilantium, ante medium*, refertur confictas esse reuelationes omnium Patriarcharum, & Prophetarum. Ciniflones Chymistas, libros de sua Chrysopœia iactare ab Adamo conscriptos, itémque à Mose, & Maria eius sorore, necnon à Salomone, prodit Delrio *lib. 1. mag. cap. 5. q. 1. sect. 1.* Astrologi in supponendis operibus nugamentorum refertissimis, magnis viris, & sanctis, quàm sint naui, subiectis plerisque exemplis demonstrat Franc. Picus *lib. 5. de prænotione cap. 6.* Ipsius Christi, etiamnum viatoris, nomine, librum de Magia, ad eius familiarissimos Petrum, & Paulum fuisse confictum, refert, ac ridet S. Augustinus *lib. 1. de consensu Euang. cap. 9.* Simonem Magum, ac Leobium, libros

libros sub Christi nomine euulgasse, plenos impietatis, ac errorum, autor est Clemens Rom. *6. constit. cap. 16.*

Fictitiæ de cœlo epistolæ.

259. Eodem pertinent epistolæ confictæ, tanquam de cœlo missæ à Christo: cuiusmodi illa est, de qua ab Adelberto confícta, mentio his verbis est in Conc. Romano sub Zacharia. [In Dei nomine, &c. Incipit epistola Domini nostri Iesu Christi, Filij Dei; quæ in Hierosolyma, cecidit, & per Michael Archangelum, ipsa epistola inuenta est ad portam Effrem, & per manus Sacerdotis, nomine *Icore*, epistola ista est relecta, ipsa exemplata; & transmisit epistolam ad Hieremiam ciuitatem alio Sacerdoti Talasio, & ipse Talasius transmisit ipsam epistolam ad Arabiam ciuitatem, alio Sacerdoti Leoban. Et ipse Leobanus transmisit epistolam istam ad Vetfaniam ciuitatem, & recepit epistolam istam Macrius Sacerdos Dei, & transmisit epistolam istam in Monte sancto Archangelo Michael: & ipsa epistola per manus Angeli Dei peruenit ad Romanam ciuitatem, ad locum Sepulchri sancti Petri, vbi claues regni Cælorum constitutæ sunt, & duodecim Papati, qui sunt in Romana ciuitate triduanas fecerunt vigilias, in ieiuniis, & orationibus, per dies, ac noctes.]

Quid sonet hæc vox *Papati*, intelligi potest ex dictis in Corona aurea super Mithram *verb. Papa.* Nunc hæreo in fictitiis epistolis, quas tanquam è cœlo submissas venditarunt plani improbissimi. An imitatione literarum illarum, quas ad Ioram Regem datas ab Elia, legitur *2. Paral. 21. v. 12.*? Eas quippè literas, Seder Olam *cap. 17.* habet septennio post translationem suam, missas esse ab Elia ad Ioram Regem. Et dimissa temporis nota, datas esse ab Elia iam in Paradisum euecto, & inde Angelorum Ministerio esse ad Ioramum perlatas, affirmat Thomas Maluenda *lib. 9. de Antichristo cap. 5.* & probabile censet Sancius *4. Reg. 2. num. 25.* Tales de cœlo missæ epistolæ, memorantur apud Sigebertum *anno* 1032. & apud Dodechinum *anno* 1096. & in capitularibus Caroli.

Supposita Apostolis & Apostolicis viris scripta.

260. Nomine Apostolorum, multa olim sunt confícta, & iactata. S. Petri nomine, circumferebantur olim libri quinque, referentibus Eusebio *3. histor. cap. 3.* & S. Hieronymo *lib. de scriptor. in Petro.* Nimirum *Euangelium*, *Actus*, *Prædicationes*, *Apocalypsis* ac *Iudicium.* Prædicationum fragmentum legitur apud Clementem Alex. *6. Strom. sub initium*, & apud Origenem *tomo 13. in Ioan.* Qui præterea aliud quoddam opus memorat *lib. 1. Periarch.* inscriptum, *Petri doctrina*; nisi est idemmet opus, cum Prædicationibus Petri.

Confictas item nomine S. Pauli epistolas, ipsemet significat *2. Thessal. 2.* monens fideles, nè terrerentur per epistolam, *tanquam*, (inquit) *per nos missam.* Eiusdem nomine, confictum esse *Euangelium*, & *Apocalypsin*, testatur S. Gelasius Papa. Caiani ei supposuerunt librum, cui titulum fecerant *Ascensus Pauli*, vt refert S. Epiph. *hær. 38.* Obtrusa itidem *Acta Pauli*, scribit Orig. *hom. 27. in Ioan.* De confictis Pauli *reuelationibus*, (qui fortassis idem liber erat

cum

cum Pauli Apocalypsi,) testis est Sozomenus *lib.7. cap.* 19. De his aliisque D. Paulo suppositis scriptis, multa notauit Iustinianus *disp.3. proœmiali ad epilas Pauli cap.6.*

Conscripta prætento falso nomine variorum Apostolorum, *Euangelia*, ab hæreticis obtrusa, à variis antiquis referuntur, vt nomine *Thomæ*, & *Matthæi* apud S. Ambrosium initio expositionis proœmij in Lucam, nec non quoad Euangelium S. Matthæi apud Clementum 2. *strom.* & apud Eusebium 3. *hist. cap.25.* Apud Gelasium autem *cap.S. Romana*, nomine *Andreæ*, *Bartholomæi*, *Thadæi*, *Thomæ*, *Philippi*, *ac Barnabæ.* Illud *Thomæ Euangelium*, Cyrillus Hierosol. *catech.6.* docet fuisse vnius è tribus primariis discipulis Manetis. *Euangelium Ægyptiorum* S. Marco adscriptum, & S. Stephano *Apocalypsim*, memorat *vbi supra* Gelasius: qui librum de infantia Saluatoris, S. Matthæo tributum, æquè reiicit. Hic liber idem videtur esse cum eo, qui editus à Postello est superiore seculo, hoc titulo, *Proteuangelium*, siue *de natalibus Iesu Christi, & ipsius Matris Virginis Mariæ, sermo historicus Diui Iacobi minoris, consobrini, & fratris D. Iesu, Apostoli primarij, & Episcopi Christianorum primi, Hierosolymis*, habetur *in Orthodoxographia.* Hic, inquam, liber, si considerentur ea quæ continet, planè is ipse videtur, quem Gelasius *cap. sancta Romana*, his verbis improbauit. [*Liber de Natiuitate Saluatoris, & de Sancta Maria, & de obstetrice Saluatoris, apocryphus*,] S. Irenæus *lib.1. cap.17.* eum à Gnosticis confictum admonet. 261.

Nomine *Apostolorum omnium*, conscriptum olim fuisse quoddam *Euangelium*, S. Ambrosius loco allegato scribit: libri item alij, eorundem omnium nomine, referuntur apud Gelasium; nimirum *sortes Apostolorum*, & *doctrina Apostolorum.* Gnosticos, innumerabilem multitudinem Scripturarum, nominatimque Apostolicarum, confinxisse, scribit S. Iren. *lib.1. cap.17.* Idque æmulatos Manichæos, docet S. Leo *serm. 4. de Epiph.* [confingentes, (inquit,) sibi sub Apostolorum nominibus, & sub verbis ipsius Saluatoris, multa volumina falsitatis, quibus erroris sui commenta munirent, & decipiendorum mentibus, mortiferum virus infunderent.] 262.

Simili arte, Apostolicis viris, & Apostolorum discipulis, supposita fuisse pleraque scripta, varij testantur. *Acta Andreæ*, *Thomæ*, *Philippi*, succidit Gelasius, necnon *Pauli*, *ac Theclæ periodes*, quarum meminit Tertullianus *lib. de Bapt.* & Hieron. *lib. de scriptor. in Luca.* Huiusmodi acta, hæreticorum partus fuisse, Apostolorum discipulis suppositos, monent Philastrius *lib. de hæres. cap.89.* & Epiph. *hær.47.* Autores præcipuos talium figmentorum Innoc.I. *epist.3.* nominat Leucium, Nexocharidem, & Leonidem. Quem *Leucium* vocauit Innocentius, libellus *de natiuit. S. Mariæ*, insertus tom.9. Hieronymi, perperam vocat *Seleucum.* Alij *Leontium* vocarunt. Manichæis eum annumerat S. August. *lib. de fide contra Manich. cap.4. & 38.* ac S. Turibius epistola ad Idacium, & Ceponem, quam exhibet Ambrosius Morales *lib.11. hist. Hisp. cap.26.* & Baron. *anno 447. num.3.* Ibi S. Turibius, de simili Priscillianistarum in fictitiis libris supponendis indefesso studio, præclarè disserit, notanitque idipsum de eis Paulus Orosius *epist. ad Augustinum*; *Acta Pilati*, de rebus in Christi causa gestis, conscripta esse, Iustinus Martyr *in Apologia*, locuples testis est: sed alia postmodum fuisse ab his nugiuendis con- 263.

ficta, & variis farta mendaciis, testantur S. Epiphan. *hæres.* 50. & Euseb. 9. *histor. cap.*2. *& lib.*1. *cap.*9. vbi Maximinum Tyrannum in eam confictionem incubuisse, & vt euulgarentur, ac pueris prælegerentur dedisse operam tradit.

Dolosè suppositi variis Patribus.

264. Non stetit intra Apostolorum, & Apostolicorum virorum tempora, fraus de qua agimus. Sanctorum plurimorum nomine, confictos libros, vel eis ex aliorum partubus, malè suppositos, sæpè legimus. Epistolam Ibæ, impositam S. Epiphanio, expostulat Epiph. Diaconus in II. Concilio Nicæno *act.*6. *tom.*5. Theodoreto multa sunt à Nestorianis supposita, teste Leontio *de sectis act.*5. Ruffinum, reum hac in parte statuit S. Hieron. *in cap.*18. *Ezech. & in cap.*22. *Hierem. & Epist. ad Ctesiph.* quod librum, Sexti Pythagoræi, hominis Gentilissimi, suppositissent S. Sixto Papæ & Martyri, infartis ad dolum celandum Christianis sententiis. Qua ratione, plerisque, & ipsi etiam S. Augustino, aliquandiu imposuit. Alteri Sixto, Romano item Pontifici eo nomine tertio, Trias Pelagianorum voluminum *de diuitiis, castitate, & malis Doctoribus*, supposita est; ab alio tamen quàm à Ruffino. Nec S. Hieronymus id asserit; vt per memoriæ lapsum excidit accuratissimo cæteroqui scriptori, *anno Christi* 410.

265. Quosdam hæreticos, vt glorioſi nominis auctoritate defenderent vitiosa, suppositisse Gelasio Papæ commentarios Pelagianos in Paulum, testatur Cassiod. *lib.*8. *diuin. lect.* Iulio Romano Pontifici epistolam *de Incarnatione*, quæ ab Apollinari hæretico conscripta erat, fuisse suppositam ab hæreticis, prodit Leontius *lib. de sectis actio.*8. & S. Eulogius *orat.*3. apud Photium *cod.* 230. ac Monachi Palæstini iis literis ad Alcisonem, quas descripsit Euagrius *lib.*3. *hist. cap.*31. vbi addunt, non Iulio tantùm, sed etiam Gregorio Thaumaturgo, & S. Athanasio, multa scripta hæretica fuisse à Nestorianis suppositа. Eorundem trium Patrum nomine, venditata fuisse à Monothelitis, scripta Apollinaris hæretici, testatur S. Maximus *in Collatione cum Theodoro Episcopo Cæsareæ, sub medium pag.* 163. vbi item de nonnullis Nestorij scriptis S. Chrysostomo suppositis, admonet. De hoc supponendorum SS. Pontificibus, & Patribus librorum per Monothelitas labore, mentio est *in V. I. Synodo act.*14.

266. Nec minùs strenuos ea in parte fuisse Nestorianos, habetur ex *tom.*3. *Concilij Ephesini cap.*7. *&* 8. *& tom.*6. *cap.*17. quibus locis, adornatæ per eos S. Cyrilli palinodiæ, & scripti ad Ephesinam Synodum, Philippo Romani Pontificis Legato suppositi, est mentio. Locus ex Leontio, *lib. de suppositis pro Apollinario scriptis Patrum*, est ad rem præsentem valdè idoneus. Ita habet in ipso libri aditu. [Quidam ex hæresi Apollinarij, vel Euthychis, vel Dioscori, cùm vellent suam hæresim confirmare, quasdam orationes Apollinarij, Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Iulio, inscripserunt, vt simpliciores fallerent; quod quidem perfecerunt, authoritate enim huiusmodi personarum fide digna, multos Ecclesiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex rectè credentibus, reperire poteris librum Apollinarij, cui titulus ἡ κατὰ μέρος, *fides particularis*, inscriptum Gregorio, & quasdam eius

eius epistolas, inscriptas Iulio, & alias eius de Incarnatione orationes, vel expositiones, Athanasio inscriptas. Cuiusmodi est, quæ inscripta est, expositio consentiens cum expositione trecentorum decem & octo. Neque solùm has, sed alias huiusmodi. Fiet autem tibi hoc manifestum, & cuiuis veritatis studioso, ex iis quæ in medium afferemus, tum ipsius Apollinarij, tum discipulorum eius, ex quibus est cum aliis Valentinus.]

Recentiora exempla similium suppositionum.

Nuperi hæretici, quàm his auis suis hac in parte adhæserint, docet epistola 267.
ab eis supposita S. Vdalrico. Eam alij Volusiano Carthaginensi adscripserunt, eóque nomine edita est ea epistola in Orthodoxographia Lugduni cusa, sub titulo, *De cælibatu Cleri*, vt Cuiacius admonuit *in* 4. *Decret. tit. ne Cler. vel Mon. ad cap.* 2. *&* 3. sed est figmentum merum, & vtrique suppositum; damnatum verò iam olim à Gregorio VII. in Synodo Romana, teste Bertholdo Constantiensi *in Append. ad Hermannum contractum*, renouatum verò à nuperis sectariis: à quibus æquè conficta est *epistola* nomine vniuersitatis Oxoniensis *in laudem VVicleffi*, quam refert, & exsibilat Conc. Constantiense *sess.*15. Opus *Ioannis Caluini*, Alcuino Caroli Magni præceptori suppositum, Index Romanus confixit. Liber Henrici Bullingeri contra visibilem Ecclesiam, S. Athanasio suppositus est, sub nomine libri *de vera, & pura Ecclesia.* Thomæ Iustinopolitano Catholicissimo Præsuli, suppositæ sunt *conciones Bernardini Ochini.* Sanctissimo apud Deum Martyri Ioanni Fischero, Cardinali Roffensi, suppositum est opus Buceri *de misericordia Dei*, fartum blasphemiis. Opus Carolostadij *aduersùs imagines*, vel, vt mauult Steph. Durantus *lib.*1. *de rit. cap.*5. *num.*12. alicuius Iconomachi antiqui, Carolo Magno est suppositum. Vide Bellarminum *lib. de imag. cap.*15. Quanquam non nego, aliud quoque fuisse opus, à Carolo Magno ad Adrianum Papam transmissum, sed hominis hæretici partum, non ipsius Caroli. Adeundus Baronius *anno* 794. Neque tamen dissimulo ex *lib.*1. *Caroli Magni de imag. cap.*6. *in Codice Vaticano cap.*6. vetustissimis characteribus Longobardicis exarato, Eugubinum *lib.*2. *de donat. Constantini pag.* 272. Catholicissimum proferre testimonium pro primatu Pontificis, hæresum planè omnium iugulatiuum. Bertramo item Presbytero antiquo, liber OEcolampadij *contra veritatem Eucharistiæ*, est attributus, iuxta pleroscque, quod suprà discussi. Affine est, quòd editionem Hebraicam Euangelij S. Matthæi, tanquam primigeniam, suppositit Sebastianus Munsterus: & quod Paulus Fagius ex Iudæo hæreticus, Tobiam Hebraicum, figmentum re vera suum, exhibuit. Videsis Cornelium *in prælud. epist. ad Hebr. num.*8.

Sed & apud Catholicos, quandoque auersus ab vno autore affectus, erga 268.
alium verò propensio, similibus strophis & suppositionibus locum dedit. *Commentarios* Adami Sasbout *in Paulum*, *&* *Esaiam*, esse Ioannis Hesselij, quem magistrum habuerat Adamus, lego apud Franciscum Laue, Hesselij quondam cum Adamo Auditorem: qui addit, non Adamum Magistri opus sibi supposuisse, sed alios de Adamo sic benè mereri voluisse. Ita ille in præfatione ad

iudicium Hesselij, de facto Nectarij, cusum à Plantino *anno* 1564. Hoc tamen alij pernegant, vt Michaël Vosmerus *in Apologia pro Adamo Sasbout*, & Henricus Sedulius *in notis ad cap.* 2. *historiæ martyriÿ sex fratrum Alemariensium*, quam suæ historiæ Seraphicæ intexuit.

Ambigua exempla similium suppositionum.

269. In exemplis, quæ nunc subiiciam, suppositorum à quibusdam Catholicis librorum, non me præsto vadem: Tantùm quæ alij tradiderunt, annoto. Multi, in Ioannem Annium ob supposita Beroso, Philoni, aliisque antiquis, illa opera, quæ adulterina, & falsitatibus innumeris contra Scripturas redundantia esse, non licet ambigere, conclamarunt iam pridem, tanquam in mendaciorum & impostturarum compositorem eximium. Videsis Viuem, Genebrardum, Maldonatum, Canum, Salmeronem, Iansenium, Beroaldum, Possevinum, Batradium, Reynerum, Pererium, Barrerium, Goropium, Vergaram, Riberam, Suarem, quos refert, & sequitur Pineda *lib.* 7. *de Salomo. cap.* 27. *num.* 4. Antonius item Augustinus *Dialog.* 11. *Antiq.* qui totus est *de falsis inscriptionibus*, Annium incusat. Multa in hanc rem petere licet ex Appendice ad tomum 2. Bibliothecæ Scriptorum Hispanorum, tit. *de Historicis*. Fortassis tamen ab alio quopiam impositum est ipsi Annio, quem doli expertem fuisse, malo existimare, cùm Religiosum institutum Prædicatorum sit professus. Nicolai Eymerici, an falsum diploma Gregorio XI. Pontifici supposuerit, anceps causa est. Eam certè ob causam, infamia, & exilio multatum prodit Thadæus Dermitius in Nitela Franciscan. cum de causa Lulli *pag.* 122. Alij tamen pro Eymerico pugnant. In causa de sanguine Christi in terris residuo, (vt in eodem Dermitij opere legitur *à pag.* 443.) ferunt ab iis quorum intererat, confictam fuisse Bullam Clementis VI. & falsò suppositam in illius Pontificis Registro. Flauij Dextri Chronicon quod nuper prodiit, magna excitauit dissidia. Aliquod Chronicon verè fuisse à Dextro conscriptum, constat, cùm S. Hieronymus eius sibi à Dextro inscripti meminerit; sed an id quod nuper prodiit, sit verum illud Dextri Chronicon, controuersia est. Multi hoc Chronicon esse suppositum ab aliquo, cui honor gentis suæ cordi esset, contendunt, & acriter Pennotus *in Canonicorum Regularium historia.*

Aliquæ huiusmodi suppositiones, à quæstu.

270. Quod apud hæreticos zelus Religionis præposterus, apud alios autem contentio, & insanus honoris proprij amor effecit, vt scilicet viris magnis supponerent opera quæ ad eos non attinebant, hoc cupiditatē quæstus, ad emungendas eorū crumenas, qui talium librorum essent auidi, apud alios valuisse, notatū est. Sic cùm Aristotelis libri magno pretio conquirerentur, suppositos ei libros permultos fuisse à captantibus lucrum, prodit Laërtius. Galenus item in librum Hippocratis *de natura humana*, *commentario* 1. scribit, inter Alexandriæ & Pergami Reges, certatum valdè esse, vtri plures veteres libros conquirerent magno pretio: & exinde ortos multorum librorum falsos titulos, dum dolosi venditores lucro inhiant. Ante non multos annos, Augustissimo cuidam Prin-

cipi,

cipi, librorum veterum conquirendorum studioso, pari arte impositum esse, iactatum fuit. Condita enim per aliquod tempus leguminibus, vt vetustatem redolerent, scripta recentia, vel iam pridem edita, vel antiquis Doctoribus, & Patribus suppositа, exhibebantur ingenti pretio comparanda.

§. IV.

De suppositione per plagium.

PLagium proprie vocant, clancularіam abductionem hominis vt diuendatur. Ita enim recte Alciatus *lib.* 1. *parerg. cap.* 47. Lælius *lib.* 1. *hor. subsec. cap.* 13. Cuiac. & alij, quos sequitur Raderus *ad lib.* 1. *Martialis, Epigr.* 20. circa illud, *imponens plagiario pudorem.* Inde translata est vox, ad designandum furem libri alieni. 271.

Frequentiæ plagij, exempla antiqua, & recentiora.

Hæc suppositio, ab omni æuo locum habuit, quod Eusebius *lib.* 10. *præp. c.* 1. *& 3. & lib.* 13. *cap.* 7. fusè persequitur, indicatis multis Ethnicis, qui libros aliorum sibi suppositos fuerunt, & profecit ex Clemente Alex. *lib.* 6. *strom. sub initium.* Reprehendit quidem hac in parte Clementem Henricus Stephanus sectarius *lib.* 5. *schediasmatum cap.* 13. Sed planè immeritò, cùm Clemens oculis subiecerit quod asseruit. Posteriora pleraque exempla plagij, collegit Cresolius *lib.* 5. *Theatri Rhetorum cap.* 9. Quod enim Ethnici, (vt Celsus apud Origenem, & postea Iulianus apud S. Cyrillum, passimque cæteri,) scriptores librorum sacrorum plagij insimularent, & præclarè dicta permulta, ab eis ex Platone, aliisque Ethnicis expilata dicerent, solliciti meritò fuerunt nostri, vt docerent, Ethnicos fuisse infames plagiarios, viciſſim sibi suffurantes, & libros, & plagulas librorum: nominatimque vt nostras scripturas quæ longè antiquiores erant, lectas, & sublectas ab eis, demonstrarent. Hoc præter Eusebium, & Clementem, qui in hoc sunt copiosissimi, & frequentissimi, latè quoque tradunt Iustinus *in paræn. ad gentes*, Tatianus *oratione contra Græcos.* Theophilus Antioch. *in opere ad Autol.* Theodoretus *lib.* 2. *contra Græcos*, & Eugubinus *lib.* 10. *de perən. Philosophia.* Malè ergo, nostros, de expilatis libris Gentilium, calumniabantur posteriores Ethnici; quibus affines calumniatores esse, Brissonium, & alios, qui pleroſque Christianos ritus ab Ethnicis haustos, sunt commenti, Genebrardus affirmat *in Liturgiæ explicatione Gallica cap.* 18. Sed hæreàmus in plagio librorum, cuius antiqua exempla dedimus iam satis multa.

Exempla quoque recentiora non desunt. Tetzes *chiliade* 8. in furem scriptorum suorum, fusè conclamat. Petrus ne Lombardus, an Banduinus, fuerit cuculus, & sibi *librum sententiarum* suppositum fuerit, ignorari ait Genebr. *in Chronol. anno* 1175. Idem *de opere Guidonis Fabricij* per Tremelium subducto, latè agit anno 1555. Gulielmum Manderstonum Scotum, Hieronymus Angestus, editi suo ipsiusmet Gulielmi nomine operis *de virtutibus*, ab Angesto ipso conscri- 272.

pti, reum egit in illius operis iterata editione. Nec aliud excusare potuit Manderstonus, quàm amicitiam, quæ omnia facit communia. Promptuarium impudentiæ, (sic enim cum Isidoro Pelusiota agente de Zosimo loqui possum,) libro Germanico *de Eucharistia*, auulsa prima pagina, nouam appinxit, in qua se tanquam Autorem venditauit. Ioannes Gastius *milleloquium* Bartholomæi Vrbinatis, sibi suppossuit, paucis interuersis, vt notat Sixtus *lib. 4. Bibl. verb. Bartholomæus.* Quid hoc nomine in furem quendam sui in Apocalypsin commentarij Franciscus Ribera, præfatione ad eam expostulet, apud illum legitur. Quid in Galatinum, ob editum suo nomine opus *Martini Raymundi*, Michael Beroaldus iactarit, legere apud eum licet *lib. 2. Chronol. cap. 3. Fortalitium fidei* Alphonsi Spinæ, Bartholomæus Spina suo nomine prænotatum emisit. Nomenclatur meus Marianus, prædæ patuit: quod hactenus à me dissimulatum, alij notauerunt. Sed retego abigeum *in syntagmate de libris propriis* §. 33. Opus Antonij Santarelli *de Iubilæo*, quidam (Proh audaciam!) in conspectu Solis huius, latinè factum, sibi inscripsit. Quid in Petrum Toletanum, ob opus *de restitutione* Gabrieli Vasquez sublectum, editores opusculorum Gabrielis Vasquez, vel questi sint, vel indirectè intotserint, eorum præfatio docebit. Aduersùs Christophorum Auendanium, pro Hieronymo à Florentia, expostulat Salazarius, vt apud eum videre est *in cap. 8. Prouerb. num. 307.* Nec obscurum est quantoperè hac ex causa in Chassanæum sit inuectus Tiraquellus. Non dissimulauit in Iustum Lipsium, simili ex causa dolorem suum Petrus Faber, vt apud Bulengerium Fabro addictissimum videre est *lib. 12. histor.* & apud ipsum Lipsium *centur. 1. epist. ad Belgas. epist. 10.* Sauaro de suis in Sidonium commentariis piceata manu contactis, item mouit. Duarenus *dissertatione epistolari ad Balduinum* in plagiarios, multus est in hisce querelis. Gabriel item Vasquez, perpetuus est in expostulationibus aduersùs plagiarios; quos tantùm non designat digito, ob expilatos labores suos; de quibus querelis, sensum meum infrà aperiam.

Plagium palliatum, frequentius aperto.

273. Vides ex his plagiorum exemplis, dupliciter posse accidere hanc suppositionem, vt suprà etiam monui. Nimirum primò apertè; secundò cum palliatione aliqua. Primum illud, cùm sit protriti pudoris, non est adeò frequens. Vt autem quis opus alienum sibi supponat cum mutatione aliqua & interpolatione, quotidianum propè est iis, qui conciones sacras, aut in sacra Biblia commentarios, edunt. Nam conciones, constat ex alieno idiomate quo primùm fuerint conscriptæ, in aliud versas, v. g. ex Hispanico Gallicè factas, non recitari modò, quod ferendum esset, sed & typis mandari, tantisper interpolatas, erasо veri parentis nomine, & adscripto proprio ipsius plagiarij. Hoc factum iam olim, furtíque esse notatum, intelligitur ex illis S. Chrysostomi verbis, *initio libri 5. de Sacerd.* [Si quem fortè ex concionatoribus contigerit partem aliquam eorum quæ ab aliis elaborata fuerint, suis ipsius concionibus intertexere, certè pluribus opprobriis obnoxium se reddit, quàm qui alienas opes suffurantur: cùm alioqui etiam sæpè fiat, vt concionator ne aliunde quidem mutuatus quicquam, sed ea

de

de re tantùm ſuſpectus, inſtar furis alicuius in illo furto deprehenſi, habeatur.]

Inter ſacros Interpretes, nihil hodie frequentius, quàm vt vnus alium expilet. Inde tot recantationes, tot ſub variis titulis, & non nihil varia diſpoſitione, planè iidem libri. Quæ prior quiſpiam in Geneſim dixerat, alius propè verbatim carpta, ne nominato quidem autore, transfert in ſuos Pſalmorum, vel Epiſtolarum Paulinarum commentarius. Feſtiuè Gerſo *1. p. epiſtola ad ſtudentes Collegij Nauarræ*, tales interpolatores veterum ſcriptorum, confert cum iis qui foſſata vetera, non tam reparant, quàm demoliuntur, verſando, & reuerſando. Tales libri non ſunt plures, ſed vnus, vt in ſimili dixit S. Hieron. *in c. vlt. Eccleſ.* quia eadem cantant & recantant. 274.

SS. Iſidorus, & Ambroſius, necnon Theophilactus & OEcumenius à plagij labe immunes.

Hac in parte, in demonſtrandis S. Gregorij, & S. Iſidori ſcriptis, ob ſummam & ſententiarum, & plerumque verborum conſenſionem extra ordinaria Spiritus ſancti opera concordibus, non ex S. Iſidori plagio, laborat Lucas Tudenſis *lib. 2. contra Albigenſes cap. 4.* Sed ægrè perſuadetur tantum miraculum, quale in LXX. Interpretibus præceſſiſſe, etiam ait. S. Ambroſium, notare quandoque in hoc negotio niſus eſt S. Hieronymus, vt idcirco Ruffinus *lib. 2. inuectiuæ*, S. Hieronymo id impingere non prætermiſerit. Negari ſanè non poteſt, quin S. Ambroſius, Origenis latices plerumque in areolas ſuas deriuet, vſque adeò, vt S. Hieronymus *in epiſt. ad Pammachium, & Marcellum*, teſtetur, Ambroſium Origenis ſermonibus plenum eſſe. Philonem item in veteris Teſtamenti libris aſſectatur aſſiduè, ita vt etiam, eam poſtici oſtij arcæ interpretationem, quam S. Auguſtinus 12. *contra Fauſt. cap. 39.* in Philone deriſit, vſurpatam à S. Ambroſio videamus, *lib. de Noë, & arca, cap. 8.* In Hexaëmero autem ita D. Baſilium expreſſit, vt etiam lapſum memoriæ, quem S. Baſilius ſimularat *hom. 8.* reddiderit S. Ambroſius *lib. 5. cap. 12.* cuius initium inſulsè è margine in textum irrepſit, vt liquebit facta loci S. Baſilij contentione, cum loco S. Ambroſij. Illa ſiquidem verba, *& cùm paululum conticuiſſem, iterum ſermonem adorſus aio*, quæ meliùs anteriores editiones in tertia perſona efferebant, hoc ſcilicet modo. *Et cùm paulum conticuiſſet, iterum ſermonem adorſus, ait*, hæc inquam verba, non Ambroſij, ſed Notarij verba ſunt, qui ſermonem S. Ambroſij exſcribens, admonuerat ad oram ſcripti, ibi hæſiſſe S. Ambroſium, vt antea *ibidem* fecerat S. Baſilius: id quod etiam conſequens Ambroſij oratio demonſtrat. Nam ait euolaſſe à ſe ſermonem de alitibus, & fugiſſe à ſe diſputationem de auibus. 275.

Quamuis autem hæc ita ſint, non eſt tamen plagiariis annumerandus S. Ambroſius, qui in aliis libris, ita Philonis, aut Origenis, aut Hippolyti, vel Baſilij ſententias ſequitur, vt ornamenta quoque ſua conferat. Eſtque id in eo multo magis veniabile, quòd opera illa in quibus aliorum labores vſurpaſſe videri poteſt, non ſunt niſi conciones ad populum, vt benè monuit Sixtus Senenſis *lib. 4. Bibl. in Ambroſio*, 276.

ex

ex vetustissimis codicibus; & expensa forma præfatiuncularum, quæ ad præparandum auditorem apertè diriguntur: nec non forma perorationum, quæ desinunt in doxologias, præter morem S. Ambrosij, iis in libris, qui verè libri sunt, non conciones. In his ergo concionibus, de quibus edendis fortassis non cogitabat, auditorum autem, & Notariorum diligentia sunt conseruatæ; homo grauissimis negotiis Ecclesiæ perpetuò distentus, & serò ad regimen Ecclesiæ vocatus, potuit indulgentiùs ac liberiùs aliorum vti præclarè dictis, ad ædificationem facientibus, quàm licuisset si commentarium scripsisset.

277. Ex antiquis autem Commentariorum concinnatoribus, non est quòd quis Theophylactum, Euthymium, OEcumenium, annumeret plagiariis; quia duo priores ferè sequuntur S. Chrysostomum; tertius, hos, & illos deflorat, pauca quædam addens de suo. Est, inquam, horum Scriptorum, longè alia quàm plagiariorum ratio. Nam Theophylactus, Chrysostomi abbreuiatorem ex professo agit. Qui autem Epitomen conficit, vsurpat absque noxa, quod habetur in opere quod redigit in compendium. Neque tamen Theophylactus allegorias, & alia quædam ornamenta à Chrysostomo prætermissa, adhibere insuper omisit, vt propterea non sit eius commentarius merum Chrysostomi compendium. Id quod multo magis de Euthymio, qui ex aliis quoque multis profecit, dicere licet. OEcumenium verò, qui catenam, (vt vocant,) conficere profitebatur, manifestissimum est non posse plagiariis accenseri, cùm eos semper laudet per quos profecit.

Vincentius Bellouacensis, an plagiarius.

278. Non dissimili ratione, plagiarij notam amoliri possumus à Vincentio Bellouacensi, cuius *speculum morale*, vix aliud est, quàm prima secundæ, & secunda secundæ S. Thomæ. Vnde cùm in speculo naturali, *lib.* 26. *cap.* 74. citet S. Thomam ex nomine, proferens quædam ex eo quæ habentur *quæst.* 11. *de verit. artic.* 3. *in corpore*; mirum non est, quòd *speculum morale* à Vincentio ex D. Thoma acceptum velimus, potius quàm è contrario S. Thomam ex Vincentio accepisse: quod secundum tradidit F. Franciscus Garcia, inde ducto argumento, quòd constet Vincentium Bellouacensem annis aliquot obiisse ante S. Thomam. Nam Vincentij obitus consignatur anno 1256. at S. Thomas obiit anno 1274. Ita mortem Vincentij consignat Claudius Robertus *in Catalogo Episcoporum*, & Bellarminus *lib. de Scriptor.* secutus Antonium Senensem *in Bibliotheca Dominicana*. Erranit porrò qui hîc mendum in Bellarmino esse notat allegato Antonio Senensi pro Sixto Senensi: non enim Sixtus qui nihil de anno obitus Vincentij habet, sed Antonius allegatus est; ille ipse qui cùm *Antonius à Conceptione immaculata* diceretur, mutato nomine, quasi ex affectu erga D. Catharinam Senensem, dici voluit Anton. Senensis, & scripsit Bibliothecam Dominicanam, non autem Sixtus. In ea ergo Bibliotheca, Vincentius D. Thomæ præmortuus notatur, eo quo præmisi anno, reiecta consignatione adhibita per Posseuinum; qui longè post D. Thomam, obiisse Vincentium statuit. Alia tamen nota obitus Vincentij est probabilior, & iuxta eam pungit difficultas proposita, quomodo Vincentius è D. Thoma potuerit

potuerit proficere. Verùm potuit Vincentius nihilominus, eam D. Thomæ lucubrationem, ante extremam D. Thomæ ætatem delineatam, etiamsi non perfectam, legisse, vt sentiunt DD. qui operibus Vincentij Duaci editis, prolegomena præfixerunt. Et tunc Vincentius liberatur plagiarij nota; quod non secus ac ij de quibus egimus, profiteatur se defloratorem, & abbreuiatorem multorum librorum, vt videre apud eum est *in prologo speculi naturalis cap.* 1. 2. 3. 4. 8. 10. 20. *& in prologo toni secundi*, quo continetur speculum doctrinale.

Quanquam non videtur improbanda alia ratio purgandi Vincentium, crimine plagij. Nempè quòd quamuis delineasset, & scribere statuisset quatuor specula, *naturale*, *doctrinale*, *historiale*, *morale*, vt habetur ex prologo *tom.* 1. siue speculi naturalis; morte tamen præoccupatus, sola tria priora conscripserit. Quartum autem, siue *morale*, vt ex D. Antonino coniectat vir Clariss. Andreas Saussayus *lib. de mysticis Galliæ scriptor. seculo* 3. *quæst.* 6. fuerit conscriptum post eius mortem, ab aliquo, qui D. Thomam expilarit, ratus se nota plagiarij liberum fore, ob præmissam toties à Vincentio, cuius nomine edendum erat speculum morale, contestationem prædictæ maculæ absterstuam, quòd scilicet apem ageret, & compilatorem.

Qui potiùs plagiariis accensendi.

Non est ergo quòd ad proferenda plagiariorum exempla, hi proferantur, præsertim in tanta vbertate aliorum quos exploratum est fuisse huiusmodi, in omni scriptionis genere? Hoc enim fecere Ethnici, fecere Christiani, fecere Theologi, Philosophi, Poëtæ, Historici, Oratores. Homeri furta, latè, signatis plerisque locis notauit Theodorus Canterus *lib.* 2. *var. cap.* 3. Platonem apud Athenæum *lib.* 11. plagij insimulatum lego; itémque apud Tretzem *Chiliade* 12. *Martialis* sæpè in quendam carminum suorum furem, (*Fidentinum* appellare solet,) stylum stringit. Seneca *in præfatione libri primi controuersiarum*, laborantes hoc morbo Oratores, bellè describit. Et de sui temporis Oratoribus, idem habet Aristides *tom.* 3 *orat.* 1. Idipsum fecere etiam literatorum gerræ, Grammatici. Propterea enim Priscianus adactum se fatetur citiùs edere opus suum de re Grammatica, vt huiusmodi harpyiarum, alienis laboribus insidiantium, vngues effugeret. Eunomium, manifesti plagij ob expilatam Philonis lucubrationem, insimulat Nyssenus *orat. in eum octaua.* Ioanni Philopono æquè hæretico, vsurpationem alienorum librorum obiicit Photius *cod.* 75. agens de eius Opere contra Ioannem Scholasticum, Patriarcham Constantinopolitanum. Hierocli idem vitio vertit Eusebius, *lib. contra eum.* Macrobio Muretus *ad librum tertium Senecæ de beneficiis.* Ad extremum, Famianus Strada *in Momo*, genium horum obnoxiorum, & ingeniorum, quæ deprehendi in furto, & notari malunt, quàm mutuum reddere, (vt Plinius *in historiæ præfatione* rectè dixit,) perpulchrè depinxit. Vt verò prisci Sophistæ næuis omnibus sordebant ad hanc infelicem prolem edendam accomodatis, ita eos maximè repræsentat illa pictura. Videsis de eorum furtis, ac plagiis Cresolium *in Theatro veterum sophistarum lib.* 5. *cap.* 9. 279.

§. V.

De suppositione partiali, siue de adulteratione.

280. HÆc suppositio, & in sacris literis, & in libris Patrum vsurpata sæpissimè est, imò & in libris Ethnicorũ. Nam Hierocl. *lib. 6. de prouid.* vt refert Photius *cod.* 214. de adulteratis Platonis, & Aristotelis libris expostulat. Ex sensu, & vsu suo, cæterorúmque Ethnicorum, Celsus apud Origenem *lib. 7. sub finem*, quòd Christiani Sibyllarum libris Ethnicos vrgerent, cauillatus est, multa à Christianis in Sibyllarum libros esse infarta, atque suppositа.

De Scripturæ diuinæ adulteratione.

Sed dimissis externis, sacrarum Scripturarum adulteratio per antiquos hæreticos, testatissima est apud antiquos Patres, non modò quoad adulterationem per truncationem, quæ Marcioni erat familiarissima, vt Tertullianus sæpè expostulat; sed etiam quoad adulterationem per suppositionem doctrinæ reprobæ. Quarum adulterationum primos autores, Armenios statuit Collius *lib. 3. de sanguine Christi, disp. 3. cap. 2.* Seriùs etiam earum originem, & autores primos assignat Medina *3. part. q. 12. art. 4.* Anabaptistis id tribuens, tanquam primis autoribus. Hoc tamen hi autores minùs considerate tradiderunt, cùm toties antiqui Patres, cum antiquissimis hæreticis, hanc ob causam digladientur. Vt enim in re protrita, frustrà non sim sollicitus de multis exemplis, Marcionis præcidendas manus, quibus Scripturas pro libito truncabat, interpolabat, adulterabat, frequenter memorat Tertullianus. Sic *libro de præscript. cap. 38.* [Marcion exertè, & palàm, machæra, non stylo, vsus est; quoniam ad materiam suam, cædem Scripturarum confecit.] Addit de subtiliore nequitia in eo genere adhibita à Valentino, qui stylo vsus est, non machæra in expungendis Scripturis: & tamen omnia subdolè deprauans plus nocuit. Idem *lib. 4. in Marcio. c. 6.* [Marcion contraria quæque sententiæ suæ erasit; conspirantia cum Creatore, quasi ab assertoribus eius intexta, competentia autem sententiæ suæ reseruauit.] Eam peruersitatem, omnibus Hæreticis, & nominatim superioris seculi, perpetuam semper fuisse, admonet ibi Pamelius *n. 54.*

281. Lutherus hoc maiorum suorum exemplum æmulatus, in his Scripturæ adulterationibus fuit infrunitissimæ audaciæ, vsque adeò, vt referenti cuidam, queri Catholicos quòd locum illum Apostoli, *fides sine operibus mortua est*, abrasa præpositione *sine*, & loco eius adhibita contraria, fœdissimè adulterasset, sic legendo, *fides cum operibus mortua est*, reposuerit illud, velut ex tripode, *non differunt esse catholicum, & esse asinum. Ego Martinus, Sanctus Dei Euangelista, sic legi volo.* Quid ea bestia facias? Non enim rationale animal dicam, adeò petulcum, adeò rationis, ac mentis impos, adeò exlex. Didicerat hoc à Magistro suo, (ita enim profitetur,) à Satana, inquam, Lutherus. Nam eum, (vt vocat,) *vitij Sophistam*, in Scripturis interpolandis, truncandísque iam olim laborasse, Naz. *orat. 40.* pulchrè admonuit.

282. Librum Enoch, aliàs Canonicum, ob adulterationes huiusmodi, excidisse gradu, contendit Philippus Abbas *lib. de silentio Clericorum, cap. 45.* [Multò

ante

ante Moysem, (inquit,) sicut Iudas refert Apostolus, Enoch septimus ab Adam, prophetauit: qui prophetiam suam diligenter literis commendauit, volens vt ad posteros litterarum illa vehiculo transferretur; quæ scripta, in præsenti, vel nusquam, vel in canone non habetur. Etsi enim tanti viri non contemnēda fuit auctoritas, eius tamen scriptum tam prisca fecit suspectum antiquitas, dubitantibus rectæ fidei viris, vtrùm ab illo omnia essent scripta, quibus erat eius nominis titulatio superscripta. Multi quippe multa scripto, & litteris commiserunt, quibus non sua, sed aliorum nomina præmiserunt, vt vel scripta sua meliorum titulis confirmarent, vel maiorum titulos scriptos reprehensibilibus infirmarent: multi etiam cùm scripta maiorum digna laudibus inuenerunt, tabescentes inuidia, de suo aliquid immiserunt, iniectáque fœce turbauerunt inuentam puritatem, & superseminantes zizania, obscurarunt tritici veritatem. Quia verò scriptura Enoch, ab huiusmodi libera suspicionibus ad posteros non peruenit, profectò apud eos auctoritatem canonicam non inuenit; quia etsi ille non nisi scriptor extitit veritatis, tamen posteritas suspectas habuit tam multæ litteras vetustatis. Siue igitur hac de causa, siue qualibet alia, scriptura illius in Canone non ponatur, eum tamen scripsisse nequaquam dubitatur, quia, vt dictum est, Iudas Apostolus hoc in sua epistola protestatur, qui in diuinarum catalogo Scripturarum auctoritate canonica confirmatur.] Itaque agnoscit Philippus, librum Enoch, verè à S. Enoch ex Spiritus sancti afflatu fuisse conscriptum; in quam rem latè differit Hieronymus à Rua *controu. 5. expositiua*, apertè astipulante D. Augustino 18. *Ciuit. cap.* 33. Postea tamen interpositis adulterationibus, liber ille gradu excidit, & apocryphis est annumeratus. Videsis de illius libri mixturis, & adulterationibus, Serarium *in epistolam Iudæ ad v.* 14. & Pamelium *ad librum Tertulliani de habitu muliebri cap.* 3.

Patrum scripta, adulterationibus frequentiùs obnoxia.

Multo tamen faciliùs, & frequentiùs, adulterinis admistionibus, & suppo- 283.
sitionibus vitiatos fuisse Patrum libros, quàm sacras litteras, rectè notauit S. Anastasius Sinaita *cap.* 22. ὁδηγῷ *pag.* 339. & rationem inde petiit, quòd sacræ literæ omnium gentium linguis sint vulgatæ: vnde faciliùs deprehensa, & explosa est suppositio, qua aliquando hæretica malignitas tentauit eas infercire. At scripta Patrum, quòd ea tutela carerent, frequenter, ex variis modis, per infartas suppositiones sunt vitiata. Sanctus quidem Hieronymus, dum totus est, vt ostendat, non benè Origenem tegi ab iis, qui obtendebant corrupta esse eius opera, & hæreticis suppositionibus esse depranata, videtur asserere fabulas esse, quæ de adulteratis antiquorum scriptis per hæreticos circumferuntur, vt videre apud eum est *lib.* 2. *in Ruffinum*. Tamen intelligendus fortassis est de illis dumtaxat scriptis certorum Doctorum, de quibus ibi differit; nimirum Clementis Romani, & Alexandrini. Quanquam & hos quoque, vix negare possumus, admisto fermento, & peruersè suppositis locis morbosis scatere. Nam ipsum S. Clementem Romanum, de talibus vitiosis mixturis, quibus hæretici eius scripta corruperant, expostulasse, autor est S. Epiph. *hæresi.* 30. Agnoscit etiam eas S. Clementis librorum vitiationes per impia

assumenta, ac locorum suppositiones, Photius *cod.* 112. Nec dissimilia de Clementis Alexandrini librorum fœda deformatione per suppositiones hæreticas, & blasphemas, præmiserat *cod.* 109. astipulante Ruffino *in Apologia pro Origene*, quæ habetur *tom.*1. *Origenis*, *& tom.*9. *Hieronymi.* Origenem tamen fuisse hoc modo adulteratum, & inde manasse errores, quibus sordet, non ausim affirmare, quia tam constanter id diffitetur S. Hieronymus Gelasio Papæ probatus, vt constantiùs non possit. Sequitur latè Ribera *prologo in Malachiam.* Non sapit autem Iacobus Merlinus *in Apologia pro Origene*, in probatione secundæ propositionis *art.*1. *sub finem*, cum in S. Hieronymum, & ei suffragatum Gelasium Papam, licentissimè hac ex causa bacchatur, eásque Origenis per æmulos adulterationes, agnosci debere contendit.

284. De aliorum multorum Patrum scriptis, per similia assumenta suppositionésque adulteratis, suppetunt exempla innumera; vt præter Ruffinum hac in parte copiosum, nonnulli Episcopi, Origenis quoque partiarij, apud Seuerum *dialog.*1. annotarunt. Hanc sortem scriptis suis obtigisse, queritur Dionysius Corinthius apud *Euseb.*4. *hist.cap.*22. Corruptam ad hunc modum à Nestorianis fuisse S. Athanasij epistolam ad Epictetum, expostulat S. Cyrillus *priore ad Successum epistola.* Iconoclastas S. Epiphanij scripta erroribus infartis corrupisse, multis demonstrat alter Epiphanius *in II. Concilio Nicæno*, *actio.6. tom.*5. Varia opera Gregorij Nysseni, nimirum dialogum cum Macrina, orationem catecheticam, & librum de vita perfecta, ab Origenistis per admistas corruptelas deprauata fuisse, euicit Germanus Constantinopol. apud Photium *cod.*233. Qualem se non interpretem, sed verè interpolatorem historiæ Eusebij præbuerit Ruffinus, multis passim additis, aliis detractis, docuit præfatione ad suam eiusdem historiæ versionem Christophorsonus. Nec minora de Ruffino expostulare licet, quoad Origenem, & Clementis Romani Recognitiones.

Huic malo occursuri veterum plerique, metiebantur antiquiorum scripta, annotantes numerum linearum. Quò pertinet illud Suidæ v. Γρηγόριος ὁ Ναζιανζ. [Hic scripsit soluta oratione, multa: quippè in tres myriades linearum sua opera composuit.] & inferiùs addit, eius opera Poëtica, diffundi in tres myriades linearum. [Annotauit hoc Petrus Arcudius *lib. de Sacram. cap.*39. accipiens in hunc sensum, locum ex epistola S. Basilij ad Gregorium Presbyterum, quem suspenderat à munere ob contubernium suspectum. Ait enim ad eum S. Basilius, myriades, (supple linearum,) quas scribebat per epistolas, nihil apud se effecturas nisi mulierculam submoueret: alludens ad modum tunc vigentem mensurandi scripta per lineas, ne esset locus interpolandi & addendi aliquid. Sinas in eundem finem, numerum quoque characterum annotasse, ex codice Vaticano tradit *ibidem* Arcudius. Non obstante tamen eo artificio, quod etiam fortassis non vsurpabatur à multis, habebant locum adulterationes, & interpolationes Scriptorum.

Similium adulterationum exempla recentiora.

285. Recentiore memoria, cùm inter duos Religiosorum Ordines ferueret contentio de residuo in terris aliquo Christi sanguine; & affirmarent Minoritæ, negarent

negarent autem Dominicani, asserentes sanguinem qui alicubi visitur, ex eo sanguine esse, qui ex imaginibus transfixis, miraculo interdum profluxit, vt videre est apud Baronium ad 9. Nouembris in Rom. Martyr. & anno Christi 446. & 560. & 765. inuenta est manus interpolatrix, quæ libro Athanasij *de passione imaginis Saluatoris cap.* 7. adiunxit assumentum, quo affirmabatur, nullum supersesse in terris verum Christi sanguinem, sed omnem sanguinem, qui alicubi tanquam sanguis Christi seruatur, esse ex eo, qui è talibus imaginibus haustus, & aceruatus est. Sed frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum; duo enim sagaciſſimi Scriptores, Bellarminus *lib. de scriptor. in Athanasio*, & Baronius anno illo 765. rectè monuerunt, eam plagulam esse assumentum alicuius, ex prætensa suffragatione Magni Athanasij, (qui tamen libri illius verus parens non est, vt Baronius *ad Rom. Martyrol. 9. Nou.* rectè censuit, nequicquam reclamante F. Francisco Combefis *in Notis ad Orationem de Imagine in puteum deiecta*,) causam suam munire quærentis. Apertè autem impostoram illam reuincit, quòd Græcus illius libri contextus, qui in Concilio I I. Nicæno legitur, & Latina antiqua eiusdem libri versio, facta per Anastasium Bibliothecarium, destituuntur eo assumento.

De locupletatis quoque S. Catharinæ Senensis epistolis per additamenta 286.
supposita, quæ redolerent reuelationem Sanctæ illi Virgini factam, de conceptione Deiparæ maculata, expostulationem lego apud Catharinum *lib. contra Caietanum. §. secundam probabilitatis, pag.* 355. Videsis Martinum Delrium *lib.* 4. *Magic. cap.* 1. *quæst.* 3. *sectione* 4. hoc vlcus prementem, non absque plurimæ saniei expressione. Nec abludunt quæ anno 1509. sub Iulij I I. Pontificatu, Bernæ apud Heluetios de suppositis confictis reuelationibus, ad probandam conceptionem Deiparæ peccato originis sordentem, prodit F. Nicolaus Baselius, qui ad Naucleri Chronicon adiunxit supplementum. In eadem causa, falsatum suppositionibus indebitis opus Holcoti, expostularunt alij. Videsis Catharinum *p.* 1. *operis pro immacul. concept. §. rationes aliquot, pag.* 65. Talem aliquam, vel oppositam adulterationem passum S. Thomam in eadem causa, necessarium est concedere. Nam cùm extent apud eum in variis editionibus, loca quædam, in quibus manifestè astruit Deiparæ conceptionem nitentem, ac puram, quæ loca signant Pineda *in c.* 7. *Eccles. digress. ad vers.* 29. & Salazarius *de Concept. c.* 42. *seculo* 13. (cùm de S. Thoma.) vel fatendum est loca quibus pia sententia asseritur, fuisse à nonnullis intrusa, & supposita; vel certè oppositа, sed non minore corruptela fuisse erasa.

In Patrum adulteratione flagrans studium sectariorum.

Piget de Catholicis talia audire, quæ hæreticum potiùs, vel schismaticum 287.
genium sapiunt. Huiusmodi certè assumentorum in Patrum scripta ingestionem, propriam quarto modo fuisse hæreticorum, iam monstrauimus variis exemplis; addendúmque est quod Anastasius Sinaita *cap.* 10. ὁδηγῷ *pag* 199. scribit de Præfecto Augustali hæretico, qui expensis suis quatuordecim librarios alebat, ad fermentanda blasphemiis, vel erroribus scripta Patrum. Arnaldum hæreticum è Gallorum confiniis, (non illum Petri Abailardi armigerum dictum de Brixia, falsò censendum Sebusianum, vulgò *de Breſſe*; disertè enim à

S. Bernardo statuitur Italus, in adulterandis, & per reprobas suppositiones deprauandis scriptis Patrum, fuisse assiduum, & indefessum, scribit Lucas Tudensis *lib. 3. contra Albigenses cap.* 17. Græcis ex quo schismate sunt contaminati, fuisse id familiarissimum, docet Nicolaus I. *epistola* 8. quæ est ad Michaelem Imper. & multis exemplis idem astruunt Ioannes Turrecrem. agens cum Marco Ephesino *sess.*20. *Concilij Florent.* ac Bellarm. *lib.*4. *de Pontif.cap.*11. Quàm miserè, infartis additionibus deprauatus ab hæreticis sit Matthæus Paris, (sic vocandus est à familia, non *Parisiensis*, quasi à patria, qui reuera erat Anglicanus,) docet Eudemon Ioan. *lib. contra Casaub. cap.* 6. *pag.* 132. De Martino Polono idem notauit Suffridus Petri, & Binius ante vitam Benedicti tertij, in excursione de fabula Ioannæ Papissæ.

§. VI.

De suppositione sententiarum.

288. HÆc est illa suppositio, qua aliqui non quidem contaminant antiquorum libros, (quales sunt illæ, de quibus hactenus,) sed tamen suam infidelitatem produnt, citantes aliquam præclaram sententiam, tanquam alicuius grauis autoris, à quo tamen non manauit. Faciunt id plerumque Concionatores, qui eruditi audire gestiunt, & cùm SS. Patres non legerint, aliquod insigne dictum, tanquam ab eis prolatum, intexunt sermoni. Noui quibus id erat non infrequens. Inter eos vnus quidam, quem postea insulæ clarum fecerunt, cùm insignem planè, & quo illustrior optari non posset, D. Augustini locum in rem suam produxisset; rogatus à viro docto, qui stropham agnoscebat, ecquo in volumine D. Augustini extaret ea sententia; ludicro responso hominem eluſit, dicens, tam pulchram, támque concinnam fuisse eam cogitationem, vt digna fuerit, quæ nomine S. Augustini proderetur, eo quòd si apud eum non haberetur, at haberi digna esset.

289. Inter Scriptores, & Scholasticos, sunt quibus hæ suppositiones non displiceant. Quoties enim de confictis Patrum locis, hæreticos carpimus? Agens cum Berengario Lantfrancus, eum redarguit, quod ex D. Augustini opere de doctrina Christiana, confinxisset testimonium. [In qua re, (inquit Lantfrancus,) vehementer miror, siue errorem, siue stultitiam tuam. Errorem quidem, si prolata testimonia in sacris codicibus, aut aliter esse, aut penitus non esse ignoras. Stultitiam verò, si ita cæteros vecordes æstimas, vt dictis tuis contra antiquam Ecclesiæ fidem protinus credant, eaque velut sacrosancta, indiscussa prætereant.] Quoties qui de aliqua quæstione litigant, de suppositis testimoniis pro alterutra parte litem aduersariis intentant? In negotio Conceptionis Deiparæ, est id crebrum satis, ac protritum. Nec dissimulandum videtur, vnum speciale exemplum quod occurrit. Feuardentius *ad lib.*3. *S. Irenæi cap.*23. intentus in astruendum nitorem conceptionis prædictæ, allegauit locum pro ea, ipsis Solis radiis scriptum, ex *lib.* 6. S. Cyrilli *in Ioannem cap.*15. At non esse eum librum S. Cyrilli, sed Clichtouei, qui lacunam quatuor intermediorum librorum in eo Cyrilli opere supplere voluit, in confesso est. Neque id ignorasse

ignorasse Feuardentium, comperta eius eruditio dubitare non sinit. Sed (vt dixi,) seruiens causæ quam tractabat, locum ex lucubratione nuperi scriptoris, operi S. Cyrilli intexta, meditatò suppositit S. Cyrillo, & tanquam tanti Patris dictum, protulit. Monuit de hoc loco per Feuardentium minùs aptè citato, & ad Clichtoueum, non ad S. Cyrillum referendo, Suarez *tom. 2. 3. part. d. 3. s. 5.* qui eam à Feuardentio gratiam retulit in posteriore editione commentariorum in Irenæum, vt quotquot congerere potuit menda, in numeros typographicos illapsa in Suaris operibus, ad eum similis lapsus insimulandum intorserit. Sed est profectò summa disparitas. Nam autorum allegationes quo ad numerum arithmeticum, quo à typographo exhibentur, nullus autor præstare queat indemnes à multis mendis, in tanta operarum oscitantia, & emaculatorum indiligentia. At plagulæ Clichtouei prolatio nomine S. Cyrilli, ad conciliandam maiorem fidem placito pro quo pugnes, non est erratum, vel mendum typographicum, quod in oscitantes operas, vel in dormitantem emaculatorem possit referri.

290. r. Non habeo pro suppositione sententiæ, ideóque huc non retuli, adulterationem, quam malignè æquè ac vafrè in S. Athanasium, nequam corruptor immisit, erasa primùm vera S. Athanasij sententia, tum eadem restituta, sed alia manu, vt videretur interuenisse falsatio, nec ea sententia haberetur S. Athanasij genuina. Hoc est, Diabolum dolis, & nequitia superare, vt alia occasione dixit S. Isidorus Pelus. *lib. 1. epistol. 413.*

§. VII.

Iudicium de confixione recensitarum suppositionum.

QVæ de variis fœtuum mentalium suppositionibus præmisimus, eò vniuersa spectarunt, vt constaret, qui libri suppositi, confixionem merentur, qui secus. Nunc ergo ob quas suppositiones stringi iustè possit censura, sigillatim videndum est, recurrendo per suppositiones prædictas.

Quatenus liber alteri ab Autore suppositus, damnari possit.

291. Prima suppositio, qua Autor opus suum tradit alteri, aut supponit, plerumque vitio vacat; vt docent exempla SS. Patrum, quos eo modo se gessisse, suprà vidimus. Et potest id plerumque ad maiorem operis dignitatem & vberiorem ex eo fructum conferre, cùm vulgus plerumque ex autoris potiùs fama, aut conditione, quàm ex doctrina operi conserta, & modo tractandi, lucubrationes metiatur. Simili ex causa, nec illaudabiliter, Stephanus III. vt Pipinum Francorum Regem exoraret ad quanto citiùs opitulandum Romanis contra Longobardos, exarauit ad Pipinum literas nomine S. Petri, quæ leguntur apud Baronium anno 755. num. 17. Itaque dummodò scopus, & materiæ, cæteræque circumstantiæ vitio vacent, potest hæc suppositio esse innoxia.

292. Posse verò etiam, per huiusmodi suppositionem admitti ingens flagitium, quod opus reddat suffixione dignum, monstrant exempla eorum, qui sua figmenta

figmenta suppoſuerunt SS. Patribus. Nec eſt ſanè id crimen minus, quàm falſæ monetæ, ob reprobam materiam, cui imago Principis, & publicæ autoritatis teſſera inſculpitur. Similiter enim in hoc negotio, vilis ingenij ſenſa venditantur tanquam iuſtæ conflaturæ opus; liceat etiam id ſcelus conferre cũ eo, quo magnati cuipiam, aut etiam Regi, alienus Pater ſuam ſupponit ſobolem, ſæpè ex infima proletariorum fæce petitam. Eodémque recidit, quod aliqui ſimilitudiue vultus & notarum confiſi, ſe mentiti ſunt eſſè quod non erant, vt ex Balduini Hannonij hiſtoria, & aliis quas Fulgoſius *lib. 9. cap. 16.* addenſat, perſpicuum eſt. Hi etenim cogitabant in opimam hæreditatem, aut etiam principatum, ſe ſuósque intrudere, aſſumpto alieno nomine. At longè pretioſior poſſeſſio eſt liber bonus, quàm quæuis terrena hæreditas. Et proles eſt longè homini coniunctior, quæ fœtus eſt animi, quàm quæ de muliere ſuſcipitur. Igitur librum indignum alicui ſupponere, (& indigni habendi ſunt, quotquot reprobam doctrinam continent,) ſcelus eſt ſceleratis illis ſuppoſitionibus ſuppar: & gloria, ſi quam inde capit autor latens, cùm opus ſuum magni viri nomine vænire videt, vana eſt, ac ſtuporata.

De ſuppoſitione ab alio per hallucinationem, quid ſtatuendum quoad confixionem.

293. Secunda ſuppoſitio, quæ erat per hallucinationem, præcisè loquendo, non infert libri ſuppoſiti ſuffixionem; quia ſi liber, cæteroqui eſt bonus, vel non malus, nequaquam dignus eſt nota, ex eo quòd ſciolus quiſpiam oſcitanter eum ſuppoſuerit tertio. Intereſt tamen ſcribæ docti, non modò habere in theſauro ſuo noua & vetera, eáque proferre in tempore; ſed etiam ita proferre, vt noua à veteribus aptè ſecernat, & è contrario quid cuilibet ſit proprium, maturè, & cum iudicio ſtatuere; maturè, inquam. Non enim ferendum eſt audaculorum quorumdam ſupercilium, qui vt prima aliqua de vero operis cuiuſpiam autore cogitatione præuenti fuerint, mox illud poſſeſſori abrogatum, transferunt ad alium. Verticem temeritatis in hac parte, occupauit Eraſmus, qui, vt in SS. pleroſque Patres laborem impendit, ita præcipiti iudicio, ex neſcio qua ſtyli ſaliua qua volebat præ omnibus imbutus videri, varia indubitata opera, quibuſdam Patribus per anteriorem hallucinationem fuiſſe ſuppoſita, commentus eſt; magna, & lectorum fraude, & Eccleſiæ diſpendio non leui. In Auguſtino quàm fœdè, & oſcitanter ſæpè impegerit, monſtrat planè euidenter Hieronymus Torrenſis in præfatione ad confeſſionem Auguſtinianam, referens varias S. Patris lucubrationes, quas vel ipſe in Retractationibus ſuas agnoſcit, vel Poſſidius eiuſdem æqualis & collega familiariſſimus, aut Beda in Auguſtino verſatiſſimus, ei tribuunt; ridiculè ab Eraſmo ex albo operum D. Auguſtini fuiſſe expunctas, eo prætextu quòd phraſis Auguſtinum non redoleret, vel quòd tractatio, maieſtatem, & grauitatem Auguſtini, palato Eraſmi non ſaperet. Hæc quis non videat audaciæ eſſe non ferendæ? Quare quiſquis dedocere aggreſſus fuerit errorem, vel hallucinationem, qua exiſtimat opus aliquod, alteri quàm vero parenti eſſe ſuppoſitum, maturè, imò maturrimè, ac plumbeo greſſu incedat; nec guſtum duntaxat ſuum conſultet, vel omnimodam ſemper ſtyli cum cæteris eiuſdem autoris

Autoris lucubrationibus, conformitatem depoſcat. Conſtat enim, eam rubricam eſſe admodùm fallacem, & eundem Autorem non ſemper eodem ſtylo vbiuis, ac ne in eodem quidem opere vti.

Quid de eadem ſuppoſitione facta malignè.

Suppoſitio tertia, qua per dolum & nequitiam, opus vnius Autoris ſupponitur, & affingitur alteri, vt vel error ſecuriùs hauriarur, vel aliqua alia fraus adornetur, ſuam damnationem ſecum infert. Eóque nomine Patres improbant libros, quos vocarunt *Apocryphos*, quòd ſcirent eos eſſe ſuppoſitos grauibus viris, quorum nomina falsò præferebant, vt error tali munitus patrocinio, faciliùs influeret in pectora fidelium. S. Hieron. *in cap. 64. Eſaiæ*, ait, Diabolum in his apocryphorum inſidiis ſedere, vt interficiat innocentes, inſidiatíque, vt leonem in ſpelunca ſua. Idem *epiſtola ad Lætam*, de filiæ educatione, (eſt ordine 7.) ita mandat. [Caueat omnia apocrypha, & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multáque his admiſta vitioſa: & grandis eſſe prudentiæ, aurum in luto quærere.] Theophilus Alex. *epiſt. 2. Paſch. ferè in fine*, ſic ſcribit de iiſdem libris. [Scripturarum quæ vocantur *apocryphæ*, id eſt, *abſconditæ*, diſcipulas prætermitte. Non enim in abſcondito locutus ſum, ait Dominus.] 294.

S. Ambroſius *in explanatione proœmij in Lucam, initio*, egregiè idem tradit. [Sicut multi, (inquit,) in illo populo, diuino infuſi Spiritu prophetarunt; alij autem prophetare ſe pollicebantur, & profeſſionem deſtituebant mendacio; (erant enim pſeudoprophetæ potiùs, quàm Prophetæ: ſicut Ananias filius Azor.) erat autem populi gratia, diſcernere ſpiritus, vt cognoſceret quos referre deberet in numerum Prophetarum, quóſve quaſi bonus nummularius improbare, in quibus materia magis corrupta ſorderet, quàm veri ſplendor luminis reſultaret. Sic & nunc in nouo Teſtamento, multi Euangelia ſcribere conati ſunt, quæ boni nummularij non probarunt: vnum autem tantummodò, in quatuor libros digeſtum ex omnibus arbitrati ſunt eligendum. Et aliud quidem fertur Euangelium, quod duodecim Apoſtoli ſcripſiſſe dicuntur. Auſus eſt etiam Baſilides, Euangelium ſcribere, quod dicitur *ſecundùm Baſilidem*. Fertur etiam aliud Euangelium, quod ſcribitur *ſecundùm Thomam*. Noui aliud ſcriptum *ſecundùm Matthiam*; legimus aliqua, ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus non vt teneamus, ſed vt repudiemus, & vt ſciamus, qualia ſint in quibus magnificè iſti exaltant cor ſuum.] 295.

A ſcribo etiam S. Auguſtinum 15. *Ciuit. cap.* 23. verbis illis. [Omittamus earum ſcripturarum fabulas, quæ *apocryphæ* nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus vſque ad nos autoritas veracium Scripturarum; certiſſima, & notiſſima ſucceſſione peruênit. In his autem apocryphis, etſi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica autoritas. Scripſiſſe quidem nonnulla diuina, Enoch illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cùm hoc in epiſtola canonica Iudas Apoſtolus dicat. Sed non fruſtrà non ſunt in eo canone Scripturarum, qui ſeruabatur in templo Hebræi populi, ſuccedentium diligentia Sacerdotum. 296.

Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt? nec vtrùm hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè seruasse. Vnde illa quæ sub eius nomine proferuntur, & continent istas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines Patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius credenda: sicut multa sub nominibus, & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum, ab hæreticis proferuntur; quæ omnia sub nomine *apocryphorum*, ab auctoritate canonica diligenti examinatione, remota sunt.]

297. Claudo cum S. Leone *epistola 93. cap. 15.* [Quomodo decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vsquequaque sentirentur insuauia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & Sacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falsati codices, & à syncera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur: apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed etiam penitùs auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim sint in illis quædam, quæ videantur habere speciem pietatis, nunquam tamen vacuæ sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuoluant. Vnde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum: quoniam qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.]

298. Anathema quod *can. 63. Trullano*, stringitur in eos, qui sanctorum Martyrum historias apocryphas ab hæreticis confictas lectitant, apertè monstrat quantum damnum ex istiusmodi gerrarum volutatione existere agnouerit ea Synodus, Qui ni sexta; esto non sit eius autoritas summa & ineluctabilis. Quod autem inter ea apocrypha, de quibus agimus, numerétur scripturæ quædam priscæ, ex quibus scriptores Canonici interdum vsurparunt testimonia, non est argumento, abstinendum esse suffixione talium librorum. Respondet enim benè Origenes, *in calce prologi ad homilias in Cantica.* [Quòd essent de scripturis his quæ appellantur *apocryphæ*, pro eo quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad autoritatem, supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palàm est, multa vel ab Apostolis, vel ab Euangelistis exempla esse prolata, & nouo Testamento inserta, quæ in his Scripturis quas Canonicas habemus, nunquam legimus, in apocryphis tamen inueniuntur & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Sed ne sic quidem locus apocryphis dandus est. Non enim transeundi sunt termini, quos statuerunt patres nostri; potuit enim fieri, vt Apostoli, vel Euangelistæ sancto Spiritu repleti, sciuerint quid assumendum ex illis esset scripturis, quidve refutandum. Nobis autem non est absque periculo aliquid tale præsumere, quibus non est tanta spiritus abundantia.]

Neque tamen affirmat Origenes, aut ego affirmare intendo, omnes libros quorum fragmenta aliqua, aut plagulæ extant apud Canonicos scriptores, esse apocryphos.

apocryphos. Nam extra dubium videtur, aliquos verè Canonicos libros, quorum mentio est in libris Canonicis, qui nunc sunt ad manum, vix pauculis locis, quæ obiter allegantur, residuis, intercidisse, & inter eos numerandum esse librum Enoch, de quo S. Iudas, multis astruit Hieron. à Rua *contron. v. expositiua.* Itaque tantùm intendit Origenes, aliquos ex libris, qui in scripturis Canonicis allegantur, esse apocryphos, & configendos, nec esse verè eorum, quorum præferunt nomina.

Suppositio per plagium, probrosa, & confixioni meritò patens.

Quarta suppositio quæ plagiariorum erat, indignissima, & iniustitiæ pleniſſima est, omniúmque auersatione prosequenda, tametsi reuera latissimè patet, & in omni scriptionis genere locum habuit, & habet. Oprabat suo æuo, (medio anteriore seculo,) Ludouicus Viues *lib. 5. de tradendis disciplinis, sub finem,* aliquid de hoc crimine statutum esse lege Fannia: quod seruile admodum sit magnarúmque simultatum origo, subtrahere aliena. [Cui enim, (inquit,) non sit graue, seruos sibi suos abduci, nec dum filios?] At hos mentales fœtus filiorum loco esse autoribus, suprà notabam ex Synesio, & Ambrosio. Sed vel silentibus legibus omnibus, indignissimi criminis labes, est per se manifesta, & ab ipsis quoque Ethnicis, valdè exagitata. Plinius quidem *in præfatione natur. histor.* [Autorum, (inquit,) nomina prætexui; est enim benignum, (vt arbitror,) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris; non vt plerique ex iis, quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem me autores, deprehendisse à iuratissimis, & proximis, veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos, non illa Virgiliana virtute, vt certarent, non Ciceroniana simplicitate, qui in libris de Republica, Platonis se comitem profitetur. In consolatione filiæ, Crantorem, (inquit,) sequor. Item Panætium *de officiis*, quæ volumina eius ediscenda; non modò in manibus habenda quotidie, nosti; obnoxij profectò animi, & infelicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cùm præsertim sors fiat ex vsura.] 299.

Vitruuius non dissimiliter *in libri 7. proœmio* post collaudatam scriptorum diligentiam, vindicandis ab interitu iis, quæ præclarè gesta, aut cogitata, vel adinuenta essent, subdit. [Itaque quemadmodum his gratiæ sunt agendæ; sic contrà, qui eorum scripta furantes pro suis prædicant, sunt vituperandi: quíque non propriis cogitationibus nituntur scriptorum, sed inuidis moribus aliena violantes gloriantur; non modò sunt reprehendendi, sed etiam, quia impio more vixerunt, pœna condemnandi.] Subiicit narrationem iudicij, quo Ptolemæus Rex, deprehensos Aristophanis cuiusdum diligentia plagiarios, iussit agi furti reos, & damnatos cum ignominia dimisit.

Omne genus probri in huiusmodi factum concurrere, facilè est demonstratu; est enim in plagio, aperta violatio iustitiæ, & tetrior quàm si diuitiæ sublegerentur: est conculcatio humilitatis, ac temperantiæ, quandoquidem honor per dedecus, & cum alieno damno captatur. Est ignauia, & pusillitas animi, cum fortitudinis deiectione. Nemo enim excelsi, ac nobilis animi, eo vsque se deiiciat. Sed prudentia maximè hîc vulneratur. Nam quis non videt, 300.

insignem stuporem eius, qui alienum sibi partum supponens, seriùs ocyùs eo spoliabitur, non sine auctiore dedecore? Quid iuuit meretriculam illam, quæ coram Salomone pro alieno fœtu tanquam pro suo ausa est contendere, & per Regis solertiam causa cecidit? Idem plagiariis tandem accidit, non absque eorum auctiore infamia. Filia Pharaonis iuxta Philonem *lib. 1. de vita Mosis*, muliebri arte, finxit se grauidam, vt Moses natiuus putaretur, non ascititius. Is tamen commentitiam matrem, grandis factus abiecit: nec aliter contingit, librum bonum, tanquam fictum, prodere autorem malum. Perdicem omnes stupiditatis notant, quòd fraudis suæ pretio multetur, in cassum proprios fundens labores, supposito sibi partu alieno, iuxta illud Hierem. 17. *clamauit perdix, & congregauit, quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio*, id est, ait S. Ambros. 6. *Hexaëm. cap. 3.* [Oua congregauit, & clamauit quasi ouans, suæ fraudis effectu. Sed ludit operam, quia impenso labore alij educat, quos ipsa diuturno fotu sedulitatis animauerit.] Subdit *ibidem* S. Ambrosius, & rursus *epist. 48.* quæ est ad Irenæum, & optimè Eucher. *hom. 11. de Pasch.* ea ex causa, Satanæ scelus quo sibi filios Dei suppositos fine iudicio, exprimi in Scriptura per eum perdicis stuporem. At idem omninò est plagiarij factum: quod proinde non imprudentiæ qualiscumque, sed immanis stuporis, meritò arguitur; nam postmodum retecto plagio, ab omnibus exploditur. Scitè S. Chrysost. *lib. 5. de Sacerdot. ferè initio*; [si quem fortè ex Concionatoribus contigerit partem aliquam eorum, quæ ab aliis elaborata fuerint, suis ipsius concionibus intertexere, certè pluribus opprobriis obnoxium se reddit, quàm qui alienas opes suffurantur: quum alioqui etiam sæpè fiat, vt Concionator ne aliunde quidem mutuatus quicquam, sed ea de re tantùm suspectus, instar furis alicuius, in ipso furto deprehensi, habeatur.] Dixi præterea aduersùs hoc propudium, nonnulla in tractatione *de Virtut. lib. 3. num. 203.*

Plagium passo, lenimen, & monita.

301. Is tamen cui plagium est illatum, præsertim palliatum, admonendus est, ne suspicionibus facilè agatur. Sunt enim aliqui qui se ac ingenium suum tanti æstimant, vt quidquid ab ipsis traditum fuerit, si alibi legatur apud aliquem qui posteriùs scripserit, sibi surreptum expostulent. Illiberale verò est, & planè putens, (ne quid addam,) existimare nihil in alieno solo, ac fundo posse crescere, nisi è nostris areolis transplantatum: & cùm primum aliquid apud alium occurrerit, quod prior ipse notaueris, criminari furti, ac plagij eum, apud quem id notaueris. Est & aliis ingenium, quo eadem excogitare rationes possint. Nec aliis deest studium in peruolutandis antiquis Patribus, & Doctoribus: ac proinde quæ eorum loca ipse tibi annotaras, potuit & alius, non ex tuo opere, sed ex ipso fonte hauriens annotare. Et hinc affundi frigida potest, restinguendo, vel temperando æstui nonnullorum recentiorum, qui magnos viros, (vt suprà annotabam, plagij insimularunt, eo quòd apud eos legantur aliquæ, siue rationes, siue allegationes, quibus ipsi paulo anteriùs vsi fuerant. Quod nimium premere, putidius profectò est, & magno animo indignum. An non verò alij quoque, (vt præmisi,) auctores annotare, aut proprio Marte talia

talia excogitare potuerunt, vt benè pro Alciato dixit Ferrandus Addüenſis *lib.1. explicationum iuris, initio*; cùm retuliſſet Cælium Rhodiginum *lib.15. lect. antiq. cap.20.* vehementer queri de Alciato, tanquam ipſum Cælium illaudatum expilaſſet. Tollantur ergo ſuſpiciones caſſæ, & fundatæ in eis expoſtulationes, quas Terentij, Tullij, atque Maronis exemplo, calumnioſas pleruncque eſſe, monſtrat S. Hieronymus *in prologo qq. ſiue traditionum Hebraicarum.*

Cùm verò plagium eſt manifeſtum, ac extra controuerſiam, non deſunt 302.
verba, & voces quibus ſe ſolari poſſit, qui expilatus eſt. Vulgatiſſimi ſunt verſus ſummi Poëtæ, cùm eius quædam carmina, Bathyllus ſibi vſurpaſſet, & honores inde tuliſſet; ſic enim ſe ſolatus eſt.

Sic vos non vobis, nidificatis aues,
Sic vos non vobis, vellera fertis oues.
Sic vos non vobis, melliſicatis apes,
Sic vos non vobis, fertis aratra boues.

Multa ſimilia excogitari poſſunt, quibus doceamur, laborem vnius, plerumque alteri cedere: vnde fiet vt minùs grauatè ferat diſpendium, qui violatus plagio fuerit, cùm perſpexerit eadem ſe ſorte fuiſſe, qua ſunt alij tam multi. Addendum verò eſt, Chriſtianum lenimen ex eo ductum, quod autor laborando ea mente, qua par fuit, meruerit apud Deum; quæ illi merces ſcelere plagiarij non potuit intercipi. Et quod non debet leue videri, ita ei ſaluum eſt operis præmium apud Deum, vt non periclitetur de diſpendio à vanitate, per plauſum eorum, ad quos liber peruenit, & cum laude exceptus eſt.

Operum adulteratio, digna configi.

Suppoſitio quinta, illa erat qua per adulterationem operum, ſupponuntur 303.
autoribus ea, de quibus non cogitarunt: quæ eſt infidelitas, & iniuria in verum autorem, digniſſima, in quam cenſoria ſeueritas exeratur. Nam ſi falſarius monetæ comburendus eſt, multò magis falſarius librorum, præſertim ſacrorum, vt argumentantur Henricus Kalteiſen *in Concilio Baſileenſi*, in replica contra Vlricum Huſſitam §. *ſecundò ſic arguit.* Damnanda ergo eſt talis ſuppoſitio, vt factum à S. Gelaſio videmus, circa multos libros proborum cæteroqui, & doctorum Scriptorum; quos ob infarta additamenta reproba, dignum viſum eſt improbari. Nec ea ſuffixio cedit reuera in autoris dedecus, cùm non maſſa ab eo confecta, (vt ſic dicam,) ſed fermentatio poſtea addita diſpliceat, pateátque ſuffixioni. Vel ſi additamenta poſtea infarta, non ſunt digna, quæ ſeorſim ſuffigantur, & nomine ſuorum autorum edita, eſſent innoxia, tunc locum ſuffixionis tenere debet admonitio, quæ interpolationem factam doceat, monſtrétque opus non eſſe ſyncerum, quale ab auctore prodiit.

Suppoſitio ſententiarum, iure caſtiganda.

Poſtrema ſuppoſitio quæ erat ſententiarum, non probro tantùm, ſed & ca- 304.
ſtigatione digna eſt. Nam & mendacio ſordet, quod ſemper, & vbique damnatur, & hominem redolet gloriæ eſcam adeò captantem, vt ad eam vel per fraudem & commentum non refugiat irrepere. Non eſt hæc ſuppoſitio abſi-

milis ei fraudi sacrilegæ, quæ in quibusdam antonomasticè impiis notata est à Glabro *lib.4. histor. cap.2.* ac etiam anteriùs à S. Isidoro *lib. 2. de offic. Eccles. cap.15.* qui ex S. Augustino *lib. de opere Monach. cap.28.* profecit. Habetur ex his DD. fuisse qui ossa vulgaria, aliáve profana, venditarent pro sacris reliquiis, quæstum æstimantes pietatem. Quia ergo, vt huius operis principio ex Themistio obseruabam, scripta Sanctorum, sunt veluti reliquiæ intellectus, ac animæ eorum; quisquis alias cogitationes, siue suas, siue alterius extra sortem Patrum constituti, sententias, aut plagulas, profert quasi sententias SS. Patrum, rem facit quæ non multum abest ab eo, quod dixi, sacrilegio: nisi quod ab illis reliquiæ corporum proponuntur, quæ reuera non sunt corporum sanctorum reliquiæ: ab istis verò obtruduntur tanquam reliquiæ animarum sanctarum, quæ ad eas reuera non pertinent. Possumus etiam alio exemplo eam indignitatem patefacere. Sunt scripta Patrum, & Sanctorum veluti instructissima optimis cibis conuiuia, in quibus siligineus panis, vt de S. Augustini scriptis aiebat S. Gregorius, & optimi quique cibi, ad animarum refectionem apponuntur. Qui ergo ementitur alicuius Patris sententiam, & pro esca probata maximéque eduli, substituit sensa sua, perinde facit ac perfidi Græci, qui Latinos ad bellum Saracenis inferendum proficiscentes, corrupta farina, & calcis admistione malignè vitiata, eos pascebant, vt videre est apud Baronium *anno* 1101. *& anno* 1147. nec non apud Gretserum *in Apologia* pro expeditionibus cruciatis, cùm depellit obiectionem ex malo expeditionum exitu. Aio idem proportione facere, qui pro lecto animarum pane, furfuraceum, vel potiùs pistum è lolio, quod Plinius *lib.8. cap.17.* frugum morbis annumerat, exhiberet famelico.

SERIES II.

Libri in se mali, sed non nociui.

305. ERit cui videatur, non esse cur libri in hanc seriem referendi configi, ac proscribi debeant, cùm omnium consensione prudentum, tota confixionis necessitas ducatur ex eo, quod auertendum sit damnum, quod improuidis, vel infirmis lectoribus, à lectione libri oriri potest. Vnde si nullum à libro nocumentum timeri cuiquam potest, frustrà stringenda videri potest censura. Nihilominus meritò in particulari excutiendum est, num libri in se mali, nec tamen nociui, configendi sint, attendendo aliud nocumentum, quàm iacturam temporis, ob quam vnam, non est facienda libri confixio. Hoc video de quadruplici potissimum librorum genere quæri posse. Nempe primò, de libris Gentilium, præsertim quibus Deorum ortus, ac gesta & religio Ethnica continentur. Secundò de libris Turcismi, Ethnicismo continentis, nominatímque de Alcorano. Tertiò de libris Rabbinorum Christo posteriorum, præsertímque de Talmudicis, & de Cabalisticis. Quartò de libris priscorum hæreticorum, quorum hæreses prorsus exoleuerint. Attingamus singulos, nec quid re ipsa seruandum, siue qui re ipsa libri confixi haberi, vel non haberi debeant, spectemus; (quod aliorum est statuere;) sed quid ferat natura rei, seu quid attendere possint quorum iuris est confixio, (si eis videatur attendendum.) Nos enim suggerimus, quod occurrit. Ipsorum est, quid facto opus, videre.

EROTEMA

EROTEMA XI.

Num libri Gentilium, etiam Polytheismum spectantes, improbandi.

HIusmodi libros, in se malos esse, quippè mendacissima fabulositate, & nefandissimis narrationibus, ac impietatibus fœtos, dubitare non licet. 306. Non esse tamen lectoribus noxios, sed omnes penè omnium Ethnicorum libros, exceptis iis, qui cum Epicuro literas non didicerunt, eruditionis doctrinæque plenissimos esse, (verba sunt S. Hieronymi *epist. 84. in fine,*) patet iugi tot seculorum experimento; quo impunè, & ipsis quoque Patribus autoribus, & hortatoribus, leguntur.

Patrum suffragium, de fructuosa Christianis Ethnica literatura.

Basilius præclarè in hanc rem differit initio orationis de modo proficiendi ex libris Gentilium. [Poëtis, (inquit,) & Oratoribus, est omnibus hominibus vtendum, vnde futura sit aliqua vtilitas, quæ ad animæ faciat ædificationem. Velut enim fullones, & tinctores, qui medicamentis quibusdam rem tingendam præparant, atque ita demum colorem quem cupiunt, siue purpureum, siue aliquem alium inducunt: sic & nos si gloria pulchritudinis vitæ huius, quam tantoperè laudamus, illata nobis mansura sit, nisi priùs purgati, sacras & arcanas Scripturæ disciplinas, non facilè attingemus, aut percipiemus; & quasi solem in aqua videre, assuefacti, sic illi lumini oculos iniiciemus. Quamobrem si nostrorum sermonum, ac Gentilium vlla est conuenientia, nobis illorum valdè conferet notitia: sin minùs, eos saltem simul conferendo, differentiam discere licebit, cùm ad melioris optionem, atque delectum non parum comparatio fiat; & inferiora sæpè collata sint potioribus ornamento: veluti plantis quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominùs ramis coniuncta, quendam ferunt ornatum. Sic & animæ, cui præcellens quidem veritas fructus est, non absre tamen, exteriore sapientia circundatur, sicuti foliis quibusdam vmbram fructui, ac affectum non intempestiuum præbentibus.

Nazianzenus grauiter omninò, in S. Basilij laudatione, commendat horum 307. librorum peruolutationem, verbis illis, [Illud inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere. Non de hac nostra solùm, ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore, atque ornatu, saluti vni, atque earum rerum quæ ratione, atque animo intelliguntur, pulchritudini arctissimè hæret: sed etiam de externa, quam plerique Christiani, prauo quodam iudicio, vtinsidiosam, & periculosam, ac procul à Deo auertentem, aspernantur. Quemadmodum enim cœlum, terram, aërem, quæque eorum complexu coërcentur, non ideò contemnere

nere debemus, quia nonnulli ea sceleratè accipiunt; pro Deo, ea quæ Dei sunt, venerantes: quin potiùs quidquid tum ad vitam, tum ad animi oblectationem vsui est, decerpentes, quidquid periculosum est, fugimus; non res creatas aduersùs Creatorem, vt stulti faciunt, concitantes, sed ex rebus conditis conditorem agnoscentes, atque omnem intellectum, vt Apostoli verbis vtar, Christo captiuum submittentes: quemadmodùm insuper, nec ignis, nec cibus, nec ferrum, nec res vlla alia suapte natura vel maximè vtilis est, vel maximè noxia; verùm vtiis qui vtuntur, placet; atque adeò ex serpentibus bestiis quasdam interdum salutaribus medicamentis admiscemus; eodem nos quoque modo, ex litteris illis, & disciplinis, quod in inquirenda rerum natura & contemplatione versatur, suscepimus: quidquid autem ad Dæmones, & errorem, & exitij voraginem ducit, respuimus. Imò etiam ab eo ad Dei cultum adiuti sumus; nimirum ex deteriori, id quod præstantius est, cognoscentes, atque illorum imbecillitate doctrinam nostram fulcientes. Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quòd ita quibusdam videatur: quin potiùs stulti, atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant: qui omnes sui similes esse cupiant, vt priuata eorum insciția, sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat, & coarguat.]

Mox etiam subdit, qui liberalium disciplinarum cognitione, (quæ certè in Ethnicorum libris prostat haurienda,) non sunt imbuti; eos sibi etiamsi probitate non destituantur, luscos videri. At qui probitati eruditionem nexuerint, & quibus velut ambidextris esse contigerit, eos verò esse perbeatos.

308. Assectatus Theologum Damascenus 4. *fidei c.* 18. autor quidem est, vt efficiamur boni Trapezitæ in lectione horum librorum, prudentérque diiudicemus aurum à scoria, approbantes quæ in illis vtilia sunt; cætera verò ita legentes, vt repudiemus: quamuis ex his quoque, non parum lucri ad sanctitatem Christianæ doctrinæ, & errorum auersionem, contentione facta vtriusque doctrinæ, erui posse confirmet. Quod monstrant impugnationes Ethnicismi per Patres, ex libris Ethnicorum. Ita enim frequentissimè Ethnicos reuincunt, Arnobius, Tertullianus, Iustinus, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Clemens Alexandrinus.

Præterea S. Augustinus 2. *doctr. Christ. cap.* 18. 29. & 40. egregiè disputat pro vsu profanarum literarum, (atque adeò etiam librorum quibus eæ continétur,) ad Christianam doctrinam. Multus item in hac parte est S. Cyrillus 6. *in Iulianum ad textum quartum*, refellens Apostatam, Christianos criminantem, quod vellent, (vt aiebat,) participes esse doctrinæ Græcanicæ, arcerent autem suos ab idolothytorum vsu, quasi corporum pabulum nocentius esset Ethnica esca animorum. Hoc S. Cyrillus multipliciter refellit, & quanto iure Christiani, Ethnicorum libros peruolutarent, quantúmque inde fructus ad veritatis Christianæ confirmationem haurirent, rectè demonstrat. Sed & Blesensis *epist.* 8. multis confirmat, fas esse de libris Gentilium haurire, quæ prodesse possunt. Et rationem reddit. [Nam nec de herbis quæritur, in qua terra, vel cuius hortulani cura, vel cultura adoleuerint, dummodò vim habeant sanatiuam.] Idem *epist.* 91. [Quia ægrè audis historias, fabulosa interfero. Sed de fabularum Gentilium moralitate, quandoque forma eruditionis elicitur; quoniam fas est, & ab hoste doceri]

Innumera

Innumera in hanc rem ex variis Patribus, proſtant apud Claudium Eſpencæum, tractatione *de profectu ex libris Gentilium*, & apud Martinum à Roa *lib.5. ſingul. à cap.* 4. necnon apud Antonium Peres *certamine 2. expoſitiuo*, & apud Zamoram *initio Monarchiæ myſticæ*. Quæcunque enim proferunt, quibus diſciplinæ ab Ethnicis traditæ commendantur, eo ipſo, Ethnicorum libros non eſſe configendos, ſed poſſe ſine noxa legi, haberique confirmant. Eodem modo huc pertinet tota diſputatio de impunè citandis à Concionatore legibus ciuilibus, quam conſcripſit ante annos 150. Gebennæ F. Ioannes de Marchepallio; in calce enim libelli, declarat ſe per *leges ciuiles*, intellexiſſe *Paganicas litteras*, eóque collimat vniuerſa diſputatio. 309.

Quibus argumentis, lectio librorum Gentilium, improbari in Chriſtianis videatur.

Videntur adduci in contrarium poſſe, quæ ab Apoſtolis decreta contra huiuſmodi libros, refert S. Clemens *1. conſtit. c. 6. aliàs* 7. verbis illis. [Abſtine ab omnibus libris Gentilium. Quid enim tibi cum alienis ſermonibus, aut legibus, aut falſis Prophetiis, quæ quidem homines leues à fide recta, detorquent? Nam quid in lege Dei deſideras, vt ad illa Gentilium ſcripta animum velis appellere? ſiue enim hiſtorias legere cupis, habes libros de Regibus: ſiue Sophiſtica, id eſt, quæ argutè ad ſapientiam referuntur, & poëtica, habes Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni poëſi, & ſapientia Sophiſtarum reperies, quòd is, qui ſolus ſapiens eſt, illa effatus eſt; ſiue cantilenas expetas, habes Pſalmos; ſiue vetuſtas rerum origines, habes Geneſim; ſiue leges, & præcepta, habes legem Domini celebrem. Ab omnibus itaque alienis, & à Diabolo excogitatis, fortiter abſtine.] *Et lib.2.c.61.* [Quid verò vis communicari tecum libros Gentilium, qui ſunt hominum mortuorum, qui Diaboli inſtinctu ea ediderunt; quæ ad interficiendum, & euertendum fidem valent, quæque eos qui ſtudium in ipſis collocant, ad ponendam multitudinem Deorum deferunt?] 310.

Similiter in Concilio Carthag. IV. *cap.16.* (& refertur *diſt.37.*) interdicitur Epiſcopis, (quanto magis aliis?) lectione librorum Gentilium. Quod confirmat obiurgatio illa acris, qua Sanctus Gregorius *lib 9. Regiſtri epiſt.47. indict* 4. S.Deſiderium Viennenſem Epiſcopum corripuit, cùm accepiſſet; (vtique per falſos rumores, opera Brunichildis Reginæ; eiúſque partiariorum ſancto Præſuli infenſiſſimorum, diſſeminatos, vt notaui *in Sanctorum Lugdunenſium Indiculo*:) accepiſſet, inquam, ſanctum virum, tradendis literis humanioribus ex libris Gentilium, diſtineri. Quod Sanctus Gregorius negat memorari abs ſe abſque verecundia poſſe, quia in vno ſe ore, cum Iouis laudibus, Chriſti laudes non capiunt: & quàm graue nefandúmque ſit, Epiſcopis canere quod nec laico religioſo conueniat, conſiderari etiam atque etiam mandat. Sanctus Pacianus quod ſibi incogitanti, excidiſſet Maronis hemiſthichium, notatus eſt, vt rei inſolitæ & indecentiſſimæ, vt ipſe refert *epiſtola ad Sympronianum* 2. 311.

Sanctus Odo, adoleſcens, iam tamen Clericus, cùm Virgilio daret operam, conſpexit per viſum, vas extrinſecùs pulcherrimum, reipſa autem plenum ſerpentibus; à quibus ſe citra morſum vallari ſenſit; agnouitque vas illud

esse Virgilij opus. Itaque eius lectione abstitit, vt narrat in Sancti viri vita *c.* 3. Ioannes eius discipulus. Quæ Sanctus Hieronymus *epist.* 22. de diuinitus castigato suo in Ciceronem studio refert, vulgatissima sunt; nec est, quòd hîc cum nausea repetantur. Valent hîc etiam illa à Theophilo Antiocheno *lib.* 2. *ad Autol. ante medium*, in quascunque Ethnicorum disciplinas intorta; quanto magis in admistas polytheismo? [horum sermo, (inquit,) ne vel scintillam quidem veritatis complectitur. Ea quæ historici, Philosophi, aut Poëtæ tradidere, nonnihil probabilia videntur. At verborum lenocinium tolle, stulta, & vana eorum scripta apparebunt. Siquidem scripta eorum, quid aliud, quàm infinitas nugas continent? Nec in iis vel particulam veritatis quis cernere potest. Præterea si quando credis aliquid, quod veritate nititur ab ipsis prolatum, tamen semper errore & mendacio corruptum est. Quemadmodum pharmacum aliquod mortiferum, si melle, vino, aut alio quodam liquore amabili temperetur, totum inutile, & noxium redditur: sic & loquacitatis scriptorum prædictorum.]

312. Habent quoque hîc locum argumenta quibus Alphonsus à Castro *lib.* 1. *aduersùs hæreses c.* 12. *& lib.* 3. *de iusta hæretic. punit. c.* 8. *&* 9. demonstrat patentissimam portam qua hæreses in Ecclesiam irruperunt, esse lectionem librorum à Gentilibus conscriptorum. Vrget verò, quòd in huiusmodi libris multa reperiantur, quæ cum fide Catholica pugnant è diametro: plurima, vt Franc. Picus *lib.* 1. *de studio diu. & hum. Philosophiæ c.* 8. docet, quæ à virtute reuocant, innumera quæ ad vitia pelliciant. Ibi proponi fratrum implacabiles iras, parentum in liberos exasperationes inconciliabiles, & iusto acerbiores indignationes, imò efferationes: liberorum vicissim monstrosa erga parentes odia, & offensiones; Deorum multitudinem, eorumdem obscœnissimos amores.

313. Hoc argumentum Ludouico Viues *lib.* 1. *de tradendis disciplinis*, *in fine*, cùm hanc rem agitaret, ferè persuasit, libros Ethnicorum esse abiiciendos. [Non laudamus Poëtas, (ait Basilius *orat. de leg. lib. Gentil.*) qui de Diis differunt, præsertim si plures, aut diuersos ponunt, minimè inter se concordes. Frater enim apud illos cum fratre contendit, & pater aduersùs filios, & filius aduersùs patrem insurgit. Bellum est sine præcone, adulteria præsertim, stupráque, & amores Deorum obscœnos, & hos maximè Principis omnium, & Dominatoris Iouis, vt aiunt. Quæ sanè scelera si quis de feris dixerit, erubesceret. Nos illa scenæ relinquemus.] Idem *in c.* 3. *Isaiæ*, ad illud, *& inaures, & annulos*, ait has esse inaures reprobatas in Scriptura; cùm familia Iacob abiecit inaures, & Aaron fecit conflatile, ac Gedeon struxit idolum, vterque ex inauribus.

314. Ob hæc, pestem bonorum morum, è libris Gentilium afflari, non dubitat Castro, nec contentus hinc appetiisse eos libros: vrget præterea, errores Gentilium cum Christianis dogmatibus pugnantes. Vt inficiationem productionis rerum ex nihillo, exclusionem prouidentiæ, mortalitatē animæ, mundi æternitatem, aliáque excenta, ob quæ subornari hæreses à Philosophia, dixit Tertullianus *lib. de præscript. c.* 6. qui item in hac re mirè philosophatur *eodem lib. de præscript. cap.* 7. & perpulchè Etherius, ac Beatus *lib.* 1. *contra Elipandum*, verbis illis. [Achan de Iericho linguam auream concupiscens, pro quo irascente Domino, multi perierunt manu hostili ex populo. Atque postea ille, pro furto

furto, anathemate ab omni populo lapidari meruit, & à Domino æterna morte damnari, hoc significauit, qui in Ecclesia hæreticorum inferrent dogma, vel superstitiosa sæcularium literarum studia. Hæc est enim lingua aurea, in luculento sermone aptata. Hanc furati sunt Arius, Sabellius, Bonosus, Marcio, Basilides, Elipandus Toletanæ Sedis Archiepiscopus. Furati sunt enim isti regulas aureas de Hierico, id est, de schola seculari; & Philosophorum sectam non rectam, in Ecclesiam conati sunt introducere, & maculare omnem Ecclesiam Domini, ita vt disperderentur multi per eos. Ideóque abiecti, anathemate, quasi aceruo lapidum, id est, multitudine peccatorum oppressi, atque extincti sunt, sicut Achan aceruo lapidum oppressus ab Israël extinctus est. Cuius errore perempto, Rex Hai, hoc est, Diabolus, qui per illorum impietatem, fidelium quosdam abiecerat, iterum superatus deuincitur, atque à Populo Dei suspensus, ligni Crucis virtute occiditur.] Expresserunt Origenem *hom. 7. in Iosue.*

Quid quòd Gentiles Scriptores, non modò pleraque à Christianis dogmatibus aliena tradunt, sed etiam directè impetunt Christianam fidem, (non enim semper Abimelech pacatus est Isaaco, vt in hanc rem disserit Orig. *hom. 14. in Genes.*) eam vel subsannando, vel impugando, & de omnibus demonstrationes exquirendo. Quod constat in exitium Christianæ simplicitatis verti, cùm mysteria nostra non possint luce demonstrationum perfundi, sed sub fidei nube lucida, (vt Damascenus *orat. de Transfig.* appellat,) perspici debeant. 305.

Et hac ex causa, S. Diadochus *cap. 22.* profundum fidei, vocauit *aquam obliuionis*, quia facit obliuiscì secularem sapientiam, vt ibi interpretatur Turrianus. Gregorius Nyss. *lib. de vita Mosis, sub initium Tropologicæ expositionis, pag. 22.* hanc esse ait filiam Pharaonis, cuius Moses grandis factus, se negare filium debet, cùm sit sterilis. S. item Augustinus *epist. 131.* quæ est ad Memorium Episcopum, Iuliani postea Pelagianorum signiferi patrem, cùm inaudisset filium eius, tunc Diaconum, erudiri literis secularibus, sic conclamat in eas disciplinas, quas variarum, vt ait, serui libidinum, liberales vocant. [Quid aliud dicendum est eis, qui cùm sint iniqui, & impij, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in litteris verè liberalibus legimus, *si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Per eum namque præstatur, vt ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ, ab eis, qui in libertatem vocati non sunt, appellantur, quid in se liberale habeant, noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quòd habent congruum veritati. Vnde ille ipse filius, *& veritas*, (inquit,) *liberabit vos.* Non ergo illæ innumerabiles, & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poëtarum, vllo modo nostræ consonant libertati, non oratorum inflata, & exposita mendacia; non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel Deum prorsus non cognouerunt, vel cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor eorum insipiens, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorrupti Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, atque quadrupedum, & serpentium; vel qui istis simulacris non dediti, aut non nimis dediti, coluerunt tamen, & seruierunt creaturæ potius, quàm Creatori. Absit omninò, vt ipsorum vanitates, & insaniæ mendaces, ventosæ nugæ, ac superbus error,

rectè *liberales litteræ* nominentur; hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt, nec in eis ipsis, quæ vera sunt senserunt.]

316. Apud Origenem, extrema *homilia* 2. *in Genesim*, negatur bibliothecam Christianam ex libris secularibus conflandam esse. Idem Origenes *hom.* 4. *in Exod.* huc accommodat secundam, & tertiam Ægypti plagam, S. etiam Paulinus *epist.* 38. quæ est ad Iouium, latè idem confirmat. Præmiserat ille quidem Iouium alloquens, omnium Poëtarum floribus spiras, omnium Oratorum fluminibus exundas, Philosophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam diues literis, Romanum os Atticis fauis imples; sed mox addit. [Esto Peripateticus Deo, Pythagoræus mundo, veræ in Christo sapientiæ prædicator, & tandem tacitus vanitati pernicioſam istam inanium dulcedinem literarum, quasi illos patriæ obliteratores de baccarum suauitate Lotophagos, vt Sirenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus euita. Et quia licèt quædam plerumque de inanibus fabulis, vt de vulgaribus aliqua prouerbiis, in vsum veri, ac serij Sermonis assumere, dicam non literas tantùm, sed & omnes rerum temporalium species, nobis esse Lothophagos, vel Sirenas. Nam & voluptatum pestifera dulcedo, patriæ nobis obliuionem facit, cùm homini Deum, (qui est Patria omnium communis,) obliterat, & illecebræ cupiditatum, illam Sirenarum fabulam veritate cladis imitantur. Nam quod illæ Sirenæ fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum. Habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum; quorum vsus in crimine, pretium in morte numeratur. Has oportet vltra Vlyssis astutiam cauti, non auribus tantùm, sed & oculis obseratis, & animo quasi nauigio præteruolante fugiamus, ne sollicitati delectatione lethifera, in criminum saxa rapiamur; & scopulo mortis affixi, naufragium salutis obeamus.]

Argumenta proposita excinduntur; nec nisi per accidens vrgere demonstrantur?

317. Non alia occurrunt, quibus libri Ethnicorum polytheismum spectantes, aliáve huiusmodi dogmata fidei nostræ aduersantia continentes, patere debere suffixioni, probare liceat. Verè tamen hæc omnia non aliud probant, quàm quod initio insinuaui; (pleniùs quæ prosequitur Conradus Brunus *lib.* 1. *de hæreticis cap.* 5.) cùm dixi, per se loquendo, libros Gentilium, etiam qui Polytheismum spectant, non esse configendos: quo ipso insinuo, per accidens attentis temporum, ac personarum, & statuum circunstantiis, aliud interdum esse statuendum, v. gr. initio nascentis Ecclesiæ, cùm adhuc Christiani teneri erant, & recèns ab Ethnicismo, & doctis fabulis abducti, consultissimum fuit, illis interdicere lectione huiusmodi librorum, vt memoria Ethnicismi sensim ex eorum mentibus obliteraretur, saltémque non infigeretur penitiùs, sicque declinaretur periculum, vacillationis in fide, aut regressionis ad vomitum. Et id vnum spectauit, quod sanxisse Apostolos relatum est ex Clemente Romano, vt ibi benè obseruauit Carolus Bouius; sed quia nunc omne illud periculum cessauit, euiguisse quoque decretum illud, censere licet. Mutata quippè

qu'ppè sunt tempora, & alia nunc est legentium conditio, quàm tunc esset. Et nihilominus nunc quoque, quibusdam personis indecorum planè esset, tempus consumere in huiusmodi libris peruolutandis, neglecto studio congruentiore sacrarum literarum. Quod fuit Philoni argumentum, ad exagitandam horum studiorum curam in iam prouectis, eodémque ex capite Petrus Blesensis *epist.* 76 Clericum senem iure redarguit.

Nec aliud spectauit Concilium Carthag. cùm interdixit Episcopis lectione 318.
librorum Gentilium, nempè iugi, & assidua, quæ sine detrimento pastoralis sollicitudinis, & pabuli per sacras literas ouibus subministrandi, esse non posset, & eodem modo accipienda sunt quæ habet Theophilactus *epist.* 18. scribens ad Episcopum Mermentarum, (id loco nomen,) de abiiciendis Episcopo huiusmodi studiis. Id quod etiam habetur ex D. Augustino *epist.* 56. quæ est ad Dioscorum. Sanctus autem Gregorius non tam lectionem librorum Ethnicorum in Episcopo improbat, quàm magisterium, & tradendarum aliis profanarum literarum occupationem. Nimium quoque studium in has literas, ex Hymone *lib.* 1. *de Christianarum rerum memoria*, damnat Choppinus *lib.* 1. *sacræ politiæ tit.* 5. *n.* 4.

Est in eam rem locus insignis apud Hieronymum *epist.* 146. post commendatum studium librorum ab Ethnicis conscriptorum, præuia superfluorum abrasione; subdit enim in rem præsentem, [Apostolus prohibet ne in idolio quis recumbat, dicens: *Videte autem ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis, si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nónne conscientia eius cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit qui infirmus est in tua scientia, frater propter quem Christus mortuus est?* Nónne tibi videtur sub aliis verbis dicere, ne legas Philosophos, Oratores, Poëtas, nec in eorum lectione requiescas? Nec nobis blandiamur, si in eis, quæ sunt scripta, non credimus, cùm aliorum conscientia vulneretur, & putemur probare, quæ dum legimus, non reprobamus. Alioqui quale erit, vt existimemus, Apostolum, eius qui vescebatur in idolio, conscientiam comprobasse, & eum dixisse perfectum, quem sciret de idolothytis manducare? Absit, vt de ore Christiano sonet, *Iupiter omnipotens*, & *me Hercule*, & *me Castor*, & cætera magis portenta, quàm numina. At nunc, etiam Sacerdotes Dei, omissis Euangeliis, & Prophetis videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris necessitas est, crimen in se facere voluptatis.]

Habet hîc locum prouerbium apud Hebræos receptum quod memorat 319.
Drusius *decuria* 1. *adagio* 5. *Adhuc Aben Zoma, foris est*; id enim prouerbium, Moses Ægyptius *in More Nebuchim lib.* 3. *c.* 52 à sapientibus vsurpatum docet, de circumeuntibus domum Regis, quærentibus portam ipsius. idest, hærentibus in studiis dedecentibus ætatem, vel conditionem ipsorum: puta cùm vir Ecclesiasticus, qui per ætatem Magister esse iam deberet, distinetur studiis puerilibus, & humanis. Eodem pertinet totum carmen Claudiani Viennensis Presbyteri, quod subnecti solet eius libris de statu animæ, éstque ab eo exaratum contra vanos Poëtas, ad collegam annosum. Scripserat in gratiam sororis Fuscinæ Alcimus Auitus iam Deo addictus, metricum opus de castitate. Contestatus autem se deinceps à iungendis pedibus & scribendis versibus, pedem

relaturum; rationem reddit. [Decet enim dudum professionem, nunc etiam ætatem nostram, si quid scriptitandum est, grauiori potiùs stylo operam, ac tempus insumere, nec in eo immorari quod paucis intelligentibus mensuram syllabarum seruando canat; sed quod legentibus multis, mensurata fidei astructione deseruiat.] Quod ille de scriptione ait, æquè impetit lectionem, sine qua scriptio ægrè vigeret.

320. In Monacho eandem lectionem simili ex causa improbat Petrus Damiani *opusc.* 13. *c.* 11. & ex recentioribus latè Choppinus *lib.* 1. *Monast. tit.* 3. *num* 13. Benè Isidor. Pelus. *lib.* 1. *epist.* 63. verbis illis. [Quis te Comicis salibus non perstringat? Quis te non commisereatur, qui cùm in Philosophiæ discipulorum Domini tranquillitate sedeas, Gentilium Historicorum, & Poëtarum tumultum atque æstum tecum trahas? Quid enim, (dic quæso,) apud illos est, quod religioni nostræ sit præferendum? Quid non mendacio, ac risu scatet, ex iis quæ magno studio consectantur? An non diuinitates ex vitiosis affectionibus? An non fortia facinora pro vitiosis affectionibus? Quamobrem, ipsam quoque fœditatis & obscœnitatis lectionem fuge; (nam ea miram, ad aperienda vulnera iam cicatrice obducta, vim habet;) ne alioqui vehementiore cum impetu spiritus improbus reuertatur, ac deteriorem, & pernicioſiorem tibi priore ignorantia, aut negligentia cladem inferat.] Ad hunc locum, Conradus Ritershusius, rem problematicè agitans, prolato præter cæteros Iacobo Billio *lib.* 1. *obseruat. sacrarum*, *cap.* 13. idipsum agitante, eò denique reuoluitur, vt statuat quod hîc intendimus: & astipulatur Ludouicus Viues *lib.* 1. *de tradendis disciplinis*, nec non Laurentius Landtmeter *lib.* 2. *de vetere Clerico & Monacho*, *parte* 1. *c.* 19.

321. Huc item spectant illa Paulini iam à seculo transfugæ, ad Ausonium *epist.* 1. *metrica.*

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari
Tecum mihi concordia,
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas numina;
Fandique munus, munere Indultum Dei,
Petere Fonte, Nemoribus, Iugis.
Nunc alia mentem vis agit, maior Deus;
Aliósque mores postulat,
Sibi reposcens ab homine munus suum,
Viuamus vt vitæ patri.
Vacare vanis, otio, aut negotio,
Et fabulosis literis
Vetat; suis vt pareamus legibus,
Lucémque cernamus sitam.
Quamuis Sophorum callida, ársque Rhetorum, &
Figmenta vatum nubilent.

Qui

Qui corda falsis atque vanis imbuunt;
Tantúmque linguas instruunt,]

Sapientissimè denique Sidonius *lib.8.epist.4.ad Cosentium.* [Quoties mihi tui versus à meditationis incude tanquam adhuc calidi deferebantur, sic videbatur, qui etsi non benè scribo, benè iudico. Sed quod fatendum est, talibus studiis anterior ætas iustè vacabat, seu, (quod est verius,) occupabatur: modò tempus est seria legi, seria scribi, déque perpetua vita potius, quàm memoria cogitari, nimiúmque meminisse, nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda. Quæ quidem ad præsens non ita loquor, quasi tu non vtraque laudanda conficias: aut si adhuc in sermone lætitia, non custodiatur in actione censura; sed vt qui Christo fauente clàm sanctus es, iam palàm religiosa venerandus iugo salubri colla pariter, & corda subdare: inuigilésque cælestibus linguæ præconiis, anima sententiis, dextera donariis; præcipuè tamen dextera donariis, quia quicquid Ecclesiis spargis, tibi colligis.] 322.

Ad idem reuocat Gerso 4.*p.collatione de Angelis*, verbera S.Hieronymo per somnum inflicta, de quibus in tractatione *de stigmatismo cap.* 9. Monet enim Gerso, eam narrationem non esse referendam ad improbationem studij moderati; & personam lectoris eiúsve conditionem, aut ætatem, non dedecentis: id quod non dubitat insimulare temeritatis, cùm constet viros sanctissimos contrarium vsum tenuisse, & libros Ethnicorum qua par erat moderatione versasse. Quod ergo in Hieronymo reprehensum est, (vt Gerso obseruat,) aliud non fuit, quàm nimium studium euoluendi Tullium, supra quàm ferebat conditio, & ætas, ac vitæ institutum S.Hieronymi. Qua ratione æquè in quocumque alio, nimius affectus erga libros de quibus agimus, meritò reprehenderetur, essétque mulctâ cœlitus inferendâ dignus. In eandem sententiam accipiendus est, meritò hîc videndus, Philippus Abbas *lib... de iustitia Clericorum c.27. & tota epist.* 3. Hæc verò, (vt constat,) per accidens se habent, ad id quod generatim, & vniuersè de his libris stabilire satagimus: nempè quòd cùm legentium status, aut temporum conditio aliud non fert, legi citra noxam queant.

Nec aliter occurrendum est iis, quæ ex Alphonso de Castro sunt adducta, quantum ad hunc locum spectant. Quod addo, quia quæ habet de obscœnitatibus, quibus scatent plerique Ethnicorum libri, rectè omninò probant, eiusmodi libros esse confixione dignissimos. Sed iam transgredimur limites huius puncti, quo de librorum à Gentilibus conscriptorum lectione agimus; tantùm quia à Gentilibus sunt editi, aut quia res Gentilium prosequuntur. De illis verò qui fœda continent, indubitatum est, exterminandos esse, sed alio ex capite quàm Ethnicismi, à quo nunc adulta iam luce Christianitatis, nullum impendet periculum puritati fidei, vel bonorum morum; sicut impendet à libris spurcis cuiuscumque sint autoris, siue Ethnici, siue Christiani. 323.

Eandémque ob causam, quamuis libri hæreticorum ob impendèns ab eis periculum prohibeantur, non tamen libri Ethnicorum, de quibus agimus. Quò spectat pronunciatum Isidori *lib.3.de summo bono,cap.13. num.12.* [meliores esse Grammaticos, quàm hæreticos; hæretici enim hausturn lethiferi succi, hominibus persuadendo propinant. Grammaticorum autem doctrina, 324.

potest

potest etiam proficere ad vitam, dum fuerit ad meliores vsus assumpta.] Sumit *Grammaticos*, pro tractatoribus rerum Gentilium. Quo pacto etiam S. Gregorius S. Desiderium Viennensem, ob traditam *Grammaticam*, id est, litteras humaniores increpauit. Qua ratione Seneca *Epistola* 88. Grammaticum circa sermonem, historias, & carmina, distineri affirmat. Simílique modo Nazianz. *orat.* 29. *num.* 40. commendans S. Basilium, ait: [Quis in Grammatica quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit, cum eo comparandus?] Secernítque ibi diserrè, Grammaticam à Rhetorica, & Philosophia: vt & Isidor. Pelus. *lib.* 3. *epist.* 65. quod alij plerunque non seruarunt. Nam Petrus Damiani *lib.* 8. *epist.* 8. *initio*, Christum esse ait suam Grammaticam; id est, suam facundiam. Et latè *opusc.* 13. *c.* 11. cùm differit aduersùs Monachos studentes Grammaticæ, hoc est, literis humanioribus. Thomas verò Cantiprat. *lib.* 1. *Apum c.* 8. *Grammaticam* vsurpat pro doctrina. [Antiquam, (inquit,) nota lector Grammaticam.] Ad quem locum Coluenerius adducit quoque Godescalum Hollen. *serm.* 1. *in* 3. *Decalog. præceptum*, similiter vsurpantem nomen *Grammaticæ*. Imperitia librariorum, pro *Grammatica* mensurationes spectante, legitur plerunque *Grammatica*, vt notauit Pithœus *lib.* 2. *aduersar. c.* 14. In epistola Pauli Papæ ad Pipinum Regem, (quæ in epistolarum Pontificiarum collectaneis à Gretsero editis est vigesimaquinta,) ait Pontifex, se inter cætera quæ rogabatur, mittere Grammaticam Aristotelis, quod Gretserus ibi, accipit pro Dialectica. Protrita notio est, qua ad infima studia id nomen aptatur. In qua notione pulchrè iocatur Blesensis *epist.* 171. & 172. lugens vita functum Grammaticum. Quanquam libros quoque Poëtarum, quos à Nazianzeno & Isidoro, Grammaticis adscriptos vidimus, ideirco dictos *Grammaticos* censet Abailardus *lib.* 2. *introd. c.* 2. quòd pueris prælegerentur, & in iis literariam veluti infantiam ponerent. Quamuis igitur libri hæreticorum prohibeantur; non tamen horum Grammaticorum, quia ipsi nunc nocere non possunt.

325. Denique autoritas Patrum, qua libri de quibus agimus, impetebantur, tantùm spectat adiuncta illa per accidens, à quibus hactenus vidimus posse meritò interdum improbari horum librorum vsum. Nominatim verò S. Paulinus, non tam Ethnicorum libros damnat, quàm errores quos Iouius inde hauriebat, de fato, & negatione prouidentiæ. Vnde *in epistolæ fine*, sic Iouium affatur. [Patior ex copia tibi in nostris quoque studiis possidendæ Philosophorum facundiæ, dum aduersam veris desinas amáre sapientiam. Melius enim tenere te potiùs quærentem diuina, quàm quærere disputantem. Mitte illos semper in tenebris ignorantiæ volutatos, in contemptionibus eruditæ loquacitatis absumptos, & altercatione vesana cum suis phantasmatis famulatos, semper quærentes sapientiam, & nunquam inuenientes, quia quem nolunt credere Deum, intelligere non merentur. Tibi satis sit ab illis linguæ copiam, & oris ornatum, quasi quædam de hostilibus armis spolia cœpisse; vt eorum nudus erroribus, & vestitus eloquiis, fucum illum facundiæ, quo decipit vana sapientia, plenis rebus accommodes: ne vacuum figmentorum, sed medullatum veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed & mentibus hominum, profutura mediteris.]

Quare

Quare non damnat Paulinus absolutè lectionem librorum Gentilium, siue ad humaniores literas, siue ad Philosophiam spectantium, sed abusum. Nominatim quoque Philosophicos libros, etiam Ethnicorum, non esse Theologo accersandos, fusè prosequitur Iulius Rugerius *lib. de auditore Theologiæ c.* 5. Non plura de libris Ethnicorum spectantium Polytheismum, vel aliqua tradentium religioni Christianæ aduersantia, nulla facta mentione ipsius Christianæ religionis, eiusque dogmatum.

Vtilitas è libris quorumdam Gentilium mordentium res Christianas.

Minus timendum est à libris Ethnicorum, quibus res nostræ deridentur, aut impugnantur. Quis enim cùm apud Lucianum, Eunapium, Iulianum, Simplicium, Epictetum, scommata in religionem nostram intorta legit, vel alicuius Christianæ veritatis impetitionem, præ Ethnica aliqua fabulositate; labascit in ea fide, quam Christianis mysteriis adhibebat, cùm ad legendum accessit? Imò inde non exigua rerum nostrarum confirmatio haberi potest, non tantùm quia facta contentione nugarum & spurcitiarum Ethnicarum, Christiana doctrina sanctior occurrit; quo ex capite res nostras maximè confirmare-solent, qui pro fide nostra egerunt, præsertim Clemens Alexandr. atque Arnobius: sed etiam, quia eo ipso quòd ea, quæ nunc credimus, à Gentilibus rideantur, aut refelluntur, argumentum idoneum est ac certum, fidem Christianarum priscorum, idem habuisse, quod nostra nunc habet. 326.

Locus Eunapij.

Sic ex cœnosissimo apud Eunapium loco, in Edesio, quem placet veluti specimen proferre, multa colligimus ad veritatem Catholicam spectantia. Ita habet. [In sacra loca inuexerunt *Monachos*, sic dictos; homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes; qui in propatulo infinita atque nefanda scelera committebant; quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reuerentiam conculcare. Nam ea tempestate, quiuis atram vestem indutus, quique in publico, sordido habitu spectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem: in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum. Illi ipsi, Monachos, Canopi quoque collocarunt, vt pro Diis qui animo cernuntur, seruos, & quidem flagitiosos, diuinis honoribus percolerent, hominum mentibus ad cultum ceremoniásque obligatis. Hi namque salita, & condita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem à iudicibus extremo supplicio erant affecti, pro diuis ostentabant; iis genua submittebant; eos in Deorum numerum receptabant, ad eorum sepulchra sordibus, & puluere conspurcati. In his nonnulli *Martyres*, nonnulli *Diaconi*, & *Legati, arbitríque precum apud Deo*, nominabantur, cùm fuerint seruitia infida, & flagris pessimè subacta, & quæ cicatrices scelerum, & nequitiæ vestigia, corporibus circumferrent.] En quàm multa in rem Catholicam eximia, in hominis Ethnicissimi bacchatione in Christianos: quem recèns tunc facta templi Serapidis sub Theodosio euersio, pessimè habebat. Habemus inde professionem Monasticam, & vestem Religiosam pullam, atque abiectam, honorem SS. Martyribus exhibitum, cul- 327

tum reliquiarum, intercessionem Sanctorum, pro nobis. Vah! quantus thesaurus è fauissa illa, imò scrobe lutulentissima hauritur; vt gaudendum propè videatur, rabiosum illum sic insaniuisse.

Ex Zozimo, Rutilio, varia.

328. Similiter ex Zozimi in Monachos furore, quem *lib. 5. historiæ* prodidit, illustre testimonium habemus pro veterum cœnobiorum redditibus. Ait enim. [*Monachi* qui vocantur, hi legitimis nuptiis abstinent, & tam in vrbibus, quàm in vicis, populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum, nec ad alium Reip. vsum necessarium idoneis; nisi quòd via *astutia* quadam progressi, ab eo tempore in hunc vsque diem, magnam agrorum partem ad se transtulerunt, & sub prætextu quasi pauperibus omnia communicent, omnes, (propè dixerim,) ad inopiam redegerunt.] Eadem est Iuliani Apostatæ calumnia *oratione 7.* Nec mitiùs de Monachis statuit *in suo Itinerario* Rutilius, simili fructu legendus. Sic enim habet *lib. 1.*

Processu pelagi iam se Capraria tollit.
Squalet lucifugis, insula plena viris.
Ipsi se Monachos, Graio cognomine dicunt,
Quòd soli nullo viuere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur,
Quisnam sponte miser, ne miser esse queat?
Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siue suas repetunt ex fato ergastula pœnas
Tristia, seu nigro viscera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus,
Bellerophonthæis sollicitudinibus.
Nam iuueni offenso, sæui post tela doloris,
Dicitur humanum diffiduisse genus.

Hoc inferiùs, de vno quodam ciue suo, in alia insula Monacho specialiter queritur, sic canens.

Assurgit ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Pisanum Cyrniacumque latus.
Aduersus scopulos damni monumenta recentis,
Perditus hîc viuo funere ciuis erat.
Noster enim nuper iuuenis, maioribus amplis,
Nec censu inferior, coniugióve minor.
Impulsus furiis, homines diuósque reliquit,
Et turpem latebram, credulus exul agit.
Infelix putat illuuie cœlestia pasci;
Séque premit, læsis sæuior ille Deis.
Num rogo deterior Circæis secta venenis?
Tum mutabantur corpora, nunc animi.

329. Tolle hoc Rutilij opus quo passim mordentur Christiani; vnáque insignem sanctiratis ac professionis monasticæ expressionem exeinde. Quinetiam eadem

opera,

opera, Confessionem luculentam victoriæ crucis ab hoste expressam vi veritatis, erades. Sic enim canit de Iudæis, hoc est, de Christianis; quia salus ex Iudæis, commiscens, & candidè profitens dissemination Christianismi per orbem, perditum Ethnicismum.

Atque vtinam nunquam Iudæa subacta fuisset,
Pompei bellis, imperióque Titi
Latiùs excisæ pestis contagia serpunt;
Victoréque suos, natio victa premit.

Non ausus Christianis Imperatoribus orbem regentibus, mutire in Christianos, sub Christiano nomine, *Iudæos* vocat: quod æquè, (alia licèt ex causa,) ab Epicteto factum, apud Arianum *lib.2. dissert.9.* & ab aliis eiusdem æui Ethnicis non semel.

Item ex Vlpiano, & Aurelio Victore, ac Luciano. 330.

Domitius Vlpianus *de officio proconsulis lib.7.* rescripta Principum nefaria aduersùs Christianos collegit, Lactantio teste *5. instit. c.11.* nec plenè interciderunt eæ leges; sed quamuis ad declinandam Christianorum temporum inuidiam, Tribonianus ex eis Christianorum nomen expunxerit, supersunt tamen plurimæ passim in Pandectis, vt *l.6. ff. ad l. Iuliam peculat. l.8. ff. ad l. Cornel. de falsis l.5. ff. de pœnis. l.4. ad l. Cornel. de sicariis, l.6. ff. ad l. Iuliam de vi publ. l.1. ff. ad l. Iuliam maiest. l.7. ff. de accusatio.* Has hominis in Christianos truculentissimi operum reliquias, tolle; vnáque insigne trophæum religionis Christianæ, quod toties PP. statuunt, aboleueris; Indicem, inquam, exhaustæ in Christianos pharetræ Satanæ. Aurelius Victor, vt testatur Sanctus Hieronymus *epist. ad Paulum Concordiensem*, etiamsi Christianis infensus, tamen ad notitiam persecutionum Christianis illatarum, commodus lectu est; eáque ex causa, lectum à se testatur ea epistola S. Hieronymus. 331.

Similiter, quia apud Lucianum legimus sannas Momi illius *in Vnum tria, & Tria vnum*, vt videre est *in Philopatride*. Itémque legimus iuramentum quod ibi concipit, [*per Deum altè regnantem, magnum, atherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria. Hæc tu Iouem puta, hunc existima Deum.*] Quia, inquam, hæc apud illum Christianorum subsannatorem legimus, optimè inferimus, priscos illos Christianos eadem nobiscum de augustissima Triade sensisse. Ibidem paulo pòst ex verbis illis. [Quando me Galilæus ille conuênit, recaluaster, naso iusto præditus, qui in tertium vsque cœlum per aërem ingressus est, quæque optima, & pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.] Ex illis, inquam, verbis, vel potiùs sannis per scurram illum, in Gentium Doctorem Sanctum Paulum intortis, apertè habemus, imagines Sanctorum, in Ecclesia antiqua fuisse in vsu. Inde namque scurra ille, cùm inter Christianos versaretur, effigiem Apostoli, animo expressam retulerat. Docétque præterea locus ille, sensum veteris Ecclesiæ, de renouatione hominis, & sanctificatione, per Baptismi Sacramentum, In Dialogo de morte Peregrini, locus est illustris, ad perspiciendum, quanta cura Christiani operibus misericordiæ, præsertim circa Martyres designatos, insisterent. Quam summam curam, vix alibi vspiam, apud

nostros, habemus magis expressam, quàm apud hunc nebulonem, à quo effusè ridetur, sed hoc nobis ioci eius, & sales profuerunt, vt à ridente, praxim Ecclesiæ antiquæ, sanctissimam, & omni studio imitatione exprimendam disceremus. Tametsi admitto, vt Lucianus legatur, quoad aliquos Dialogos, autoritatem maiorum interuenire oportere.

Probra in nos Gentilium, magno vsui in rem Christianam.

332. Apud Tertullianum *c.7.& 9. Apolog.* & Minutium *n.* 11. ac Eusebium 5. *histor.c.*1. appositio infantis farre contecti, & cibatio ex eo Christianorum, toties ab Ethnicis obiecta Christianis; item adoratio Cereris, & Liberi per Christianos, teste Augustino *lib.*20. *contra Faustum c.* 13. argumentum est veritatis mysterij Eucharistiæ, de quo per vmbram aliquid perspexerant Gentiles, siue ex lectione librorum nostrorum, siue ex fide alicuius transfugæ, siue ex incomposita per aliquem fidelem, profusione sermonis. Cultus virilium Sacerdotis, ab Ethnicis exprobratus nostris, vt refert Minutius, spectat haud dubiè ad Sacramentum pœnitentiæ à Christianis frequentatum, accidendo ad Sacerdotum genua. Peruicaciam, & inflexibilem obstinationem, exprobrant Christianis, Plinius *lib.*10. *epist.*97. & Epictetus apud Arianum *lib.*4. *cap.*7. ac Galenus *lib.*3. *de differ. pulsuum*; quòd cùm possent, externa saltem specie, fidem abnegare; perstarent tamen, nec cogi possent ad eiurandam fidem, vel in speciem. Docemur ex ea firmitate; quam hi *obstinationem* vocant, quàm sit durandum in syncera fidei confessione, Christianorum vsum de horis Canonicis publicè recitandis, exprimi imitatione à suis, voluit Iulianus Apostata, vt refert Sozomenus *lib.*5. *c.*15. idque ex eius Epistola. In eam qui incurrerit, habebit argumentum pro horis Canonicis ex vetere vsu.

333. Ammianus Marcellinus, (& ipse Scriptor Ethnicus.) in Romanorum Pontificum maiestatem, genuinum infixit *lib.*27. *num.*2. *in fine*, verbis illis post descriptas S. Damasi & Vrsicini schismatici de Romano Episcopatu, contentiones. [Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans vrbanarum, huius rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: quum id adepti, futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum, procedántque vehiculis insidentes circumspectè, epulas curantes profusas, adeò vt eorum conuiuia Regales superent mensas: qui esse poterant beati reuera, si magnitudine vrbis despecta quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam Prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi potandíque parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuò, numini, veríque eius cultoribus, vt puros commendant, & verecundos.] Iungendus est locus ex *lib.*15. *num.*6. vbi de summa æternæ vrbis Episcoporum autoritate. Inde discimus, quis iam olim sensus fuerit Christianorum de suprema Romani Pontificis autoritate in Ecclesia Dei, nec dedecere Ecclesiasticum Principem, opes, & externum apparatum, dignitati illi commensum habere. Sicut etiam ex eo quod varij Ethnici, sed maximè Zozimus, Constantinum ob rem Christianam ab eo amplificatam, ditata templa, passim mordent, docemur quo

loco

loco apud Christianos tunc fuerit locupletatio Ecclesiarum, in quam nunc adeò fremunt sectarij. Quanti porrò facienda sint, hæc pro veritate testimonia ex fidei hostibus petita, quámque glorioſum sit, eo telorum genere hostes confodere, tradit pulcherrimè Eucherius *hom.* 2. *de Pasch.*

Mendacium ea ratione proficit veritati.

334. Liquet igitur, tantum abesse, vt Gentilium libri, de quibus egimus, cum damno legantur, vt potiùs prodesse non parum possint. Et quod feciſſe è libris nostris Porphyrium iure detestatur Pisidas, quum dixit, eum prata nactum, asperos messuisse rubos; nos è contrario cum Theodoreto *lib.* 3. *contra Græcos*, è libris huiusmodi fidei hostium, cum laude faciamus, carpentes de tribulis ficus, & cibum de comedente, ac de cadauere Leonis proſtrati fauos, & mella. Neque verò qui ad hunc modum nostra confirmaret, in eam reprehenſionem incurreret, quam aliquos subiisse scimus, testimonia pro Christo, & rebus Christianis, petendo è Gentibus: cuiusmodi ille fuit, quem Photius eam ob causam arguit *cod.* 179. Qua etiam ratione, Marcellum Ancyranum, (iure, an iniuriâ nunc non quæro,) valdè reprehendit Eusebius *lib.* 6. *aduersùs eam cap.* 2. *in fine*, & rursus *cap.* 3. quòd res Christianas petitis è profana literatura obseruationibus, illustraret. Sanctus item Augustinus 13. *contra Faustum c.* 15. infirmam esse rerum nostrarum probationem quæ ex Gentilium autoritate petitur, disertè prodit. In Martino Kemnitio inter Lutheri combibones strenuissimo, idipsum carpit Stapletonus *lib.* 12. *de princ. fidei cap.* 14. Et in Eugubino Pererius *lib.* 1. *in Genes. cap.* 1. *versu* 1. *num.* 23. Videndi item quos præterea profert Sandæus *in Theologia varia lib.* 2. *commentat.* 10. *exercitatione* 11. Non est, inquam, similis, ea pro Christianis rebus ex Ethnicorum scriptis argumentatio, illi alteri, quam à Photio & cæteris improbatam diximus. Quin potiùs hanc, quam commendamus, vsurpantes, monstramus, (quod S. Hieronymus *epist. ad Magnum*, de Iuliano Christianam religionem impugnante, scitè dixit,) eos iuxta fabulas Poëtarum, suo se ense lacerare. Quare non esse libros Gentilium, de quibus egimus, configendos, ratum esto. Imò ad hunc modum ex infœcundis lignis succisis, machinas in aduersarios ipsos struimus, vt benè philosophatur Giselbertus *in Altercat. Synag. & Eccles. cap.* 12. *pag.* 67.

Si tamen aliquem Ethnicum librum refodi contingeret, à quo nulla rebus nostris vtilitas sperari posset, sed iure timeri deberet merum damnum, tunc locus esset iustæ suffixioni: nec tam nouaculam radendis eius superfluis, quàm securim ad cædendum eius caudicem adhiberi oporteret. Sed profectò, si in quem Ethnici Christiana sugillantis librum censura rectè caderet, in scriptiones Symmachi & Themistij de Religionis cuiusuis indifferentia aptiùs caderet, quàm in alias pleraſque in speciem nocentiores. Nunc enim error quem illi adulta iam Christianitatis luce Ethnicismo indormientes stabiliebant, pernicioſissimè serpit. In cæteris, sufficit nouacula, radens superflua.

Patrum allegoriæ in rem propositam.

335. Quod enim ex S. Hieronymo *epistola* 84. *ad Magnum*, post Origenem *homil.7. in Leuit.* vulgatissimum est, libri Ethnicorum, eraso quicquid in eis emortuum est, idololatriæ, voluptatis, errotis; id est, firmato aduersùs ea omnia mentis assensu, vtiliter contrectantur. Quo Patres prædicti, necnon Blesensis *epist.*8. & Petrus Damiani *opusc.*13.*c.*11. accommodant quod *Deuter.*21. præcipitur, de capite, ac supercilliis captiuæ mulieris radendis, omnibúsque toto corpore pilis, & vnguibus amputandis, priusquam in coniugem assumatur. Similiter enim, resecto ab Ethnica literatura, ad modum prædictum quouis emortuo, fas est Christiano, copulari eidem captiuæ doctrinæ, (quam in iniustitia detinent eduersarij;) & vernaculos ex ea Domino Sabaoth procreare. Huius sapientiæ typus, ait alio loco Hieronymus, (nempe *epistola* 146. quæ est ad Damasum, agens de siliquis porcorum, quas signare ait libros, & doctrinas Ethnicorum,) & in Deuteronomio sub mulieris capitiuæ figura describitur; de qua vox diuina præcipit, vt si Israëlites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præsecet, & pilos auferat; & cùm munda fuerit effecta, tunc transeat in victoris amplexus. Hæc si secundùm literam intelligimus, nónne ridicula sunt? Itáque & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis. Si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus: si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de cura secularium rerum; hæc radimus, his caluitiem inducimus, hæc in vnguium morem, ferro acutissimo desecamus.]

336. Exitum filiorum Israël expilatis Ægyptiis, in hanc rem interpretatur S. Aug. 2.*doct.Christ.cap.*18. & 40. ac Blesensis *epist.*91. & optimè S.Cyrillus *lib.*1. *de ador. ferè in fine*, cùm de structo, & ornato è spoliis Ægyptiorum, tabernaculo Hebræo. Qui item in hanc ipsam rem præclarè differit *lib.*7. *de Adorat. ad finem libri.* Ad hoc item negotium, Gregorius Nissenus *lib.de vita Mosis*, accommodat allegoricè circumcisionem filij Sephoræ, docens id pertinuisse ad monstrandum, faciendam esse Christiano circumcisionem Ethnicæ literaturæ. Orig. *hom.5.in Leuit.* hanc esse, ait, oblationem super fermentato.

337. Nec caremus vsu & praxi Sanctorum, hac in parte. Ipsum Apostolum, librorum Ethnicorum plagulas proculisse constat: vsurpasse, inquam, Epimenidis, Callimachi, Menandri, ac Arati loca; & vsurpando, ea sanctificasse, vt dixit Orig. *hom.*39. *in Lucam.* [Secularem versum assumens, (ait S. Hieronymus *epistola* 8. de versu allegato 1. *Cor.* 15.) fecit Ecclesiasticum. Sanctos item Patres & Doctores in Ecclesia Christiana celeberrimos, prodere se in eorumdem Ethnicorum libris versatissimos, monstrat diligenter ac sigillatim S. Hieronymus *dicta epist* 84. cùm ei Calpurnius cognomento *Lanarius*, id est, æmulus Ruffinus, per Magnum obiecisset, cur Ethnicorum sordibus candorem Ecclesiæ pollueret, & de Poëtarum ac Oratorum & Philosophorum Ethnicorum scriptis, diteſceret. Nominatim verò Origenem, suis autorem fuisse, vt demptis Atheorum libris, omnes omnium, & Poëtarum & Philosophorũ libros peruolutarẽt, Greg Thaumaturgus autor est, in Charisteria: qui id ab eo sapienter esse factũ agnoscit. Id in veteri lege seruasse Danielem, & ante legem, Mosem, notat S.Basil. *orat.de.*

legendis

legendis fructuosè libris Gentilium, & Beda *in allegoricis expositionibus Samuëlis.* De Mose rursus, ac Isaia, & Paulo, S. Gregorius *lib.5. in 1.Reg. cap.3. in fine.* De Isaia, Hieremia, & Paulo, idem habet S. Ambrosius *lib.3.de fide c.1.* In hanc rem luculenta extat disputatio apud Rupertum, bona parte *libri 7. de operibus Spir.sancti à cap.10.* & apud Socratem *lib.3. histor.c.14.* occasione edicti Iuliani, quo veritus Ethnicam fabulositatem deprehensum, & conuictum facilè iri à Christianis, si libros Ethnicorum euoluerent, interdixit illis lectione librorum Gentilium: quod edictum extincto mox Iuliano euanuisse, meritóque non vulgarium modò maiorum, sed etiam ipsius Apostoli exemplo & vsu, Christianos resumpsisse libros Gentilium demonstrat *ibidem* Socrates.

Sic nimirum insitio fit Ethnicarum literarum cum Christianis, quod Clemens *6.strom.* omninò egregiè, faciendum monstrat verbis illis post disciplinarum humanarum collationem cum oleastro, Christianarum verò cum olea satiua. [Plus, (inquit,) nutrimenti accipit inserta olea, propterea quòd sit plantata in agresti. Assuefit autem veluti concoquere nutrimentum, dum assimilatur pinguedini satiuæ. Sic etiam Philosophus, qui aggresti oleæ assimilatur, cùm multa habeat non cocta, propterea quòd & lubenter inquirat, & facilè assequatur, & pinguedinem appetat veritatis; si per fidem, diuinam acceperit virtutem, in bonam & mitem insertus cognitionem, tanquam oleaster insitus in sermonem verè pulchrum, & misericordem, & quod traditur nutrimentum concoquit, & fit bona, & satiua olea. Insitio enim eas quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ; & scientia quæ est ex cognitione.] 338.

Pulchrè denique Petrus Blesensis *epistola* 1. [Si causa publicæ eruditionis, aliqua de libris Gentilium fuerint interserta, vobis in fastidium non veniatur. Nam & Dauid de diademate Melchom, idoli Ammonitarum, sibi diadema composuit. Et Paulus Apostolus ad improperium Galatarum, quandoque versus Homericos eleganter aptauit] Pleniùs etiam *epist.8.*

Erotema XII.

Saracenorum libri an ferendi, præcipuéque Alcoranus.

Gentilium libris subnecto libros Saracenorum atque Turcarum. Quod enim Petrus Cluniac. *in summa contra sectam Ismaëlitarum* rectè aduertit, annuúntque Vgolinus *de casibus Papæ reseru. 2.p. c.1. §. 1. num. 3.* Simancas *in Instit.tit.39. n.4.* & Sanchez *in Decalogum lib.2.c.10. num.22.* quamuis Saraceni, seu Turcæ, interdum vocentur hæretici, quia aliqua nobiscum credunt; alia respuunt, rectiùs tamen Ethnici censentur, quia neque Baptismum quem Christus Ecclesiæ suæ ianuam constituit, neque vllum prorsus Christianum Sacramentum vsurpant; quod nullus vnquam fecit hæreticus. 339.

Non

Non interdicitur libris, idcirco tantùm quòd à Saracenis sint conscripti.

Saracenorum ergo libros, de quibus hoc loco quærimus, cùm in se esse malos oporteat, non eos intelligimus qui ab Saracenis Mahumetem sectantibus de argumento quocunque sint editi, sed qui Saracenica dogmata ritúsque complectuntur; nam Auicennæ, Auerrois, multorúmque aliorum Arabum Mahumeti addictorum Philosophicos, & Medicos, vel Astrologicos libros, nemo damnat, idcirco tantùm, quòd ab hominibus Saracenicæ superstitionis sint conscripti. Imò quamuis interdum in horum Scriptorum libris, aduersùs Christianos, obiter aliquid intorqueatur, (quale est quod Auerroes Christianis obiicit, quòd comedant Deum suum,) non est quòd interdictum librorum illorum lectione quis credat, cùm nullum periculum sit ab istiusmodi iaculis in fidem nostram intortis; sed potiùs quòd circa libros Gentilium suprà notauimus, confirmet ea insectatio, veritatem Catholicam, præbeátque manifestum argumentum sensus Catholicorum, quem sic allatrarint hæc à vero auersa pectora.

340. Raymundum Lullum, scribit in eius vita Carolus Bouillus, à Summo Pontifice Clemente V. tentata etiam interpositione Philippi Pulchri Francorum Regis expetiisse, vt Auerrois in Aristotelem commentarios proscriberet, igníque addiceret; eo quòd commentarij illi aduersentur Catholicæ veritati, & scateant erroribus, qui iuuenum mentes facilè peruertunt, & à synceritate ac puritate fidei abductos, sensim ad impietatem disponunt. Hoc cum precibus, & porrectis supplicibus libellis, ac etiam conscripto ea de re libro expetiisset Raymundus, negat Bouillus fuisse auditum, siue à Pontifice, siue à Rege. Congruentior & exauditu facilior fuisset petitio, pro qua nunc, (quæ Dei benignitas est,) non est satagendum. Nimirum ne Auerroes oraculi loco esset in scholis: quod cùm superiore seculo, & paucis anterioribus, inualuisset, præsertim in Italia, vt Canus *lib.* 10. *de locis c.* 5. notauit; occasio fuit magnorum in otis illis errorum, & inutilis diligentiæ, qua aliqui non minùs in peruolutando Auerroë collocabant operæ, quàm in sacris literis ponant, qui iis maximè delectantur: nec fidei minùs Auerroi tribuerunt, quàm optimi quique fideles Canonicis scriptoribus: quod indignissimum fuisse, nemo non videt. Nunc Auerroes in scholis depontanus euasit.

Quid de Saracenorum libris dogmaticis statuendum.

341. Sed si de libris Saracenorum, (vt ita dicam,) dogmaticis, eorúmve ritus, ac fabulositatem prodentibus, præsertímque de Alcorano sit sermo, videri potest configendos esse, quia cùm Mahumetismus in magna Orbis parte altissimas radices egerit, ac etiamnum vigeat plurimùm, & illices habeat quibus facilè capiantur improuidi, & carnei homines; nempe effusam libidinandi, & quidlibet impiè agendi licentiam: meritò timeri potest, ne lectio huiusmodi librorum, fraudi sit simplicibus, aut iis qui in se flammam intelligentiæ peruersitate morum extinguunt, (vt D. Augustinus *tractat.* 8. *in Epistolam Ioannis*, de iis scitè dixit,

dixit,) qui in se malè viuendo fidei lumen effoderunt. Quo ex genere quam plurimos, à tempore defectionis Lutheri, ad Turcas deserto Christo abiisse, Lindanus in Dubitantio *dialog.* 2. Gulielmus Reginaldus in Caluito Turcismo describentes Nouatorum, & Turcarum affinitatem, aliique meminerunt. Ex altera verò parte, videri possunt hi libri confixioni non patere, quia eadem illorum videtur esse ratio, quæ librorum ritus Ethnicos, & impia sacra complectentium, quæ constat impunè prostare.

Tractans hoc punctum Antonius Sanctarellus *tract. de hæresi c.*14. *dub. vnico, propositione* 7. ait, Alcoranum per se non prohiberi, sed ratione scholiorum impiorum, notarúmque ac præfationum Lutheri ac Melanchtonis, quibus Basiliensis editio Alchorani, per Theodorum Bibliandrum damnatæ memoriæ scriptorum adornata, contaminatur. Hoc verè & rectè autor ille. Et addere æquè poterat, ipsius Bibliandri Apologiam, qua Alcorano patrocinatus est, dignissimam fuisse quæ configeretur. Omnium quippè librorum prohibitorum indemnitati, studet meribibulus ille, vsque adeò, vt non erubuerit contra Theodosij, & Valentiniani Imperatorum legem de comburendis Nestorij libris, grunnire. Hæc igitur concedo Sanctarello. Sed addit quo euenti videantur quæ sic sunt constituta; addit enim rationem, cur Alcoranus prohibeatur esse, quia in eo agitur de Religione nationis, hoc tempore maximè potentis, & ad corporum voluptates patentissimum ostium aperientis; quæ sunt valida corruptelæ illectamenta. Hæc, inquam, ratio monstrare videtur, Alcoranum non vetari tantùm ratione impiarum Bibliandri annotationum, vel ratione præfationum Lutheri ac Melanchtonis, sed per se ac ratione contextus ipsiusmet Alcoraui, quo Apostasiæ hami, quos diximus, apponuntur. 342.

Per se loquendo, libri prædicti à confixione immunes.

Quare dicendum videtur, sepositis Lutheranismi fæcibus per summam nequitiam illi is, quas constat iure damnari; item nisi obstarent spurcitiæ perpetuæ, queis Ricoldus *c.*8. Alcoranum fartum monstrat; his, inquam, sepositis, & spectato solo periculo inducendi ad Turcismum, Alcoranum, vniuersè loquendo, non videri configendum, seclusis peculiaribus personarum circumstantiis, cuinsmodi frequentiores, & periculosiores esse possunt degentibus inter Saracenos, vel Mahumetanos, aut non procul ab eis, vbi commercium, & frequentia Saracenorum alloquia peruersionem simplicium, aut in fide minùs firmorum, faciliùs promoueret. Quod spectasse crediderim Nicolaum I. cùm de libris à Saracenis per Bulgaros ereptis, (vtique Saracenicis,) ita Bulgaris respondet *c.*103. [De libris profanis, quos à Saracenis vos abstulisse, & apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit inquiritis, qui nimirum non sunt reseruandi; corrumpunt enim, sicut scriptum est, mores bonos, colloquia mala; sed vtpotè noxij, & blasphemi, igni tradendi.] Nimirum Bulgari erant Saracenis ferè propinqui, ideóque illis timebat Pontifex. Qua ratione videmus, ex quo in his regionibus cuilibet quidlibet credendi potestas publicè facta est, Catholicos ex vsu assiduo, atque conuictu cum hæreticis, dedidicisse horrorem hæreseos; & cum amore personarum hæresim profitentium, quem variæ necessitudi- 343.

nes conciliant, ad combibendum errorem sensim sine sensu disponi ac condocefieri. Non enim ægrè contingit, vt illius ex parte aliqua religionem probes, qui in conuictu politico, & humanis negotiis arrideat; & boni viri, non perfidi, non cruricosi, non rapacis, non crapulæ aut Veneri dediti, opinionem collegerit. Ex quo autem nefarij dogmatis particula quæpiam contra Ecclesiæ scita arriserit; vniuersum nequitiæ corpus exruſa vera fide animum subit; quia, vt rectè dixit Phœbadius *lib. contra Arrianos.* [Si quid receptum fuerit contra fidem veniens, totius fidei damnum est.] Idem perpulchrè tradit Arnobius iunior, ferè initio libri primi conflictus cum Serapione. Idemmet ergo periculum, Catholicis inter Saracenos ac Turcas, vel non procul ab eorum sede degentibus impendet, ratione cuius, configendus meritò est Alcoranus.

His verò circumstantiis sepositis, (sicut reuera in his regionibus non habent
344. locum,) & resectis, (quod iam præmisi,) impiis accessionibus per Mahumeti affines, Lutheranos & Caluinistas factis, nullum videtur periculum, à Latina cuiuscunque Saracenici libri, ac nominatim Alcorani, lectione imminere. Itaque secluſa superiorum prohibitione, legi posset latiuè. Imò interesse videtur, non ignorari, quantus sit Christianæ religionis splendor, præ Mahumetana superstitione: quod præsertim deprehenditur ex nitore & sanctitate codicum nostrorum, præ illuuie & sordibus; quibus, cùm alij Mahumetanorum libri perpetuò conspurcantur, tum maximè Alcoranus. Nam, & obscœnitatibus scatet, & iugibus contradictionibus refertus est; tòrque & tam portentosis mendaciis, & fabulositatibus incredibilibus refertus, vt ne fingere quidem aliquid monstrosius liceat libro illo: quod præsertim versat Ricoldus *in confutatione c.9.* Ideóque Christianam legem apud lectores Alchorani stabiliri ait Armach. *lib.18.qq. Arm.c.9.* Præterea adeò insulsè & confusè conscriptum esse illud opus, rectè aduertit Hieron. Sauonarola *lib. 4. de veritate fidei, cap. 7.* vt à nemine ordinem vllum in eo notari posse, rectè confirmet; quod præcipuum est ignorantiæ, ac socordiæ signum.

345. Et inde est, quòd Saraceni, vulgari Alcoranum, vel in alias linguas verti, nulla ratione adducantur, vt sinant. Audi Ricoldum *c.9.* [Ego firmiter sensi, quòd Saracenorum maximè sapientes, & qui literarum peritiam habent, verbis Alcorani nullam adhibent fidem, sed fictionem doctrinæ eius aduertunt. Signum autem huius, quod cum aliis sapientibus hi publicè disputare recusant, sicut ego per experientiam ipsam cognoui; & ipsum Alcoranum in medium afferri nolunt; vehementissimè enim tristantur, cùm ab aliis legitur, & nequaquam volunt in alias linguas ipsum transferri, Scimus autem, quòd purum aurum, neque aquam timet, neque ignem, neque indicem. Propter hoc Christiani veritati veri Dei confidentes, quæ fortissima est, & manet in æternum, libenter de Euangelio cum aliis nationibus disputant; & gaudent cùm ab aliis nationibus legitur, desiderántque ipsum omnibus publicari, & in alias linguas transferri. Et non literis solùm, sed etiam scripturis publicis Ch[illegible]em ostendunt, quod aliis gentibus ludibrium, & ignominia videtur] Vide *ibidem cap.16. initio.*

346. Eum librum primus latinè fecit Ioannes Hispanus in Concilio Constantiensi sub Martino V. confutauitque diligenter. Quod præstitum item est ab aliis.

aliis complurib̃us, nominatim à Ricardo, quem Demetrius Cydonius referente Volaterrano, in Græcum conuertit. Eum Nicolaus Cusanus vocat *Ricoldum*, & plus cæteris sibi placuisse ait, *in prologo suæ*, (vt inscribit,) *cribrationis Alcorani*: quo etiam profitetur, autorem se fuisse Dionysio Richelio Carthusiano, vt opus quod de eo argumento edidit, elucubraret. Memorat præterea Cusanus, visum abs se opusculum Sancti Thomæ de rationibus fidei, ad Cantorem Antiochenum, & alium Cardinalis Sancti Sixti, Ioannis de Turrecremataa. Ex recentioribus, Ludouicus Viues splendidè & diligenter vniuersum hoc argumentum versauit *toto lib. 4. de verit. fidei*; vbi *c.* 15. bene examinat turpitudinem, & infamiam paradisi, in Alcorano propositi, de quo puncto disseruit etiam prolixè, & egregiè Gulielmus Parisiensis *lib. de legibus c.* 19. multa de autoris nequitia, & turpitudinibus prælocutus *toto c.* 18. Plurima item, & de autore, & de secta, Cantacuzenus *in orationibus & apologiis*, necnon Euthimius *tit.* 24. *panopliæ*. item Ioannes Galensis & Albertus VVidmestadius contra Mahumetem.

EROTEMA XIII.

An Rabbinici, Thalmudici, Cabalistici libri, sint censura percellendi

RAbbinicos libros in hoc ordine collocandos esse, persuadeor ex eo, quòd tametsi libri mali sunt, tamen vix noxij esse possunt, si lectori mens sit non læua, & ex præiudicata de eorum inanitate, & fabulositatibus crebris sententia, aduertat, vbi pedem, (vt sic dixerim,) figat. 347.

Næui in scriptis Rabbinorum, Christo posteriorum.

Quod Rabbinorum libros in se malos pronuncio, non de illis Rabbinis, qui Christum antecesserunt, accipio; sed de iis, quorum extant libri. Omnes enim huiusmodi Rabbinos, quorum extant opera, fuisse Christo posteriores, cùm sæpè illatę populo Hebræo per Romanos cladis meminerint, censuit Bellarmin. *in opere de Scriptoribus, in calce tractationis de Scriptoribus veteris Testamenti.* Quanta verò peccent hi Rabbini, siue Scripturam interpretentur, siue somnia procudant narrationum, aut quicquid tandem scriptis committant, neminem latere existimo. Scripturas certè adeò crasse interpolant, verius, quàm interpretentur; adeò in sensus à plano alienos detorquent, vt nihil possit proferri indignius. Nec mirum. Habentes enim cor obcæcatum, & velamen super oculos oppassum, vt Apostolus monuit; studiosè quoque cauentes ne in Christum quem Scriptura vniuersa inclusum continet, quoquomodo incurrant; auertunt quanta possunt malignitate mentis oculos à sensu eius genuino, & vel in occidente litera sistunt, vel ad inconditas allegorias eam transferunt.

348. Quòd si ante horrendum illud scelus, quo Iudæi dimitti à Deo, & in sensum reprobum tradi meruerunt, Philo vir ingenij perspicacissimi, & amœnissimi, vsque eo tamen incondita interdum proposuit in Scripturæ interpretatione, vt iure D. Augustinus 12. *contra Faustum cap.* 39. prodiderit, inde apparere quantum interfit, vtrùm ad Christum referas omnia, an præter illum, quaslibet coniecturas quolibet mentis acumine persequaris; quanto minùs videri debet mirum, fœdè obtorsisse Scripturam, & circa eam ineptiisse, nepotes generationis pessimæ, abiectæ à Deo, nec relictos, nisi vt sint capsarij nostri, ac libratij, quod idem S. P. sæpè annotat? *Capsarios* dico, non interpretes; & *librarios*, non Doctores. Taceo mendacia atque figmenta perpetua; est enim Rabbinis proprium quarto modo, fabulari, & quæ nunquam fuerunt, eúntve vnquam, tanquam vera proponere, adeò crassè ac stolidè, vt ne ingenij quidem mica prodatur in commin scendo dextrè, & appositè, fingendóque probabiliter, & aptè ad persuadendum.

Quatenus ferenda, aut non ferenda.

349. Sunt igitur Rabbinorum libri in se mali, non tamen noxij, quia nemo est adeò bardus Christianorum, vt in tanta ab vrdissimarum insulsitatum luce impingat, & stupiditati Rabbinicæ astipulari velit, cùm Rabbinum à Christianis scitis deflectere deprehendit. Quòd si qui interdum Rabbini, in Christianum nomen calamos strinxerunt, qua sunt in filios defertæ malè animata voluntate, *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos, linguæ eorum.* Frigent, inquam, eorum calumniæ, & tam retusis telis, vulnus altè adigi non potest: vel si alicubi impotentia mentis, fines veniabilis concitationis, in homine obcœcato est prætergressa, tunc spongiam adhibendam esse, quæ, saluis cæteris, eam partem abstergat, nemo inficias iuerit. Quod item dicendum est de execrationibus, aut blasphemiis in Christum, quibus nebulones perditissimi, impiè proscindunt quem parentes eorum confixerunt. Et hoc tantùm probant, quæ pro extirpandis libris Iudæorum tradit Alphonsus de Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione c.* 15. *in fine.*

350. Quoad cætera quantumuis insulsa, & inania, eatenus commodare Christianis possunt Rabbinorum scripta, ideóque videntur non configenda, quatenus cùm sint perspersa variis antiquis moribus per manus à Iudæis antiquioribus ad istos deriuatis, & explicationem contineant rituum multorum, aut prouerbiorum ac formularum iam olim vigentium in ea gente, lux inde non exigua affundi potest variis Scripturæ locis, in quibus ritus illi, aut mores insinuantur, vel parœmiæ, aut formulæ vsurpantur. Qua ex causa Sanctus Hieronymus *Apol.* 1. *aduersùs Ruffinum*, ait Origenem, Clementem, & Eusebium, Rabbinos lectitasse, & eorum interpretationes non semper esse aspernatos. Quod de seipso quoque prodit *in cap.* 2. *Nahum.* Idem à posteris factitatum. Sic enim Caninius, ex Iudæorum vsu, pleraque noui Testamenti loca, est cum laude interpretatus. Lyranus ex iisdem profecit persæpè, necnon Burgensis, Eugubinus, Oleaster, & alij Hebraïzantes, itémque Galatinus in opere de arcanis Catholicæ veritatis.

Et

Et vt omnis alia abesset vtilitas, illa tamen semper suppetet non exigua, quod cum Rabbinorum ineptiis temporis partem aliquam iuuat concedere, summa stupiditate eorum perspecta, & causa tantæ ruditatis quæ neminem latere potest, annotata, afficimur multo magis ad nostra, & in Christum lucem, & sapientiam nostram, ac debemus, animamur.

Tandem quod aiebam, Rabbinos esse capsarios, & librarios nostros, 351.
vsum non modicum, vel ab inuitis in rem nostram, extare ex eorum libris, demonstrat. Attestantur enim veritati Euangelicæ, iis libris vtcunque interpretandis, in quibus res Christianæ tanto antè sunt prænunciatæ. Ita sæpè S. Aug. ac nominatim *lib. 1. de consensu Euang. cap. 14. & serm. 32. de temp. & 67. de diuers. & in Psalm. 40.* & rursus *in 56. ad. vers. 4. & epistola 59. ad q. 2. ac. 18. ciu. c. 46.* Esseque in hunc finem per totum orbem dispersos Iudæos, sic scribit *serm. 1. ex 40. nouis.* [Iussit Imperator Romanus, iam Christianus, vt ad ipsam Ierusalem non accederent Iudæi. Et sparsi per orbem terrarum, facti sunt quasi custodes librorum nostrorum; quomodo serui, quando eunt in Auditorium domini ipsorum, portant post illos codices, & foris sedent; sic seruus factus est filius maior, filio minori. Nam aliquando mouent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus, certi aliquid cognoscitur. Ideò ergo sparsi sunt, vt nobis libros seruent. Maior ergo minori seruit.] Iussum Imperatoris Romani iam Christiani, est edictum Constantini Magni, memoratum à Chrysostomo *homil. 3. contra Iudæos*, quo miseri Iudæi vrbem Hierusalem contra interdictum instaurare aggressi, amputatis auribus multati, & in varias oras sparsi ad cæterorum terrorem, nobis insuper in librarios atque capsarios sunt facti.

Nec dissimiliter de Iudæis statuunt, S. Iustinus *in paræneſi, circa medium*, S. Chrysost. *in Psalm. 44. initio, & in Psalm. 8. & hom. de Cruce, media Quadragesima, sub finem.* Non sunt ergo omnes Iudæorum, & Rabbinorum libri per omnia explodendi. In quam rem legendus Mariana *opusc. pro edit. vulg. cap. 27.*

Quid de Thalmudicis libris statuendum.

Thalmudicorum librorum eadem esse ratio posset quoad Christianos, si per 352.
maiores liceret. Sunt enim Thalmudici libri, quasi Pandectæ iuris Iudaici, cùm Ciuilis, tum Pontificij, & sacri. Itaque Iudæorum instituta, ritus, & leges, his libris continentur; possúntque proinde non modicè ad Scripturæ intelligentiam commodare. Differunt de horum librorum varietate, & partitione, initiísque, ac progressione, (non enim omnes vno tempore sunt conscripti,) de autoribus insuper, & argumentis, quæ quisque eorum prosecutus est; varij Recentiores, nominatim Genebr. *lib. 3. Chronol.* Serarius *lib. 1. de Rabbinis, cap. 14.* Sixtus *lib. 2. Bibl. v. Traditiones seniorum.* Petrus Gregorius *lib. 12. de Rep. cap. 5.* Galatinus *lib. 1. de arcanis cap. 5.* Hos libros, sanè in se malos, ob multam mendacitatem, & fabulositatem, multa legi naturæ, & morum honestati contraria, quorum indiculum confecit Sixtus Senensis *lib. 2. Bibl. v. Traditiones seniorum*, Petrus Alphonsus *in Dialogis*, (hunc lectione Thalmudis, tot in eo notatis absurdissimis impietatibus, factum Christianum,

notat Turrianus *lib. de permittenda Iudæis sola lectione legis & Prophetarum*,) ac Hieronymus à S. Fide *toto lib. 2. contra Iudæos*, & Finus *lib. 9. flagelli à cap. 5. ad 21.* Ob eas tamen quos dixi commoditates, & quia vix Christianis nocere possunt, referendos dixi in hunc ordinem; dummodò quod circa Rabbinos notabam, resecentur quæ æstus inuidiæ ac furoris, pecoribus maledicentissimis in Christum, ac Deiparam, noménque Christianum blasphema, & execranda extorsit. Ea verò maximam partem non primis librorum Thalmudicorum autoribus excidisse, sed à progenie vitiosiore per malignitatem in dies auctiorem infarta esse, argumento est, quod nouæ horum librorum editiones, locupletatæ huiusceмodi accessionibus, semper prodierint. Sic ergo emaculatos, & ad primum statum reuocatos libros Thalmudicos, spectata solùm rei natura, censuerim posse subduci damnationi.

Seuera de Thalmudicis scriptis iudicia.

353. Aduersari non paucis Pontificum decretis videbimur, nisi attentum lectorem, & eorum, quæ præmisimus, memorem, nanciscamur. Gregorius namque IX. referente Bernardo de Luxemburgo, libros Thalmudicos igni addixit anno 1230. S. Ludouicus Rex Galliæ, idem fieri iussit anno 1239. vt scribit Thomas Cantiprat. *lib. 1. de Apibus cap. 7.* addita narratione insignis diuinæ vindictæ in Archiepiscopum, qui pecuniis corruptus, vt libri Thalmudici Regio edicto ignibus adiudicati, subducerentur exitio, & Iudæis redderentur, autor fuerat. Sed flagellato pestilente, esse innouatum edictum, & magno numero combustos fuisse libros Thalmudicos, addit Cantipratanus: qui libros Thalmudicos Iudæis Orientalibus abominationi fuisse prodit, vsque adeò, vt hæreticos & excommunicatos reputarent Iudæos Occidentales, qui contra legem Mosis ac Prophetas, Thalmudicos libros recipiunt & exscribunt. Hæc Cantipratanus, occasione Gallicanæ censuræ in hos libros. Innocentius item IV. anno 1244. *constitut. 41.* libros Thalmudicos in Galliis conquirendos, & comburendos edixit. Id quod antea sub Gregorio IX. Cancellarius Parisiensis de sententia Magistrorum curauerat. Gregorij, & Innocentij edictum renouauit Iulius III. *constit. 46. anno 1553.* intentatis in retinentes hos libros, grauibus pœnis, & iis ipsis, quæ à fide deficientibus sunt constitutæ. Reuclinum, quòd apud Maximilianum Cæsarem egisset, vt libri Thalmudici ab igne eximerentur, pessimè audisse, & ægrè nomen indemne seruasse, testatur Conradus Brunus *lib. 6. de hæreticis, cap.* item 6. Insistens anteriorum Pontificum vestigiis Paulus IV. anno 1559. ad exustionem librorum Thalmudicorum, vt & vetitæ lectionis essent, primus adiunxit.

354. Eo anno è Cremonensi Iudæorum Bibliotheca, duodecim millia Thalmudicorum voluminum ignibus consumpta esse, testatur, qui se affuisse insinuat, & indicem eorum repræsentat; Sixtus Senensis *lib. 2. Bibl. v. Traditiones seniorum.* vbi etiam exhibet breuiculum blasphemiarum in Deum, ac Christum, impietatum quoque in Sanctos veteris Testamenti, & in legem Mosis, ac legem naturæ; tandémque præcipuarum quarundam superstitionum, ac fatuitatum, quibus libri Thalmudici perspersi sunt. Inde stirpitus eradicandos esse huiusmodi libros, contendit Sixtus, grauiter incusans Galatinum, qui Thalmudicos

libros

libros commendat, Christianis *lib.* 1. *de arc. c.* 7. Verùm adhibuerat restrictionem Galatinus *in fine capitis*, quæ premenda non fuerat; nempe vt in iis tantùm probarentur Thalmudici libri, quæ in eis sunt bona, & innoxia. Itaque non commendat impietates, quas in libris illis damnat Sixtus.

Aptantur ad resolutionem propositam.

Hæc non me dimouent de sententia, qua libros Thalmudicos, quoad Christianos, negaui hoc tempore videri configendos. Sed tantùm detersa quibusdam locis blasphemiarum in Christum, & Christianum nomen tetra admistione, purgandos esse; in reliquis arbitrio lectorum, qui esse vix possunt, nisi periti, quibus proinde damni ab hac lectione periculum non impendeat, permittendos videri. At Pontifices, qui hos libros ignibus addixerunt, Iudæos ipsos spectarunt, quorum erat tunc temporis numerosior cœtus: & non pauci Christianismum facilius cogitassent, nisi ea lectione, & præsertim falsis in Christum, ac Christianos criminibus, quæ ibi leguntur, obfirmati fuissent in errore. Idque verissimum esse, fusè confirmat Turrianus *lib. de sola legis lectione Iudæis permittenda.* Accedit quòd eorumdem librorum lectione, Iudæi ad fœda pleraque, immò immania, contra ius naturæ, & humanæ societatis leges, impelluntur: à quibus malis eos auertere, interfuit Christianæ potestatis, præsertim eius, quæ suprema est in Ecclesia, non modò, quia obnoxij sunt ei temporaliter plerique Iudæi, sed etiam, quia vbiuis in Christiano orbe, peccata per se, vel per alios intercludere, pars est illius sollicitudinis omnium Ecclesiarum, quam ei summam, & plenam credidit Deus. Tandem opprobria in Christum, & blasphemas in Deum voces, ab iis, qui inter Christianos degunt, impunè fundi, iniustissimum foret. Itaque meritò in libros Thalmudicos animaduersum est, quoties per audaciam gentis attritæ, sed non reuersæ ad cor, semina odij, quo in Christum & Christianos flagrant, iis conuitiis & probris augendis, & ad lucem iteratò vocandis repullularunt. Vt autem Christianis horum librorum vsu interdiceretur, non tulit mens Pontificum. Et, vt aliàs fortassis tulisset, nunc tamen mutatis circumstantiis, mollitus est rigor ille, quod ex Romano Indice expurgatorio Clementis VIII. autoritate edito, anno 1595. liquet, in quo vsus horum librorum per Paulum IV. simpliciter damnatorum, ac ferè etiam per ipsum Clementem VIII. in constitutione anni 1593. seruatis iis, quas adhibuimus, temperationibus, indulgetur. 355.

Libri Cabalistici antiqui, puri, & probandi.

Restant Cabalistici libri, quo nomine intelliguntur propriè libri illi quibus continetur doctrina diuina, non scripto primùm, sed voce duntaxat tradita, & aliquamdiu voce transmissa ad posteros. Vt enim Simon Iudæus exponit apud Reuclinum *lib.* 1. *de arte Cabalistica*, *Cabala* Hebraicè dicitur *receptio*, & subdit. [Est enim cabala, diuinæ reuelationis ad salutiferam Dei, & formarum separatarum contemplationem traditæ, symbolica receptio; quam qui cæ- 356.

lesti

lesti sortiuntur afflatu, recto nomine *Cabalici* dicuntur ; eorum verò discipulos, cognomento *Cabalæos*, appellabimus ; & qui alioquin eos imitari conantur, *Cabalistæ* nominandi sunt, perinde atque circa editos illorum sermones quotidiano labore desudantes.] Habes *Cabalistarum* à *Cabalæis*, & *Cabalicis*, distinctionem, & *Cabalæ* notionem. Longam seriem & successionem Cabalicorum primùm, dein Cabalæorum, tandem Cabalistarum, texit Reuclinus sub medium eiusdem libri primi ; vbi etiam ait, nomen *Cabalistarum* qui *Mekablim* Hebraicè dicti, primò esse donatum latio, à Ioanne Pico Mirandula.

357. Est ergo Cabala doctrina per manus recepta, cuiusmodi apud nos est *doctrina sacrarum traditionum* à Christo, & Apostolis verbo tenus Ecclesiæ commissa. Apud Hebræos autem non est dubium, quin Moses Legislator, de plurimis edoctus diuinitùs sit, quæ sacris scriptis non sunt consignata. Et tamen ad posteros per vocem sunt transmissa, vt agnoscunt Origenes hom. 5. in Numeros, ad illud Rom. 3. credita sunt illis eloquia Dei ; (vbi eloquia secernit à Scripturis.) Itemque Anatolius Christianus Doctor perantiquus, apud Euseb. 7. histor. cap. 28. ac S. Hilar. in Psalm. 2. verbis illis, [Ex tot iam à Mose ante quàm is veteris Testamenti verba in literis condidisset : tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangeliis meminit : *super Cathedram Moysi*, (inquit) *sederunt scribæ & Pharisæi ; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite : secundùm verò facta eorum, nolite facere.* Doctrina ergo horum in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum, & numero, & officio conseruata est.]

358. Hæc igitur est quàm dicunt *Cabalam*, & libri quibus ea à Mose non scripta continentur, *Cabalistici*, vt plenius exponit Ioannes Picus *q. 5. Apologiæ*, & Seratius *in cap. 10. Iosuë quæst. 2.* Sic accepti libri *Cabalistici*, non sunt confixione digni, vt est per se perspicuum. Nihil enim continent aliud, quàm legis scriptæ interpretationes puras, & nitentes, itémque maiorum consuetudines, ritúsque, & vsus in populo Israëlitico receptos anterioribus ætatibus. Videntúrque huc spectare quæ dicuntur 4. *Esdræ cap. 14. initio, & versu 45. & 46. Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt, quæ dicebantur excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem, ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per 40. dies, libri ducenti quatuor, & factum est cùm compleuissent 40. dies, locutus est Altissimus, dicens : Priora, quæ scripsisti, in palàm pone, & legant digni, & indigni. Nouissimos autem Septuaginta, conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen.*

Infarta in Cabalam à Rabbinis, succîdi digna.

359. At hoc merum, Rabbini variis affusionibus diluerunt ; caupones profectò non boni, vt rectè pronunciauit de hac Cabala Sixtus *lib. 2. Biblioth. v. Esdras.* Eiusmodi est, quod de lege in igneo globo scripta, eiúsque literis variè postea permutatis comminiscuntur. Item quod de 72. Angelis, fingunt. Præterea quod

quod de mirabilibus, per certos characteres, ac voces edendis] fabulatur apud Reuclinum *lib.*3. quem Genebrardus *lib.*2.*chronologiæ*, his nugis, & commentis prodendis, sine confutatione, eatum se constituisse patronum; eique astipulatos esse Paulum Riccium, & Ioannem Picum, demiratur: addens hanc verè esse vanam artem circa literarum apices, numeros, transpositiones,anagrammatismos,alluſiones, amphibologias, vocum inuersiones languentem; à Marco, & Colarbaso,Valentini discipulis,vt est apud S. Irenæum *lib.*1.*cap.*9.& 10. & ab aliis Gnosticis, referente sæpè S. Epiphanio, vsurpatam ad suorum commentorum confirmationem, per Græci Alphabeti literas. Recensent libros huius furfuris, Petrus Gregor. *lib.*17. *de Rep. cap.*5. *num.*2. Reuclinus *lib.*1. & Andreas Masius *in calce commentariorum in librum Iosue.* Quid quòd his nugamentis abusi sunt aliqui,ad diuinationes & Prophetiæ famã,cum scelere aucupandam? Refert id Scaliger *exercit.*355. *in Cardanum.* Quædam præterea occulta Dei nominæ apud se extare mentiuntur,quorum ad præstigias,& ad ligandos Dæmones, aliáque, de quibus Delrio *lib.*1. *Magicor. cap.*4. *q.*3. vsum esse illustrem, celebrant; iisque compertis, Christum patrasse miracula quæ edidit, stultè affirmant, vt ex eis refert Sixtus *lib.*2.*verb. Esdras.* Prodúntque etiam alij, quos refero *in Natur. Theol. dist.*5. *num.*199. Hinc ars notoria, interdum legitur vsurpata pro magia. Est quidem *notoria*, præcisè spectata primigenia impositione nominis, scientia notatum, siue compendiariæ per notas scriptionis: vnde *notarios* dictos, obseruat S. Aug. 2. *doctr. Christ. cap.*26. Tamen abusus notoriæ,(quæ, vt mox dicam,pars est Cabalisticæ inertiæ, ad res Magicas, qnales paulo antè proposui ex Iudæis,)effecit, vt duo illa nomina, confusa interdum fuerint, & promiscuè vsurpata.

Triplex Cabalistica negotiatio, extra noxam.

Sic igitur in hac re statuendum videtur. Libri *Cabalistici* propriè dicti, quos priore loco proposui, à confixione immunes esse debent, & haberi in pretio. Alij multa expurgatione egent, vt adiunctæ superstitiones, & magicæ mixturæ amoueantur. Quibus tamen recisis, cætera ad ingenij exercitationem valere possunt, & iam olim sine noxa sunt vsurpata. Hoc vt patefiat, distinguenda est cum Genebrardo loco allegato, triplex huius *Cabalæ* negotiatio. Primam Cabalistæ, (per ignorantiam vocant *Geometriam*, cùm dicenda fuisset *Arithmetica*; expendit enim literæ numeros. Secunda dicitur *Noteriacon*, à *notis*, siue, (vt loquitur Imperator *tit. de verbor. sign.*) captionibus signorum, & compendiosis ænigmatibus, quæ librarij consectabantur compendij gratia, vt apud Ausonium *Epigr.* 137. & apud Martialem *lib.*14. *Epigr.*206. Sed & sydus Virginis considerans Manilius, & natum sub eo notarium describens, sic ait *lib.*4. *Astronom.* 360.

Hic & scriptor erit fœlix, cui litera vorbum est,
Quique notis linguam superet, cursúmque loquentis,
Excipiens longas noua per compendia voces,

Tenera ætas docebatur hæc scribendi compendia, vt constat ex Prudentio describente S. Cassiani martyrium *hymno* 9. *peristeph.* Ait enim de S. Cassiano.

Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo

Septus, magister literarum sederat.
Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

Et mox præfecto pœnas noxiis decernenti, quod genus artis factitaret Cassianus, interroganti,

Respondent, agmen tenerum ac puerile gubernat
Fictis notare verba signis imbuens.

361. Inuentas à Tullio huiusmodi notas, sunt qui prodant: eóque nomine liber *de notis Ciceronianis*, perperam S. Cypriano adscriptus, habetur. Seneca *epistola* 90. hæc signa verborum, (vt vocat Symmachus *lib.* 3. *epist.* 17. & S. Hieronym. *epist. de suspecto contub.*) quæ *epist.* 44. *ad Principiam*, *signorum compendia*, vocat, vilissimis mancipiis inuentoribus attribuit. Tyronem verò Tullij libertum notas excogitasse, quibus non iam vnum verbum, sed integræ sententiæ exhiberentur, scribit Eusebius *in Chronico*. De variis circa has notas, antiquis artificiis, déque multiplici alia significatione *Notoriæ*, vel *Notariæ*, (vtrumque enim dici potest, vt notat Iuretus *infrà*,) videndi qui ad id plurima congerunt, Lælius Bisciola *tom.* 2. *subsec. lib.* 2. *cap.* 12. ac Iuretus *ad lib.* 10. *Symm. epist.* 38. nec non Lipsius *centur.* 1. *ad Belgas epist.* 27. & ex variis præsertim Iurisperitis, Caluinus *in lexico*. Sed supra omnes Blasius Vigenere, eruditissimo opere *de Notis*, præsertim *à pag.* 145. Tertia Cabalæ negotiatio est, qua literæ permutantur, & vna pro alia substituitur. Proferamus triplicis huius negotiationis exempla quædam, planè innoxia, & prorsus vacua suspicione admistionis nefarij pacti.

Primæ expendentis elementarios numeros, exempla quædam.

362. Primæ negotiationis exemplum, habemus *Apocal.* 13. verbis illis, *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius* 660. Videsis ibi interpretes, & Bellarminum *lib.* 3. *de Pontif. cap.* 10. ac Feuard. *ad lib.* 5. *S. Irenæi*, *cap.* 30. Sed plenissimè Florimondum *lib. de Antichr. cap.* 20. *& seqq.* Leguntur item pleraque similia apud Epiphanium *hæresi* 34. Sed & Sibylla quædam, vt habetur *lib.* 1. *Oracul.* prænunciauit, numerum nominis Christi venturi, esse 888. qui numerus literis Græcis nominis *I E S V*, habetur expressus. *Et eorundem Oraculorum lib.* 2. dicitur nomen *Adami* tetragrammaton, quatuor initialibus literis, totidem mundi cardines designare: quod refert quoque S. Cypr. *lib. de Sina*, *& Sion*; nec improbat S. August. *tract.* 9. *in Ioann.* Rursus *tract.* 10. *sub finem*, suppeditans alterum exemplum in rem nostram. Nempe numeri annorum ædificationis Templi, qui expressus habetur in numero dierum, quibus Christi corpus in vtero Virginis absolutum est, vt exhiberi ait numeris quos signant literæ nominis *Adam*.

363. Epitaphium Ioannis Episcopi Nepesini, cuius nota æui per literarum partim Latinarum, partim Græcanicarum, elementa consignatur, huius artificij systema continet, quod iuuat adscribere. Extat Romæ in Monasterio S. Sabæi inciſum marmori.

Hoc humata iacent Ioannis membra ſepulchro,
Qui Nepæ fuerat Præſul in vrbe quidem.
Ne Nepa ſæua ſibi noceat, ſuccurre Redemptor.
Et quæ contraxit crimina, parce Deus.
Nempe loco ſancto voluit ſepelirier iſto,
Quo per hos ſanctos inueniat requiem.
Extenſum per Θ. P. Q. E. Δ *que nexa.*
Chriſti annum monſtrant, quo tranſiit iſte Sacerdos.

Θ 9. P 7. Q 500. E 250. Δ 4. fiunt anni 770.

Ad hoc genus numeri quod in deſuetudinem abiit, dignoſcendum cùm in antiquis ſcriptis occurrit, ponitur hæc tabella.

500. A	300. B	110. C	500 D	
250. E	40. F	400. G	200. H	100. I
150. K	50. L	1000. M	900. N	11 O
7. P	500. Q	80. R	7. S	160. T
5. V	10. X.	159. Y	2000. Z.	

Eadem ſequentes verſus exprimunt, iuxta Valerium Pobum, Petrum Diaconum, & alios, qui de antiquis Notis ſcripſere. 364.

Poſſidet A *numeros quingentos ordine recto.*
Et B *tercentum per ſe retinere videtur.*
Non plus quàm centum C *litera fertur habere.*
Litera D *velut* A *quingentos ſignificabit.*
E *quoque, ducentos & quinquaginta tenebit.*
Sexta quaterdenos gerit F *quæ diſtat ab alpha.*
G *quadringentenos demonſtratiua tenebit:*
H *quoque ducentos per ſe deſignat habendos.*

I C *compar erit, & centum significabit.*
K *quoque centenos, & quinquaginta tenebit.*
Quinquies L *denos numero designat habendos.*
M *caput est numeri, quem scimus mille tenere.*
N *quoque nongentos numero demonstrat habendos.*
Vndenos facit O *cognoscas sic numerando.*
P *similem cum* S *numerum monstratur habere.*
Q *velut* A *cum* D *quingentos vult retinere.*
Octoginta dabit R *si quis eam numerabit.*
S *verò septenos numeratos significabit.*
T *quoque centenos & sexaginta tenebit.*
V *verò quinque dabit tibi, si rectè numerabis.*
X *duplex denos, numero tibi dat retinendos.*
Y *dat centenos, & quinquaginta nouenos.*
Vltima Z *canens finem, bis mille tenebit.*

Huc item spectant versus ἰσόψηφοι, quorum omnes literæ pro numeris acceptæ, eundem numerum reddunt. Qua item ratione lusum quandoque est in nominibus; sic enim *lib. 2. anthologiæ*, habetur salitum Epigramma in quendam Damagoram, cuius nomen cum Græco *pestis* nomine λοιμὸς ἰσόψηφον, vt Muretus *lib. 14. var. cap. 13.* vtriusque nominis literis, & signatis per literas numeris, expressis demonstrauit. Æquè ἰσόψηφα esse apud Hebræos, nomina *Esther*, & *Susanna*, notauit Hermannus Hugo *lib. de prima scribendi origine cap. 28.*

Exempla secundæ negotiationis Cabalisticæ, Notariacæ.

365. Secundæ negotiationis Cabalisticæ exemplum profert S. Hieronym. *in traditionibus Hebraicis ad lib. 3. Reg. ferè initio*, vbi docet, maledictionem qua Semei appetiit Dauidem, fuisse dictam *pessimam*, Hebræa voce *Nimretseh*, quinque literis compacta; quarum quælibet vsurpatur pro integra dictione, ab ea litera initium ducente, & probrosissimæ significationis conuitium ferente. Pertinet huc quoque quod de Marco, & Colarbaso his verbis scribit Tertull. *lib. de præscript. cap. 50.* [Non defuerunt, (inquit,) post hos, Marcus quidam, & Colarbasus, nouam hæresim ex Græcorum alphabeto componentes; negant enim veritatem, sine istis posse litteris inueniri: immò totam plenitudinem, & perfectionem veritatis, in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse, *Ego sum, &c.* Denique Christum descendisse, id est, columbam in Iesum venisse, quæ Græco nomine quum περιστερὰ pronuncietur, habere secundum numerum, o c c c c 1. percurrunt isti ω, ϡ, χ, φ, ο, τ, totum vsque ad alphabeta; & computant, ogdoadas, & decadas, ita vt afferre illorum omnes vanitates ineptum sit & otiosum; quod tamen non tantùm iam vanum, sed etiam periculosum sit.]

366. Referunt eodem militarem Iudæ tesseram, ex qua *Machabæus* dictus est, Sixtus Senensis *lib. 1. biblioth. sect. 2. tit. de libris Machabæorum*, & Baron. *in Notis ad Martyrol. Rom.* die 1. Augusti. Aiunt igitur, Iudam prælio congressurum

cum

eum Antiocho, dediſſe militibus ſuis, ceu belli teſſeram, eam Moſis ſententiam Exodi 15. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Quæ Hebraice effertur quatuor nominibus, quorum initiales literæ reſpondent noſtris latinis M. C. B. I. Hoc certum victoriæ omen, cùm vexillis omnibus ordinum per eas quatuor literas inſcribi iuſſiſſet Iudas, & vulgus militum breuitatis gratia, ipſas initiales quatuor literas in vnam dictionem conflatas pro tota teſſera pronunciare cœpiſſet, inualuit pedetentim vſus, vt huius teſſeræ autor Iudas, eiúſque poſteri, *Machabæi* cognomine donarentur.

Huc item pertinet Stropha Photij, vt iteratò in thronum Conſtantinopolitanum inuolaret. Rem narrat hoc modo Conſtantinus Manaſſes *in annal. num.* 205. Mortuo S. Ignatio, inhians denuò Bizantinæ cathedræ Photius, ſolas priores literas nominum Imperatoris, liberorum eius, & Auguſtæ ſumit; atque inde *Beclas*, componit. Ex his, inquam, nominibus *Baſilius* ἐλέῃ, *Conſtantinus*, *Leo*, *Alexander*, *Stephanus*. Eo nomine per Photium expoſito, viris illius ætatis eruditione præſtantibus fruſtrà conatis exponere, viſus eſt Imperatori Photius, magnæ doctrinæ, & eruditionis reconditæ vir: proindéque eum denuò in thronum Patriarchicũ reſtituit. Sic benè Euirato illi ceſſit negotiatio hæc literaria, & paucarum vocum, abſciſſis primis clementis quaſi capitibus, detruncatio. Non diſſimili ſagacitate Theſſalonicenſis Epiſcopus, ter audita voce & Μάρτυ, ſic eam eſt interpretatus, Μιχαὴλ αὐτὰξ Ρωμαίων Παλαιολόγος ὀξέως ὑμνήσεται. *Michael Imperator Romanorum, Palæologus, citò celebrabitur*, & ità contigit. 367.

Quídni verò formatas quoque, id eſt, obſignatas ſiue ſigillo munitas, & vt S. Bernardus *epiſt.* 230. loquitur, *bullatas litteras*, ex antiquo, & receptiſſimo olim vſu Nicænæ Synodi, hac arte confectas dicemus? Aſſumebantur prima Græca elementa, *Patris*, *Filij*, *& Spiritus ſancti*, π, υ, & α. Petri quoque Apoſtoli prima litera π, vt eſſet nota Catholiciſimi. Illius qui ſcribebat Epiſcopi, prima litera. Alterius ad quem ſcribebat, ſecunda; accipientis tertia; vrbis è qua ſcribebatur, quarta; & numerus Indictionis. In fine apponebatur εἰμὴν. Videſis diligentiùs vniuerſum hoc artificium formatarum explicantem Sirmundum *ad lib. 6. Sidonij*, *epiſtola* 8. Baronium *anno Chriſti* 142. & 325. Pamelium *in librum Tertulliani aduersùs Praxeam num.* 10. Hermannum Hugonem *lib. de literis*, & Franciſcum Bernardinum Ferrarium *tractatione de epiſtolis Eccleſiaſticis*, quas tribus libris complexus eſt.

Nonnulli literas illas S. P. Q. R. queis Senatus populúſque Romanus, iam olim expreſſus putatur, ad aliud primò relatas, per hanc artificioſam abbreuiationem ferunt. nempè ad factum Sibyllæ, quæ in ærea lamina inſcripſerat eas literas, vt ſignificaret, *Salua populum quem redemiſti*, quod Senatus Populúſque Romanus ad ſe malè detorſerit, vt ſcribit Corraſius 5. *miſcell. cap.* 15. *num.* 5. Benè varios huius artificij modos ſeiunxit Sancius *in cap. 5. Danielis*. Non egi hoc loco de notis hieroglyphicis, (ſic enim loquitur Ammianus *lib.* 17.) neque enim ſunt notæ per literarum compendia, ſed per effigies & figuras: ſiue animantium, vt videre eſt apud eundem Ammianum *lib.* 22. Tacitum *lib.* 11. *Annal.* Apuleium 11. *Metam.* Caſſiodorum 3. *var. epiſt.* 51. ſiue aliarum rerum, cuiuſmodi figurarum Ægyptiacarum mentio eſt apud Socratem *lib. 5. cap.* 17. & Suidam *v.* πῶροι. Similes fuiſſe literas Athiopibus, 368.

quos *Regias* vocabant, habetur ex Heliodori *lib.* 4. Græcos quoque in templis sacros characteres habuisse, Theodoretus *quæst.* 50. *in Genes.* obseruauit.

Tertiæ negotiationis Cabalisticæ exemplum.

369. Postremi Cabalistici artificij exemplum innoxium, suppeditat S. Hieron. in cap. 25. Hierem. Perillustre adhibet Picus in Heptaplo, glossans verba illa, *in principio.* Eximium item est permutationis huius exemplum, quod exhibuit labri Constantinopolitani inscriptio, facta characteribus maiusculis, vt abesset adscribendorum accentuum necessitas. νιψον, ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν. Eam inscriptionem vndecumque legas, & siue recto, siue retrogrado ordine decurras, idem semper occinitur, in hunc sensum, *lauate iniquitates vestras, & non vultum duntaxat.* Prorsus admirabile est eiusdem formæ encomium, Bohemis hæreticis ante aliquot lustra depactum, longiusculum quidem, sed tamen quod hîc iuuat adscribere, quia ratum est. Sic igitur habet.

Encomia Bohemorum, Hæreticorum.

370. *Bohemi semper fideles in facto, & re suis Regibus fuerunt; obedientiam vsque præstant, neque ius violant, reseruant iustitiam omnibus suis administrationibus impugnantes falsa, non vera; Romanum Imperatorem sequuntur per multas tribulationes, dant aliis, iuramentum ipsi præstant, nec oderunt Reges suos. Omnia agunt amore Patriæ, non perfidiæ; propterea ratas fixas transactiones Regum amant, nec crimine læsæ Maiestatis laborant, fideles in officiis, constantes in promissis, amabiles in sermone, temperantes in lingua, firmi in directoratu, docti in Religione, puri in doctrina Euangelica, ordinati in cæremoniis, Orthodoxi in moribus, confessione fidei inuariabiles, constantes in fide, consulti in iure, finiti in vltione, tolerabiles in vindicta, satiabiles in cupiditate, explebiles in iracundia, moderati in violentia, potentiores in Imperio Romano, ideóque digni potiùs magistratu, quàm ministratu. Externorum amatores, non exploratores, bello gerendo sufficientes: in omnibus Patriæ sunt Protectores, non Tyranni. Tuentur fides per officia; habentur, non tantùm videntur probi, satis armati ex potentiis propriis, hauserunt ex bello bona lata ab hostibus, partam labore, non nactam fraude spartam ornant, hinc prouidentia diuina, non domestica defenduntur. Idcoque minus quàm plus potentes obtinent palmam: hic vtraque non tantùm vna illis curæ est. Fideles dicas, caue perduelles Bohemos. Hostis sequebatur per castra illorum quando submittebant sese Cæsari, non aduersabantur Bohemi Bouquoy, & Dampirus cœperunt in Bohemos iniustum bellum; sed florentissimum eorum regnum voluerunt vastare. Cæsaris Consiliarij nunquam pacem cogitantes, sæpiùs incurrere Bohemos in Bucquoy, & excurrere Turnum in Dampirum prædas agentes ferunt. Turnus videns in Regibus felicitatem versis ad Ferdinandum oculis, Regem intuetur; negat ablatum Archiducibus Austriacis Regnum Bohemiæ, statum sequitur in Morauia fortunatum. Viennæ visus in obsidione, cessit in honorem Regis, sequebatur per aulam regiam, quietus in pace, honoratus ex Austria, domum se recepit Dux Turnus. Ponere in Vngaris voluit, spes confœderationis, Diffembacchus. Austriaci ibunt per varias Angustias,*

Angustias, optant Regis hæreditatem, obseruant, nec detrectant obedientiam Archiducibus suis. Supremus Dux exercitus Bohemorum vtilis in Imperio Romano, circumspectus in profligandis hostibus, Mansfeld Comes legitimus nunquam spurius, maluit stare in bello, quàm turpiter fugam dare Holloës Bohemos cœpit deterrere, simulans haud volens noctu cedere Rudolffstat: hinc prælio inuicti Bohemi non priuatam rem curant; præstant repromissa, nec gerunt pectore aliud; corde sunt synceri nunquam mens illis alia; fidere securum his, non defraudabant patriam, probum, nihilque iniquum est quod agunt, & aiunt: studeant æqualitatem in omnibus seruare Bohemi, Venetur vos directores, non spe vestra frustrabimini: defensiuum, non offensiuum geritis bellum, ideóque durabit perpetuò factorum vestrorum memoria; neque præmium famæ vobis denegabitur. Fœlices; directoratus vester semper stabit, neque Regis amore priuabimini: consequemini totius Europæ gratiam, atque nominis immortalitatem, nec incurretis crimen perduellionis, atque rebellionis. Quare causa vestri colendi, non minima vobis est data, perspecta mundo vniuerso vestra probitas, non error: integritas, non fucus; hinc æstimatis pluris bonam conscientiam, quàm Machiuellisticam scientiam. Imperio Romano, & Imperatori, & Electoribus benè, haud malè prospicientes. Bilingues, Bicordes, Biuolentes alij, non vos Bohemi. Altaria Deo erigitis, non eruitis. Idcirco mercedem simplam non duplam capitis. Omnia iure, non iniuria decernitis. Charius vobis aliena reddere, quàm perdere: dare, quàm fraudare; satius est iniuriam vobis ferre, quàm inferre; melius vindictam ipsi tuleritis, quàm aliis intuleritis. Ferdinando primo Rege, Bohemi steterunt, non corruerunt. Ferdinando secundo Rege stabunt, non corruent. Dij vos saluent, non perdant: rectè feciſtis, non errauſtis, Bohemi.

Mutatis duntaxat commatis ac punctis, permutatio vocum sursum versùs facta, recurrendo à fin: totius encomij ad Principiũ, sensum omninò contrarium efficit hac ratione. *Bohemi errauiſtis, non feciſtis rectè: perdant, non saluent vos Dij*, &c. Apud Petrarcham est eiusdem formæ *epistola* 39. & vltima in libro variarum, cuius initium est, *Iucunda ipsa*, quæ à summo lecta, laudationem continet, ab imo resumpta, & cancri in morem retrograda, infert vituperationem. 371.

Huc spectant versus Παλιοι, siue *retrogradi*, aut *recurrentes*, quorum duplex genus facit Sidonius *lib.* 9. *epist.* 14. pro recursu scilicet, vel literarum, vel vocum. Horum qui literis recurrunt, exempla perplura proponuntur in Anthologia *lib.* 6. Ibidémque Brodæus profert illud protritum,

Signa te signa, temerè me tangis & angis:
Roma tibi subitò motibus ibit amor.

Eiusdem farinæ est retrogradum carmen de Caluis, præfixum poëmatio de laude caluorum, cuius omnium vocum initialis litera, est C. 372.

Caluitio tua si videntur tempora nudo,
Carmine do galeam nunc tibi compositam.
Hac capiti imposita, mordaces despice linguas.
Spicula contorquens nonnisi conuitij.
Hanc timet Archilocus: (miraris,) sydera cedant
Æquora, serpentes, cum stygę carminibus.

Retrò

Retrò,

Compositam tibi nunc galeam do carmine nudo.
Tempora ridentur si tua caluitio.

& ita consequenter.

Leonem V I. Imperatorem Orientis, his (vt Diomedes *lib.* 3. vocauit,) curiosis otiis dedisse operam, scribit Sirmondus ad dictam epistolam 14.

Eorum verò versuum, qui vocibus recurrunt, & à Diomede, Seruio, ac Victorino *reciproci* vocantur, à Græcis autem dicuntur ἀντιστρέφοντες, id est, *conuersibiles*, disticha octo, in exemplum proponuntur in Anthologia *lib.* 6. ex Nicodemo Heraclecta. Pluraque de iis habent Scaliger *lib.* 2. *Poëtices cap.* 30. Sirmondus *suprà*; *& ad lib.* 8. *epist.* 11. Recurrentes, & retrogrados pro iisdem habet Ludouicus Viues *ad librum* 17. *Ciuit. cap.* 15. vbi etiam causam aperit, cur id genus carminis *sotadicum* sit dictum, & à Martiale *Cinædum*. Reperiuntur insuper aliqui versus vtroque proposito modo retrogradi, qualis ille,

Ecce seges suberis, tot si rebus, seges ecce.

Confecit operosum hoc carmen, Andreas Mestralus, cuius de omnis generis Græcis, & Latinis retrogradis carminibus, accuratam, sed *pessimam*, (vt cum Sapiente dicam,) hoc est, *operosissimam occupationem*, exhibet eius opus cusum Auenione anno 1623. Accipe præterea artificij huius exemplum eo versu comprehensum.

Omnia reddo meo, qui præbuit omnia Remo.

Qui bis supra trigesies multiplicatur, incipiendo à litera O maiori, quæ primi versus est initium, & prorsum, retrorsum, sinistrorum vsque legendo. Autor Albertus Monaris. Habetur in Amphitheatro Dornauij *tom.* 1. *seriocoso.*

373. Aliud pium eóque magis adamandum, quod ad Deiparæ decus est confectum, adscribo, suppeditatum ab optimo Patre Alexandro Degletein. Inædificatum verò his vocibus,

MATER

MATER DIVINÆ GRATIÆ.

Ad omnem chartæ differentiam, ducto initio à charactere centrali M.

æ	i	t	a	r	g	æ	n	i	u	i	n	æ	g	r	a	t	i	æ
i	t	a	r	g	æ	n	i	u	i	n	æ	n	æ	g	r	a	t	i
t	a	r	g	æ	n	i	u	i	d	i	u	i	n	æ	g	r	a	t
a	r	g	æ	n	i	u	i	d	r	d	i	u	i	n	æ	g	r	a
r	g	æ	n	i	u	i	d	r	e	r	d	i	u	i	n	æ	g	r
g	æ	n	i	u	i	d	r	e	t	e	r	d	i	u	i	n	æ	g
æ	n	i	u	i	d	r	e	t	a	t	e	r	d	i	u	i	n	æ
n	i	u	i	d	r	e	t	a	M	a	t	e	r	d	i	u	i	n
æ	n	i	u	i	d	r	e	t	a	t	e	r	d	i	u	i	n	æ
g	æ	n	i	u	i	d	r	e	t	e	r	d	i	u	i	n	æ	g
r	g	æ	n	i	u	i	d	r	e	r	d	i	u	i	n	æ	g	r
a	r	g	æ	n	i	u	i	d	r	d	i	u	i	n	æ	g	r	a
t	a	r	g	æ	n	i	u	i	d	i	u	i	n	æ	g	r	a	t
i	t	a	r	g	æ	n	i	u	i	u	i	n	æ	g	r	a	t	i
æ	i	t	a	r	g	æ	n	i	u	i	n	æ	g	r	a	t	i	æ

Similia ſtudia in literis verſuum exquiſitè collocandis, vt exiſtant carmina ex ea collocatione, legere licet inter carmina Optatiani Porphyrij, Latini Poëtæ ad Conſtantinum Imperatorem, quæ habentur in opere veterum Poëtarum, quibus etiam reuocationem ab exilio exorauit: & video S. Abbonem Floriacenſem Abbatem, & Martyrem, hoc ſtudij genus non eſſe auerſatum, ſic enim habent eius acta ab Aymoino Floriacenſi conſcripta *c.* 13. [Ottoni Imperatori epiſtolam verſibus conſcripſit Hexametris, nullis ſapientum iſtius temporis, comparanda carminibus. Ex Porphyriano vtique ſibi codice exemplar ſumens, hunc verſum, materiam, & quaſi fundamentum totius conſtituit operis. 374.

Otto valens Cæſar, noſtro tu cede Cothurno.

Is nempe verſus, in eadem deſinit litera, qua etiam incipit: ſícque fit, vt ipſe principia verſuum omnium finémque tenens, per medium quoque epiſtolæ erectus, itémque in tranſuerſum in modum Crucis incedat: ipſe nihilominus

clauſula carminis fieret. Atque hoc modo contigit, vt & ipſe ſexies diuerſis modis legatur, & quatuor quadrangulos in epiſtola faciat; in quibus quadrangulis, quatuor nomina erectim poſita leguntur; in duobus quidem *Otto*, & *Cæſar*; in aliis verò *Abbo*, & *Abba*, quæ minio ſcripta, licèt ſeparatim hoc ſonent, tamen cum aliis verſuum literis in ordine rediguntur.] Subiicitur deinde in actis ipſum carmen ſtylo Porphyriano operosè concinnatum, ſed magna ex parte mutilum. Hæc cùm ita ſint, non video quomodo Lilius Gyraldus *lib. de ſui temporis Poëtis*, autorem verſuum anguineorum primum, ſtatuat Rabanum, & poſt eum Lancium Curtium. Nam vtroque anterior, fuit Porphyrius.

Hæc ſunt varia artificiorum Cabaliſticorum paradigmata. Manifeſtè igitur monſtratum eſt, negotiationes aliquas Cabaliſticas, poſſe vitio vacare: nec libros quoſuis Cabaliſticos poſſe ſuffixioni patere. Quamuis niſi mixturas, de quibus præmonuimus euitent, iure improbentur. Monſtrat nitorem illum aliquarum Cabaliſticarum negotiationum, Marſilius Columna *ſect. 2 hydragiol. c. 3. à n. 49.*

EROTEMA XIV.

Libríne aliqui Scriptorum materialiter, aut formaliter hæreticorum, in hoc ordine?

375. LIbros quoſcumque hæreſibus inquinatos, malos eſſe habendos, liquet. At ſunt tamen aliqui libri hæreſibus ſordentes, vel etiam ſcatentes, &, (quod non eſt infrequens,) ad hæreſim ſtabiliendam conſcripti, quos non eſſe noxios, atque adeò non eſſe configendos; proindéque ad ordinem in quo verſamur, pertinere, quilibet facilè dederit. Poſſum in hunc ordinem referre libros quorumdam non niſi materialiter hæreticorum; hoc eſt, quorumdam Patrum, in quibus ante definitam ab Eccleſia veritatem aliquam, contigit eos contraria veritati Catholicæ affirmare. de quibus à Hieronymo *ad Furiam* dicitur. [Poſt Scripturas, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes, aurum in luto quærere.]

Libri quidam Patrum ſordentes materialibus erroribus, retinendi.

376. Hos ergo libros, nemo eſt qui dubitet retinendos, quamuis cautio ne quis impingat, adhibita iam olim ſit à Gelaſio Pontifice, *cap. ſancta Romana, diſt. 15.* non vt libri ipſi penitùs premerentur ac perderentur, ſed vt imprudens lector fucum ſibi fieri ab autoritate viri ſancti non ſineret. Sic Sancti Irenæi, doctiſſimi planè ſcriptoris operibus, millenarij aſſertio inſperſa legitur; neque tamen Irenæum idcirco quis improbatæ lectionis eſſe velit. Sic ſplendidiſſimum Eccleſiæ iubar S. Cyprianus, impegit materialiter, quoad hæreticorum anabaptiſmum, quem varijs locis adeò apertè docet, vt non ſit tergiuerſationi locus. Nemo tamen eius operibus incendium idcirco decernat, ob frequentes illas-

cum putissimo tritico, lolij admistiones. [Nemo sapiens, (ait Facundus *lib.*10. *pag.*428) Ecclesiam credit hæreticam, quia doctrinam B.Cypriani Carthaginensis Episcopi & Martyris laudat, cùm ille non solùm priuatim, vt ei visum est, verùm etiam congregato Concilio, definierit, vt omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens, baptizetur: & propter hoc culpatus ab Stephano Antistite Romano, restiterit; suámque sententiam scribens ad Pompeium, quanta potuit humana argumentatione defenderit; iniuriosè tractans eundem B. Stephanum, à quo fuerat iure culpatus] Et mox. [Ecclesia non approbans B.Cypriani, eiúsque prædecessoris Agrippini, qui hoc antè statuerat, de baptizandis omnibus hæreticis definitionem, non solùm ipsos, sed & omnes, qui cum illis hoc definierunt, Episcopos, Patribus adscribit, eorúmque fidem, atque doctrinam, & maximè Cypriani toto orbe radiantem, iudicat esse laudabilem.]

Cassianus, & Faustus Rhegiensis, viri sancti, & cœlitum honoribus, ille Massiliæ, hic Rhegij, vbi vixerunt, miraculísque fulserunt, hodiéque clari, morbosa opera, (quod frustrà aliqui inficiantur,) reliquere. Horum tamen vsum tolerat Ecclesia, nec nisi cum ingenti damno illum negaret, præsertim quoad Cassianum; cuius opera, fauillam spiritus, & Christianæ perfectionis defœcatissimæ apothecam, meritò dixeris. Appositissimè in hanc rem cadit illud Facundi *lib.*6. *c.*5. [Quæliber meritò nos offendunt in Patribus, quos tanquam luminaria Deus in Ecclesia sua constituit, vt eorum desuper illuminemur excellenti scientia, atque doctrina; sic habenda mihi videntur, sicut ipsorum quoque luminarium cœli defectus: quæ licèt nonnunquam splendoris sui detrimenta sustinent, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt.] 377.

Etiam quædam Hæreticorum innoxia scripta retinenda.

Sunt alij libri, ab autoribus non materialiter tantùm, sed etiam formaliter hæreticis conscripti, qui tamen tolerantur. Eiusmodi sunt libri priscorum hæreticorum, quorum hæreses prorsus exoleuerunt; suntque eiusmodi, vt non impendeat à libris illis periculum vllum: fructus autem meritò sperari potest non tenuis, eo quòd inter docendum, quæ cum Ecclesiæ scitis non consentiunt, alia tradant, quibus veritates catholicæ ex prisco Ecclesiæ vsu firmari, ac stabiliri possunt. Tertullianus iis ipsis libris, quos aduersùs Ecclesiam scripsit, vt libro *de pudicitia*, *de ieiunio*, *de fuga in persecutione*, *de monogamia*, *& exhortatione castitatis*, quàm multa ad Christianos vsus, & dogmata, contra sectarios peropportuna suppeditat? Eusebium Cæsarienſem, *Arrianorum signiferum* appellat Sanctus Hieronymus, euincítque Epiphan. *in Synodo II. Nicena actione* 6. vt planè Æthiopem lauet Trapezuntius *epistola præfixa libris de præparatione* Eusebium statuens purum. Et multo absurdiùs in cuiusdam Religiosi Ordinis Martyrologium titulo *Sancti*, sit illatus, ibíque per tempus longissimum hæserit. Magno tamen Ecclesiæ damno, scripta eius eriperentur. Et quamuis Billius *lib.* 1. *obseru. sacr. c.* 27. *&* 29. in illis ipsis libris, qui puri putantur, latens fermentum nequitiæ, & malitiæ subolfecerit; tamen Ecclesia quòd ab iis libris nihil impendere videat incommodi, fructum verò in dies lu- 378.

culentum experiatur. dimittit eos absque nota. Tichonius Donatista hæreticus fuit, & libro suo de Scripturæ regulis, fermentum Donatistarum immiscuit, vt monet Diuus Augustinus 3. *de doctr. Christ. cap.* 30. qui tamen ad eius libri lectionem inuitat lectorem; nec vult aboleri, sed legi cautè. De Origenis, & Nouatiani libris, nihil attinet dicere; versantur enim omnium manibus cum fructu, etiamsi autorum in eis næui, ac maculæ non vno loco supersint, constétque Nouatianum fuisse apertè hæreticum: & eodem titulo insigniatur Origenes *in Conc. Lateranens. sub Sancto Martino consultat.* 5. *Anathematismo* 18. & eodem modo notetur à multis Patribus, vt obseruauit Cassiodorus *lib. diu. instit. cap.* 1. vbi Origenem denuò à Vigilio Papa damnatum memorat. Nihilominus tamen Sanctus Hieronymus *epistola ad Paulum Concordiensem*, Nouatiani librum ad se transmitti postulabat, vt cognitis eius venenis libentiùs Sancti Cypriani antidotum biberet. In Origenis verò lectione quàm frequens esset, ex Ruffini in Hieronymum scripris, non semel discimus.

379. Itaque sapiens Theodoreti monitum *lib.* 3. *Polymorphi*, hîc inte locum habet, post allegatum librum hæretici scriptoris Eusebij Emissèni. [Imitare ergo apes, (inquit,) ô vir bone, & sacræ Scripturæ prata, & Sanctorum Patrum pulchros flores mente circumuolans, fidei fauos in te contexe. Quod sicubi herbam inueneris, nec dulcem, nec esculentam, cuiusmodi est hic Apollinaris & Eusebius, habet tamen aliquid inutile ad mel conficiendum; non est alienum, quod bonum quidem est sumere; quod verò noxium relinquere. Etenim apes sæpè in venenosis fructibus insidentes, quod est quidem pernicioſum relinquunt; quod verò est sibi accommodatum, accipiunt. Hæc tibi quidem, ô amice, iure fraternæ amicitiæ consulo. Tu autem rectè quidem feceris, si monitioni parueris: sin autem non parueris, nos cum Apostolo dicemus, *nos mundi.* Diuisimus enim secundùm Prophetam, vt iussi sumus.] Plurima in hanc rem congessit Claudius Espencæus, *lucubratione de lectione librorum suspectorum*, quam attexuit editioni vltimæ suorum Commentariorum *in epistolam ad Titum.*

EROTEMA XV.

Libríne quibusdam interdicendum, ob solam lectoris fragilitatem.

380. LIbri quicumque nociui meritò sunt configendi, etiamsi mali in se non essent, aut etiam licèt essent optimi.

Etiam libri Canonici quibusdam subducti, ob eorum infirmitatem.

Habemus huius rei exemplũ, quod nulla tergiuersatio eludat, nulla vis apertè deiiciat. Quid sãctius sacris Codicibus, ac diuinis Scripturis? An nõ hæ Dei ipsius

ad

ad mortales literæ, à S. Augustino iure sunt appellatæ? Ita ille *in Psalmum* 131. *ad versum* 14. *& in Psalmum* 149. *ad versum secundum.* Nónne item iure PP. omnes in cumulatissima sacrorum voluminum elogia effunduntur? Videsis Delrium *in proloquiis in Genesim*, & Mendoçam *in præludiis ad libros Regum.* Et tamen Hebræos olim, arcuisse iuuenes ante annum ætatis trigesimum à lectione Canticorum Salomonis, & quarumdam aliarum Scripturæ partium, quòd posset ea lectio damnosior illis esse, quàm fructuosior, si cortici nimium inhærentes, ad medullam non peruaderent, refert, & approbat Naz. *Apol.* 1. & S. Hieron. *epist. ad Eustochium Virginem*, de commentarij in Ezechielem dedicatione. Ad Lætam item *de institutione filiæ*, (haud dubiè vestigiis Hebræorum insistens,) autor est, vt illa Christi tyruncula, [ad vltimum sine periculo discat Canticum Canticorum: ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum Epithalamium, non intelligens, vulneretur.] At hæc est quædam talium librorum confixio, nempè respectu quarundam personarum, quibus ea lectio posset officere, non libri vitio, sed legentis imbecillitate.

Eadem ex causa, optandum esset, idque iam pridem annisa est Ecclesia, vt vulgus promiscuum à lectione librorum sacrorum abstineret: quòd experientia doceat, eam lectionem simplicibus plerisque esse in ruinam, dum multa ibi obscura, & intellectu difficilia iuxta S. Petri monitum deprehendunt, quæ dum extricare, & quo par est sensu accipere nequeunt, abducuntur in errorem. De hoc S. Hieronymus *epist. ad Paulinum*, grauiter expostulauit. Estque id seminarium pruriginis illius tractandi de dogmatibus, quam ex Scripturæ peruolutatione assidua, pusillo gregi ingenerare, satagunt lupi, pastorum nomina ementientes, veri ouium Christi ministri; hoc est, lanij, ex Virgiliana phrasi, de qua plenè Genebrardus *in expositione liturgiæ cap.* 8. *sub finem.* Iam olim Nicephorus Gregoras stomachatus meritissimò est in eam absurdissimam, & periculi plenissimam insulsitatem, ex Scripturæ per quoscumque temeraria lectione profectam, qua res sacræ profanantur, & mysteriorum tractatio ad vilissima quæque in Republica capita deuoluitur. Locus est *lib.* 10. *Rom. historiæ, ad libri finem*; ex cuius oratione conficitur, Scripturam non nisi adhibito delectu esse permittendam, nec esse quorumcumque eam versare, ne in libro vitæ, mortem inueniant, vt plerisque improuidis accidisse compertum habemus. Nota mihi fœmina primaria Caluiniana, quæ cùm inter legendum locum illum Sapientis, *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, non posset se eius loci ambagibus expedire, exclamauit *hoc non esse verbum Dei, sed Diaboli*; & locum defixo cultro transfixit. Consultius illi fuisset, tali lectione abstinere, vt sanctè ac prouidè edixit Ecclesia, quoad vulgus profanum. Simili ex causa olim apud Romanos, soli Pontifices legebant libros Sibyllinos, quòd timerent Romani ne libri illi fatidici, tametsi boni, attenta lectorum conditione, noxij euaderent. Videsis Lanselium *disjunct. ad Iustinum contra Casaubon. cap.* 6.

381.

Proportionali ex causa, alij libri, etiamsi optimi, subducendi.

382. Non dissimiliter ergo ad auertenda mala quæ ex quibusdam libris in se non malis, aut etiam bonis, sed respectiuè malis, atque damnosis, oriri possent, eo quòd legentium imbecillitas inde lædenda, vel scandalum passiuum ingenerandum esset, iustum est, cùm temporum, locorum, aut personarum circumstantiæ id deposcunt, configi libros eiusmodi. Ita enim ferunt leges prudentiæ. Nec obtendenda est libri in se bonitas, & quòd solo legentium vitio futurus sit damnosus. Libri namque cùm ad docendum dirigantur, eo ipso quòd lectorum bono incommodant, mali sunt habendi, & meritò patent confixioni, etiamsi doctrina quam continent, vitio careat; Scriptor enim ille lacum fodit, nec imposuit operculum. Vnde lapsi asini damnum sustinebit, ait S. Cyrillus *lib. 7. de ador. pag.* 183. Hoc si cautum fuisset in nonnullis libris ante annos aliquot inopportunè vulgandis, parcitum esset operæ ac labori plurimorum. Nec tragœdiis ea occasione excitatis, locus fuisset. Itaque meritò configuntur ac premendi decernuntur eiusmodi libri, quia sicut mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo, iuxta Sapientem *Prouerb.* 25. ita nihil incongruentius, ac plerumque nihil deterius & periculosius, verbo vero; sed extra rem prolato, ac non in tempore: vt propterea *seq. cap.* 26. addat Sapiens parabolam, (dictum, inquam, sapiens, & auream sententiam,) in stulti ore qui eam efferre nescit in loco, ac tempore, non secus nocere, ac si spina nascatur in manu temulenti; qui præ rationis intercusione, ac impotentia sui, improuida spinæ contrectatione, manum sibi fœdè perfodit atque cruentauit.

Commurmuratio de Bellarminiana panoplia.

383. Dubitatum quandoque à nonnullis scio, an opera de rebus controuersis à Cardinale Bellarmino conscripta, referenda essent in hanc classem. Constat siquidem, hæreticos posse his libris abuti, quæ pro ipsis ibi referuntur legentes, dimissis cæteris. Nec dubium, pleroque catholicos, ex lectione obiectorum per hæreticos, dum non satis capiunt subiectas responsiones, agi posse in errorem. Verùm hîc trepidatur timore, vbi non est timor. Hæretici enim si pertinaciter volunt perire, habent satis librorum per quos pereant, non consulto Bellarmino: si autem virus quod Bellarminus ex sectariis refert, eligunt malitiosè, antidoto neglecto, culpa ipsorum, & nequitia est, cuius reus fieri non debet Bellarminus. Catholicis autem nihil inde timendum, quippè qui ex opposita redargutione, facilè cauebunt errorem. Possit sanè Bellarminus illud S. Cyrilli Hierosol. *catech.* 6. post relatas impurissimas hæreses Manichæorum, vsurpare, alloquendo Catholicum lectorem. [Polluimur ista dicentes: Ne autem aliquis eorum, qui adsunt, ex ignorantia in sordes eiusmodi hæreticorum incidat, etiamsi, & os meum, & Auditorum aures polluam, tamen id confert. Multo enim melius est, accusandis, & reprehendendis aliis audire absurda,

absurda, quàm ex insciția, in eadem incidere. Longè melius est, vt sordes cognoscas, & oderis, quàm ignorans, in easdem incidas.]

Et verò eadem securi qua Panoplia Bellarminiana feriretur, exscindere simul oporteret libros S. Augustini contra Faustum, & libros contra Iulianum Pelagianum, & alios contra varios Donatistas, necnon alios in operibus Polemicis, vbi hæreticorum verba fusè refert, subiectis confutationibus. Item perditos oporteret libros complures SS. Gregorij Nysseni, & Basilj contra Eunomium, quibus huius hæretici longa fragmenta intexuntur. Totus S. Epiphanius, (quippè fartus hæreticorum sermonibus, & argumentis,) dedendus Vulcano esset. S. Cyrilli opus contra Iulianum, Apostatæ illius longa fragmenta, impia, & igne dignissima, subiectis confutationibus ad nos vsque propagauit: neque tamen illud Cyrilli opus, sanus quisquam perditum velit. In summa, ingens strages inferenda esset operibus, non modò innumerorum Recentiorum, quorum laus est in Euangelij defensione; sed etiam grauissimorum Patrum, quod nemo pius, aut prudens tentatum velit. Doctissimus Card. Perronius cùm hoc sibi calumniosum de Bellarmini Controuersiis iudicium affingi inaudisset, copiosè & validè illud detersit, vt refertur in ipsius Bellarmini vita *lib. 2. cap. 7.* Quare subdolè ringatur, quantum volet, inuidia: Opus de rebus controuersis à Bellarmino conscriptum, immortalitate dignissimum est, nec iis libris est annumerandum, quos ob lectorum solam fragilitatem par sit configi ac premi. In sua causa, latè idem monstrat Alfonsus de Castro *lib. 1. de iusta hæretic. punit. cap. 20.* 384.

Cautio circa scandalum pusillorum, hac in parte.

Igitur ij duntaxat libri referendi sunt in hanc classem, qui verè & propriè continent scandalosam doctrinam, quæ scilicet verè occasionem ruinæ præbeat lectoribus. Quanquam obseruatum diligenter oportet, monitum Abulensis *1. p. defensorij, in fine*, vbi impetitus quòd scandalosè scripsisset, sic eluit eam labem. [Postremò obiiciebatur, quòd licèt prædicta essent vera, & benè dicta, tamen non habebat conclusio poni in talibus terminis, quia erat scandalosa. Dicendum, quòd istud scandalum, aut erat literatorum, aut ignorantium: si literatorum, non stat; quia conclusio est vera, & in terminis propriissimis; ideò nullus vir literatus debet scandalizari, sed potiùs gaudere de veritate posita in terminis propriis. Si autem ignorantes scandalizantur, ego non præstiti causam, quia ego non iui ad prædicandum populo rudi in lingua Italica, vel Hispanica; sed iui ad disputandum cum viris doctissimis, qui de talibus non scandalizarentur. Si autem viri rudes, velint legere conclusiones meas, vel audire dicta in disputatione, & ex hoc propter ignorantiam suam scandalizentur, ex hoc ipsi sunt in culpa, quia se miscent illi rei, quæ ad eos non pertinet. Ita etiam scandalizarentur, si legerent ea, quæ ponit B. Paulus *ad Rom. 9.* de prædestinatione, & præscientia; & quæ habentur in aliis locis Scripturæ. Similiter, si audierint mysteria, quæ loquuntur Doctores de Trinitate, & Incarnatione, & Eucharistia, & in aliis materiis altissimis, turbabuntur: & tamen propter 385.

hoc

hoc non debent Doctores cessare à doctrina, & à Scriptura, sed potiùs simplices arcendi sunt, ne ista audiant, quia non oportet eos sapere, plus quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, secundùm conditionem suam.]

EROTEMA XVI.

An Chymici libri configendi?

386. IN hoc ordine librorum in se non malorum, sed noxiorum, recensendos non iniuria quis dixerit libros Chymicos, quatenus metallorum transmutationem tradunt. An *Chemicos* dictum oportuerit, quod Lælius Biscíola *tom. 1. subsec. lib.* 18. *cap.* 1. contendit, mitto quærere.

Alchymicum studium optimum; libros de eo, à confixione immunes esse oportere, quæ suadere videantur.

Esse autem doctrinam Chymicam ex se non malam, etiam qua ex parte spectat Chrysopœiam, verior sententia fert, cùm nihil videatur incommodi, admittere in naturæ ordine, vires idoneas ad transmutationem metalli vnius in alterum. Videsis S. Thomam 3. *meteor. lect.* 7. Ferneliurn 2. *de abditis rerum causis c.* 18. Guillandinum *lib. de papyro.* Delrium *lib.* 1. *Mag. cap.* 5. *q.* 8. *sect.* 2. *&* 3. Monétque Corduba *lib.* 1. *quæst.* 17. §. 1. *dicto* 2. nihil possibili per Chymicos effectioni veri auri, officere, decretum Ioannis XXII. quod negat posse facere rem de fide, defectu reuelationis diuinæ de ea re. Nec id re vera intendebat Pontifex; sed tantùm volebat amouere fideles à vano studio, quod pleraſque familias iam olim subuertit; siue reipsa longo vsu, pertinaci eius exercitatione possit effici aurum, siue non possit; quod permittitur disceptationi peritorum.

387. Posse autem re vera effici aurum interuentu Alchymiæ, atque adeò libros de Alchymia non debere confixioni patere, probat fusissimè Robertus Vallensis *cap.* 1. *operis de veritate, & antiquitate Artis chymicæ.* Argumentatur autem partim ab authoritate sacra, partim ab humana omnis generis. Inter sacra testimonia profert primo loco Esdram *lib.* 4. *cap.* 8. verbis illis. *Dicam autem coram te similitudinem Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam, magis vnde fiat fictile; paruum autem puluerem vnde aurum fit.* Quam ille censet esse explicatissimam assertionem Alchymiæ. Addit Salomonem *c.* 38. (Iesum Sirach voluit dicere,) Ecclesiastici verbis illis. *Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Item illa Dauidis Psalmo 12. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum ter, repurgatum septuplum.* quem locum duplici alia lectione illustrat. Prior est, Eloquia Domini, eloquia mmnda, argentum igne examinatum in vase terreo purgatum septies. Posterior verò est, huiusmodi.

modi. Verba Dei, verba pura, argentum in Aludele exustum, in terram, seu puluerem refusum septies. Est *Aludel* vox Arabica, latinè sonans *Sublimatorium*, aut vas, in quo fit sublimatio Chymica, de qua Geber. *lib.2. cap.43.* Quòd ergo sublimatione per ignem lentum facta, septiésque iterata, argentum quouis auro perfectius reddatur, inde Dauid puritatem, & nitorem diuinæ legis supra quoduisvulgare aurum, expressit ea comparatione argenti, in Aludele per fusionem Chymicam repurgati, quo ipso, artificium Chymicum approbauit. Accedit suffragium sancti Ioannis Euangelistæ, quem Auicenna *lib. de Anima, dictione 1. cap. 7. ad finem*, & Vincent. Bellouac. *in speculo naturali*, numerant inter Alchymistas, & subscribit Adam de sancto Victore in Prosa de sancto hoc Euangelista, dicens de eo, *Cùm gemmarum partes fractas solidasset, has distractas tribuit pauperibus: inexhaustum fert thesaurum, qui de virgis fecit aurum, gemmas de lapidibus.* Vincentius Bellouac. *lib. 5. speculi natur.* Noëmo adscribit Chymicæ peritiam. In summa Autor de quo agimus, Robertus Vallensis, pro Alchymiæ veritate omnis generis Doctores, exscriptis eorum locis, sed non semper signatis libris, præsertim Theologorum, adducit. E Theologis S. Augustinum, Albertum Magnum, S. Thomam, Scotum, Gulielmum Parisiensem, Adamum Victorinum, Vincentium Bellouacensem, Gasparem Contarenum, Chrysogonum Polydorum. Ex Iurisperitis Ioannem Andream *in addit. ad Specul. rubr. de crimin. falsi.* Oldrad. *cons.74.* Panormitanum *ad 5. Decretal. tit. de sacrileg. cap.2.* Ex medicis Hippocratem *lib. 1. prognost. cap.1.* Galenum *lib. 9. de simpl. c. de Conja*, Auicennam *lib. de mineralibus, & lib. de Anima dict.1. cap.12. & lib.2. tractat.1.cap 4.* Abuhali *epist.de re tecta.* Razim. *lib. lumen luminum*, Haly *in lib.Elixyris. Dioscoridem lib.3. cap.115.* Arnaldum à Villanoua *in suo Testamento & cap. 3.* Rosarij. Valesium de Tharanta *lib. 5. pract. cap.de strangul.* Petrum Aponensem *differentia 59.* littera P. Ex Philosophis laudatores Alchymiæ adducit Hermetem Trismegistum, à quo Chymia dicta *Hermetica*, Aristotelem *lib. de secretis secretorum cap. 65.* Alexandrum Macedonem *in quadam epistola*, Plinium, Geberem *lib. 3. cap. 79.* Suidam, v. χημεῖα, Raymundum Lullum *libro Codicilli cap. 53.* Marsilium Ficinum *de vita cælit. comp. cap. 3.* Ioannem Dastinum Anglum *lib. 1.* Bernardum Comitem Treuerum *lib.respons.ad Thom.de Bonon.* Ioannem Picum Mirandulanum *lib. de hom. dignit.* Ex Poëtis allegat Virgilium *ecloga 6.* memorantem mala Hesperidum, quem locum VVillicchius *ibi, in posterioribus scholiis*, de Alchymia accipit. Et adiungendus est locus sexti Æneidos de ramo aureo. Magnam item partem figmentorum Poëticorum, Chymiam spectasse docet. Annectit denique idem Vallensis, longum syllabum Scriptorum, qui de Alchymia Arabicè, Græcè, & Latinè scripserunt. Hinc ille Autor satis supérque firmatam putat Alchymiæ veritatem, ex quo apertè sequitur, libros de ea conscriptos, nequaquam patere confixioni.

Resolutio; Chymica quoad Chrysopœiam, mera inertia.

388. Nihilominus Chymica, prout Chrysopœiam spectans, qualem hactenus tradiderunt, qui in eam incubuere spagyrici innumeri, & vetères, & recentiores, mera inertia est, vt dixit Gregorius *quæst. 5. prologi artic. 2.* ad quamdam Aureoli confirmationem; id est, non habet rationem veræ artis, certis principiis nixæ, sed aut est mera deceptio, aut si quid reuera aliquando efficit, fortuitò tantùm, & casu efficit. Quod sensisse puto, qui Chymicam, & Chymicos libros, simpliciter improbant: cuiusmodi est S. Thomas *in 2. d. 7. quæst. 3. artic. 1. ad 3. & quæst. 6. de potentia artic. 1. ad 18.* vt latè eum expendit Tabiena *v. Alchymia 2.* (refragante tamen Sylueſtro *v. Alchymia 3.*) Adhæserunt ei S. Doctoris iudicio, Ægidius *quodlibeto 3. quæst. 8.* Palac. *in 2. dist. 7.* Agricola *lib. 5. de fossil.* Buccaffer. 4. *meteor. comment. 43.* Scalig. *exerc. 106. & 327.* Comitolus 3. *respons. quæst. 33.* Pineda 4. *de Salom. cap. 21.* Val. 2. 2. *d. 6. quæst. 13.* Pererius 8. *Physic. cap. 1. quæst. 7.* Quin etiam Cantiprat. *lib. 2. apum. cap. 21. num. 2.* relata narratione de reperto Romæ vase marmoreo aqua quadam repleto, quam ex sanguine, & carnibus Basilici in modum aquæ rosaceæ æstuante cucumella expressam; casu cùm effunderetur æri affusam, pulcherrima auri specie metallum illud imbuisse dicebant; subiungit, aurum Chymicum, inde existens, specie tenus aurum esse, nec nisi adulterinum; ideóque Deum passum non esse, vt vir bonus marmorei illius vasis inuentor, aquæ illius vsu inficeretur; cùm primùm enim apparuit, effusa est tanquam aqua communis, & inutilis. Sic ille Chymicam sophisticam censens, & indignam factu. Estque communis prudentum sensus, vt proinde meritò Genebrardus *in Psalmum 11.* exsibilet Melanchtonem, qui huic vanissimæ vanitati præsidium conciliare tentauit ab illis verbis Psaltis, *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*; quasi argentum igne excoquere, & scoriis, ac fæcibus abiectis expurgare, idem sit, quod Alchymiam facere.

Nec sapientiùs Roberus Vallensis *suprà* adductus, huc trahit medicinam de terra creatam, iuxta Siracidem, & puluerem vnde fit aurum, qui paruus præ terra vulgari, è qua finguntur vasa; ac virgas auro commutatas à Sancto Ioanne Euangelista, vt est in gerris Abdiæ *lib. 5.* Priora illa inepissimè trahuntur ad Alchymiam. Hoc verò postremum, si re ipsa contigisset, miraculo, non Alchymiæ esset adscribendum. Itaque Alchymia caret diuino, & Sanctorum suffragio. Nec suffragium humanum quod præterea conglobabatur, re vera eam confirmat, prout est in vsu recepto, sed ab omnibus verè sapientibus exploditur, quorum longum syllabum iam dedi.

389. Tot ergo, & aliorum, quos prædicti referunt, sapientissimorum hominum iudicio, Chymica disciplina, qualem à tanto tempore, à tam multis, multo studio tradi videmus, est mera inanitas; nec hactenus nisi ad marsupiorum euacuationem profecisse deprehenditur, vt eleganter prosequitur Petrarcha *lib. de remed. cap. 111.* & exemplis comprobatur apud Cardanum 10

de

de varietat. cap. 51. & apud Maiolum *tom.* 2. *colloq.* 5. Et vt aliquid quandoque casu potius, quàm arte efficeret in auri confectione, tamen vsus eius metalli, illicitus est, cùm in medicina, tum in contractibus, tum in monetæ fabricatione, vt Petrus à Nauarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *à num.* 66. rectè statuit, & Alchymista aurum suum, vt verum venditans, est infamis, ac indignus, qui testis munere fungatur, vt probat Petrus de Monchada *in additionibus ad Crotum parte* 4. *de testib. num.* 197.

Libri Chymici de Chrysopœia, quatenus configendi.

Hæc cùm ita se habeant, omninò videtur affirmandum, libros Chymicos quatenus ad eam quam dixi metallorum confectionem porriguntur, configendos iure esse, vt inhibeantur grauia damna, & fortunarum, & salutis animæ, quibus obnoxij passim sunt, qui libros huiusmodi peruolutant, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, vt ludit S. Antoninus 3. *p. tit.* 8. *cap.* 4. *initio.* Multipliciter eosdem irrisit, & confixit, Raymundus Lullus locis signatis à Vadingho *annali* 3. *anno* 1315. *num.* 13. & 14. Suffragantur planè, qui curiosos illos libros, quos tanto numero, & pretio incensos proditur *Actor.* 19. interpretantur libros Chymicos, vt Mariana ibi, adducens, quod à Diocletiano in Ægypto factum prodit Suidas *v. Diocletianus*, & Oros. *lib.* 5. *cap.* 16. ac Paulus Diaconus *in Diocletiani vita.* Quamquam Diocletianus librorum Chymicorum vim ingentem flammis immisit, non tam quòd nocere lectoribus posse crederet, quàm ne prodesset; veritus Ægyptios ea lectione peruenturos ad auri veri confectionem, quæ genti ad seditiones proniissimæ, ac factiosissimæ, fieret rebellandi illecebra, quum toties exhausta ægrè quiesceret. 390.

Cæterùm fuerunt sanè Ægyptij Chymiæ addicti, & eius primi inuentores, quod scribit Langius *lib.* 1. *epistol. medic. in* 53. At fabulosum est, quod addit, Pythagoram, ac Platonem ad eos adiisse, vt hanc artem addiscerent. Fabulosius item, quod subdit, Hebræos Ægypto egressuros, aurea, & argentea vasa subripuisse dictos, quòd magnas opes arte Chymica comparassent, degentes in Ægypto. Pauci denique admittent, quod ait, figmentum pictorum de aureo vellere, ad libros Chymicos, exportatos ab Iasone, esse referendum: & δέρας quod Iason sustulit, non fuisse vellus qualecumque, sed librum, vt olim vsu receptum erat δέραισι, idest, pellibus compactum, quo ars conficiendi auri conscripta habebatur. Ex nonnullis tamen aliis, eam velleris aurei interpretationem confirmat Hadrianus Iunius *lib.* 5. *animaduersorum cap.* 12. & Bisciola *tom.* 1. *subsec. lib.* 18. *cap.* 1. qui addit, Ioannem quoque Picum, & Lilium Giraldum, mala aurea Hesperidum ad Chymicam disciplinam retulisse. Non annuet certè Fallopius *in opere de re metallica*, qui Chymicam artem non ante Mahumetanam sectam, docet exortam, sed à quodam Mahometis ex filia nepote primùm excogitatam, venerandis profectò natalibus miseræ disciplinæ.

391. Hæc dixerim de librorum Chymicorum confixione, iure, (vt sic dicam,) factibili. Nam hactenus quidem, nullos libros Chymicos iure positiuo communi, esse vetitæ lectionis, etiam post Extrauag. *Spondent*, Ioannis XXII. contra Alchymistas, rectè censuit Deltrio *suprà quæst. 4. conclus. 1.* quamuis iure naturæ aliter fortè statuendum esset, ne lectio huiusmodi librorum, (vti assolet,) lectores adeò capiat, vt exhauriat, coniiciátque in morale fortunarum periculum, vnde innumera postea peccata progerminant. Quo ex capite, Chymicum studium, atque adeò libros, quoad priuatos, damnant Sanchez 2. *in Decalog. cap.* 40. *num.* 51. Penna 3. *part. directorij Inquisit. scholio* 32. & latè à Grassis *p.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 27. negans Chymicum pertinacem, esse sacramentaliter absoluendum. Ex quo sequitur, homini sic affecto, lectione Chymicorum librorum, quibus voluntas eius operis gliscat, obstrmeturque, iure naturæ interdici. Supperetérque aliud caput ad simile interdictum, si contingeret, librum Chymicum desinere in Astrologiam illicitam, aut Necromantiam, quod frequens esse Chymistis, affirmat Cardinalis Vigerius *in decachordo*, *chorda* 10. *cap.* 5. Vide etiam Scaligerum *Exerc.* 127.

Erotema XVII.

Libri de argumentis inanibus, an damnandi.

392. Refero in hanc seriem, libros de inutilibus argumentis conscriptos, quales sunt præter cæteros, quibus laudantur quædam illaudabilia, de quibus nos alibi cùm de studiositate, præter alia, de quibus Seneca *de brevitate vitæ*, *cap.* 13. & non pauca, quæ in eam rem addensat Isocrates *in Helenæ encomio*, *initio.* Huiusmodi argumenta, Agellius *lib.* 17. *cap.* 12. *infames materias* vocat, & *inopinabiles.* Sic Phauorinus quartanam laudauit, & Therstitem Homericum. Podagram, & surditatem, adolescens apud Philostratum. Psainas vrticam, vt est apud Plinium *lib.* 22. *cap.* 17. Chrysippus brassicam, apud eundem *lib.* 16. *cap.* 19. Lucianus muscam, Psellus, & Calcagninus, pulicem; Isocrates Busiridem, Synesius caluitium, Erasmus Moriam, siue stultitiam, Picus Mirandula barbariem, Dusa, vmbram, Agrippa, Asinum, Turnerus ebrietatem; stercus aliqui apud Diuum Augustinum *lib. de vera Relig. cap.* 42. Hæc & alia huiusmodi ματαιοτεχνειας argumenta, (sic enim appellat Fabius *lib.* 2. *cap.* 21.) addensantur à Lælio Biscola *tom.* 2. *horarum subsec. lib.* 16. *cap.* 7. nam etiam lectas à se opellas memorat de laudibus pestis, scabiei, pediculi, cimicis, & (quod æquè fatuum, ac impium est,) excommunicationis. Multa talia opera addensantem Leonem Allatium *lib. de Psellis pag.* 75. his pridem annotatis deprehendi. Gaspar item Dornauius, Theatrum suum iocoserium, aggestis huiusmodi lucubrationibus confecit.

Hos

Hos libros, si aliud non allegetur quàm argumenti inanitas, hinc ablego, quod, vt suprà aduerti, alia hîc dispendia attendamus, quàm temporis: & possit in huiusmodi lucubrationibus plurimùm quandoque prodi ingenij. Quid enim ingeniosius Synesiana celebratione caluitij? Notauit hunc talium scriptionum fructum, Gellius *notato loco*, ex Phauorini sententia. [Infames, (inquit,) materias, siue quis mauult dicere inopinabiles, quas Græci ἀδόξους καὶ τόπους ὑποθέσεις appellant, & veteres docti sunt: non sophistæ solùm, sed Philosophi quoque, & noster Phauorinus oppidò quàm libens in eas materias dicebat, vel ingenio expergificando ratus idoneas, vel exercendis argutiis, vel edomandis vsu difficultatibus, sicuti cum Thersitæ laudes quæsiuit, & cum febrim quartis diebus recurrentem laudauit. Lepida sanè multa, & non facilia inuentu in vtramque causam dixit.] 393.

Absolutè tamen loquendo, inane est huiusmodi laborem subire, & in homine aliis distento curis, ratione muneris, aut gradus, labor ille posset non vacare labe. Quò pertinet disputatio, quam instituit Heruæus *quodlib.* 2 *q.* 16. an viro Theologo, mortale sit hærere in quæstionibus curiosis. Admissa enim honestate ventilationis quæstionum curiosarum, ad laxandum, vel iucundè exercendum animum, sicut potest honestum esse, & labe vacans ludere, dimissis ad tempus negotiis seriis; subiungit, posse tamen esse mortale peccatum in studio talium quæstionum; vtique nimio, si inde dispendium animarum exoriatur; quatenus qui nugis illis insistit, posset vtiliter nauare operam depulsioni errorum alicubi fortè vigentium, in euentu, in quo charitas, aut studium fidei, iniiciat necessitatem depellendi errores illos. Non ista frustrà iactari ab Heruæo, sed experimento firmatum esse tricas inutiles Scholasticorum, inutilibus curiositatibus, imò meris nugacitatibus plus iusto insistentium, & languentium circa pugnas verborum, nocuisse supra modum Ecclesiæ Dei, seculo superiore, cùm Lutherana caligo operuit populos, questus iampridem est Melchior Canus *lib.* 9. *de locis cap.* 1. agens de Theologis arundines longas argumentorum, & gerrarum Sophisticarum proferentibus, cùm deberent tela non imbellia vibrare. 394.

SERIES IV.

Libri nec in se mali, nec nociui.

Actum hactenus de libris & in se malis, & noxiis, ideóque configendis. Item de libris in se malis, sed non noxiis, ideóque sine cuiusquam periculo, immunibus à confixione. Nunc agendum sequitur de libris in se malis, imò bonis; itémque non noxiis, sintne eorum aliqui configendi. Hoc proponens, videbor ad rem superuacaneam aggredi; confixio enim, damnum à libro imminens spectat, eiúsque vitium supponit. Vbi ergo vitium non interuenit, & damni periculum abest, frustrà, imò cum iniuria, videtur præbendus confixioni locus. Meritò tamen id à nobis agitari, sequentia monstrabunt. 395.

EROTEMA XVIII.

An libri quidam idcircò configendi, quòd eorum argumentum deinceps premi, nec vlteriùs agitari placeat.

DE hac re egeram plenè hoc loco, discussis latè & accuratè rationibus, quibus constaret, eam praxim premendi quasdam materias, prætextu duntaxat pacis conseruandæ, non videri admodum commodam Ecclesiæ, neque esse consentaneam vsui maiorum. Nonnullæ quidem sunt quæstiones, quarum agitatio inducere posset dissidia, atque tumultus in populis, ac proinde quas premere præstet; (quidam namque errores nequaquam tam latè se potuissent effundere, nisi contentione creuissent, vt dixit Seuerus Sulpitius *dial.* 1. agens de Origenis dogmatibus, & libris.) Ex altera tamen parte, periculum imminere videtur, ne inhibita plurimarum materiarum discussione ac vulgatione, occlusas breui videamus Theologiæ scholasticæ conclauium fores; quandoquidem à paucis annis tam multarum quæstionum Theologicarum, & propè omnium, in quas incurrere concertationem aliquam contingit, discussione, saltem, quæ libris editis euulgetur, est interdictum. Inferbuit de summo nitore, ac tersissima puritate Conceptionis Beatæ Mariæ, de eluctabilitate efficacium gratiæ auxiliorum, de indirecta summi Pontificis potestate in temporalia, de hierarchiæ finibus, de necessitate & materia proxima Confirmationis, aliisque hypermisticæ Theologiæ capitibus contentio, quam non more maiorum, Pontificia, aut conciliaris definitio diremit; sed indictum iustitium, obstructo ore, & confractis calamis, vetita eius agitatione suppressit, ac silentij sipario obduxit. Standum esse iussis maiorum, nemo in dubium reuocat sanus. Suggerere tamen debita cum humilitate maioribus, quid incommodi prohibitiones illæ inferre queant, nemo iure reprehendat, cùm Moyses spiritu Dei plenus, Ethnici hominis suggestionem non sit auersatus. Hoc itaque est, quod hoc loco præstiteram. Postea tamen, cùm ante quinquennium mihi Româ in Gallias regredienti, summus Pontifex imperasset, vt rationes quas ad laxandam prohibitionem à me conquisitas & discussas dixeram, Romam examinandas transmitterem, auulsam ab hoc opere rationum illarum tractationem, retuli in peculiarem dissertationem, cui hunc præfixi titulum, *Theologia supplex, instructa libello, pro libera quæstionum scholasticarum inter Doctores discussione, cum charitate atque modestia.* Hæc causa est, cur disputatio de re proposita, hîc hoc loco, nec ad Erotema præfixum, detur responsio.

EROTEMA

Erotema XIX.

An libri, nullo, vel gratis conficto Autoris nomine editi, sint configendi.

VIderi potest perinde esse, suppresso prorsus parentis nomine librum edere; ac adhibito quidem nomine aliquo, sed ementito. Et sunt sanè duo illa valdè affinia. Nihilominus hoc secundum, præter nominis suppressionem, fucum continet, qui nisi interpolatio sit modica, & quam omnes non lusciosi facilè deprehendant, vt cum *Theodorus* pro *Dorotheo*, *Philotheus* pro *Theophilo*, *Alcuinus* pro *Caluino* ponitur; quibusdam, ac nominatim Maldero, opusculo *de restrictionibus*, non videtur abesse à mendacio, quod liquet prorsus exulare, cùm nomen omninò reticetur. Itaque est aliquod inter duo illa discrimen; sed quod in re præsenti, nullum esse videri iure potest. Nam qui nomen ementitur, verè premit nomen suum. Meritò igitur duo hæc coniungimus. 396.

Librorum anepigraphorum, vel pseudepigraphorum, iusta damnatio.

Synodus Tridentina *sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum*, vetat quosuis libros de rebus sacris, sine nomine Autoris imprimere, vel imprimi facere, illósve in futurum vendere, aut apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario, accesseritque etiam Superiorum facultas, si autores fuerint Regulares. In euulgatores item, codicum illorum manu duntaxat exaratorum, eandem stringit securim censuræ, si librorum discussionem, & approbationem prædictam non adhibuerint priùs quàm euulgentur. Mulcta transgressoribus constituitur, cum anathematis, tum pecuniaria: quam priùs Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.* 50. iis constituerat Typographis, qui librum idonea approbatione non communitum fecissent publici iuris. Et quamquam amissio librorum sic editorum, & publica eorum combustio, quam Concilium Lateranense inflixerat, librum non approbatum edentibus, non intorqueatur à Tridentino, in eos, qui absque nomine autoris excudunt libros de rebus sacris: tamen sufficienter libros configit, & autores damnat, cùm libros eiusmodi distrahi, aut retineri vetat. Cæterùm hoc Concilij interdictum, quod ad libros de rebus sacris arctabatur, instructio sub Pio IV. edita *tit. de impressione librorum*, §. 1. ad omnes planè libros extendit. [Nullus liber, (inquit,) in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat autoris.] Subesse tamen aliquando posse iustam causam reticendi nominis, iudicio Præsidum probandam, ibidem subditur. Sed hoc rarum admodùm, & infrequens est. Vt plurimùm autem, ac ferè semper exprimendum est autoris nomen, vel quod perinde forè statuit Io. Azorius *p. 1. lib. 18. c. 17. q. 3.* nomen certi Collegij, aut Cœnobij, vel Vniuersitatis.

Rationes

397. Rationes huius edicti, & cur meritò configantur libri incerto parente prodeuntes, non sunt obscuræ: sed illa primaria est, quod faciliùs ea ratione propinetur incautis, venenum, à quo cauissent, si adhibito legitimo titulo, fucus factus non fuisset. Eáque ex causa, iam olim in Ecclesia, libri absque autoris nomine fuere suspecti, vt docent illa Tertulliani *lib. 4. contra Marcio. c. 2.* [Et possem iam hîc gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, & professione debita autoris.] Nimirum iam ea ætate locum habebat corruptela libros absque autoris nomine, vel appicto falso autore euulgandi, quod fuisse Caluino, & posteris solemnissimum, exemplis omninò multis, demonstrat Feuardentius ad inscriptionem Epistolæ Catholicæ S. Iacobi. Idque cordatioribus plerisque sectariis improbatum docet.

Addenda est ratio, ex debito auctoribus laborum præmio, & honore seruando. Sanè *titulos* librorum idcircò dictos, quòd ob appositum autoris nomen, famam eius tuerentur, scripsit Alciatus *ad tit. ff de rebus creditis si certum petatur.* Et quamquam à comptis potiùs librorum capitibus ad modum ornamentorum capitis Flaminicarum, nomen *tituli* mauult deriuari Magius *lib. 1. miscell. c. 14.* Tamen Alciato suffragatus videtur Varro *lib. 6. de ling. lat.* Accedit non contemnenda ratio ex impedienda permistione librorum. Cautum enim præterea ea ratione est, ne spuriæ soboles in alienam quandoque familiam, magna cum confusione, & lectorum dispendio irrepant. Quid enim optandum magis, quàm vt grauium Scriptorum panes siliginei, (vt sic dicam cum Sancto Gregorio, humillimè de suis, præ Sancti Augustini scriptis loquente,) admisto furfure minutorum operum non contaminentur? Dolemus id non rarò, cum SS. Augustini, Hieronymi, Bernardi, aliorúmque lucubrationibus infartas, alias vix legi dignas, certè tantorum virorum legitimis scriptionibus longè impares, deprehendimus. At cur irrepserint in alienum nomen spurij partus, non postrema ratio fuit, quod sine autorum nomine prodiissent. Succurrit animo, quod de Gulielmo Couentrienſi in tabulis Britannicorum Scriptorum tradit Pitsæus, in more illi fuisse, libros fundere sine patre, sine matre, sine genealogia. Vnde manauit error, quo nonnullæ eius scriptiones aliis fortasse quibusdam, vna Sancto Anselmo est adscripta, nempe *Elucidarium*; quam fœdam hallucinationem nuper deteximus. Tantum sanè à legitimis Anselmi fœtibus distat ea lucubratio, quantum propè ab homine simia.

398. Quare vt rationes cæteræ deessent, ingenti rei literariæ bono consultum est, ea proprij autorum nominis adhibendi indictione, quæ ne supponantur viris magnis gerræ scriptionum, confert permultùm. Idque spectasse præter cætera, qui operibus quæ edebant, nomina sua inscribebant, docet in hunc modum Autor libri *de oper. Christi Card. in prologo ferè initio.* [Sic & Philosophi, & Doctores antiqui, tractatibus suis nomina prætexuere, breui titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes, & propriæ gloriæ, præposito nomine suo prouidentes, vt integritatem operis, & laboris auctoris, tam styli, quàm personæ in posterum auctoritas conseruaret, & facilè scripturæ subtilitas indicaret, si aliqua manus inuida elegantiæ tractatuum elimatorum, pannum rudem insueret: vel nugis suis, quasi sua essent, quæ alius laudabiliter dictasset, furtiua translatione inseret.]

Audi etiam Claudianum Mamertum *lib. 1. de ſtatu Animæ cap. 2.* [Primùm 399.
quærere cordi eſt, quídnam rationis extiterit, vt tantas initurus cauſas de támque ſublimibus loquuturus ſciri vitauerit. Si benè conſcius diſputas, cur nomen occultas? Si agnoſci metuis, cur opus prodis? nec dicam, cur ita conſcribis? An maiorum ſuper hoc forſitan exempla ſectaris? Sed video Prophetas, Euangeliſtas, Apoſtolos, poſt etiam authenticorum plurimos tractatores, ſua propriis voluminibus nomina prænotaſſe: alios etiam operum ſuorum in propriis vocabulis inchoaſſe principia, vt eſt illud, *Petrus Apoſtolus Chriſti*; & Paulus, nec non alij, atque alij fundatores Eccleſiæ, atque eruditores. Videlicet præcauenda fore nouerant Apocryphorum vana, vel noxia. Sed nec ſic quidem fallacium temerariorum vitari figmenta potuerunt. Hinc eſt, quòd pleraque Pauli, multorúmque Sanctorum vocabulis prænotata, ſanitas fidei noſtræ Catholicæ non recipit, quia non lenocinio nominis, operis meritum penſat, ſed autorem ſibi, ſtyli veritate conciliat. Enimuerò illud, quod iſta pagina propalatur, eiuſdémque autor occultatur, euidens facit indicium, eundem ſcilicet, à quo ſit compoſita, fuiſſe damnatum. Nemo enim ſtudet occultari, niſi qui formidat agnoſci. Ego tamen ſatis mirari nequeo, cur in eodem vitandæ noxæ non fuerit ſtudium, in quo ſupprimendi nominis potuit eſſe iudicium.]

Non omitto Petrum Pictauienſem, qui epiſtola ad Petrum Cluniacenſem, excuſans, quòd nomen ſuum breui lucubrationi præfixiſſet, ait in primis ſe id feciſſe iuſſum ab ipſo Petro Cluniacenſi, Superiore ſuo. Deinde [quòd ſciret, multos probatæ Religionis, & humilitatis viros, hoc idem de quibuſlibet ſcriptis ſuis olim ſtudiosè feciſſe. [Quos certè magis, (inquit,) in hoc quantulocunque opuſculo noſtro imitari affecto, quàm quoſdam noſtri temporis ſcriptores, qui neſcio qua vel cautela, vel imperitia, vbique nomina ſua ſupprimunt, incurrentes apocryphorum ſcriptorum vecordiam, qui ſiue de falſitate, ſiue de hæreſi, quibus, (vt fertur,) ſua omnia fermentabant, redargui fugientes, nuſquam propria vocabula prætulerunt. Non ergo me hîc aliquis ante tempus iudicare feſtinet, ſed Deo, & conſcientiæ meæ, me dimittat, & ipſe, ſi voluerit, Ouidium ſine titulo ſcribat.]

Quid in contrarium ex vſu Scriptorum Canonicorum, & SS. Patrum, opponi poſsit.

Video opponi in contrarium poſſe, vſum cui ægrè inuratur nota. Bona 400.
quippè pars librorum veteris Teſtamenti, non præfixo autoris nomine, incertum eſt à quo ſit conſcripta. Nominatímque plerique Pſalmi, anonymis parentibus ſunt editi. In nouo item Teſtamento, Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, nomen ſuum non præfixit ei ſcriptioni; improbant enim graues Autores meritiſſimò, quòd aliqui præfixum ibi quoque Pauli nomen, vt ſemper alibi, exiſtimarunt: ab Interprete autem dimiſſum eſſe, ſiue quòd manco exemplari vteretur, ſiue per humanam incogitantiam. Quæ interpretem vulgatum criminandi audacia, eo ſecuriùs eſt repellenda, quòd ea taciti autoris cauſa, nulli veterum in mentem venit; cùm tamen tam multi cauſam preſſi in ea epiſtola autoris, ſcrutati ſint quàm diligenter. Sanctus certè Chryſoſtomus in fronte

epistolæ ad Romanos disertè supponit, quod dixi, & à SS. Matthæo, Marco, Ioanne, Luca, pressum nomen suum affirmat: tametsi cogitandum relinquit, cur Prophetæ, & Salomon nomina sua præposuerint scriptionibus suis.

401. Ad hæc Autor antiquus, cuius insignis liber de operibus Christi cardinalibus inter S. Cypriani opera adscriptus legitur, non modò nomen suum reticuit, prudens ac volens, sed etiam pro eo vsu pugnauit. Adscribo partem vernantissimæ orationis. [Sic in capite libri sui quisque auctorem se posuit, vt & stylus auctori, & stylo auctor famularetur, & auctoritate altrinseca, communis gloria muniretur. Hoc virorum illustrium præclara meruerunt ingenia, & per hæc viuax eorum fama, & gloria indelebilis perseuerat. Nos verò, qui vix intelligimus quæ ab eis dicta sunt, sensu, & eloquentia omninò eis impares, si quid aliquando scribimus, indignum titulo iudicamus, ne fortè nobilis materia, cuius explanationi studium adhibemus, decoloratam se potius, quàm ornatam nostra præsumptione queratur.]

Non est quidem hic autor, Cyprianus; id enim D. Augustinum non latuisset, adeò sollicitum pro liberando S. Cypriano ab errore de casso hæreticorum Baptismo; qua labe aliquando sorduerat: & abstergi nullo negotio potuisset ex hoc opere, *initio sermonis de Baptismo Christi*, *& serm. de Pass. Dom. sub finem*; quibus locis, error ille Sancti Cypriani, disertè, & citra ambages, fortitérque conuellitur. Quamuis igitur non sit hic auctor S. Cyprianus, est tamen auctor grauissimus, & lectu dignissimus, cùm facundiam, qua valet plurimum, Christianæ pietatis sapore exquisitè condiuerit; nomen autem suum, & suppressit, & supprimi debuisse, conatus est demonstrare.

402. In eadem naui est Saluianus, qui tametsi egregio operi, quod ad Ecclesiam Catholicam inscribebat, appinxit nomen *Timothei* appellatiuè acceptum, quòd magno diuini honoris æstu flagrare se profiteatur in eo opere; tamen agnosci de nomine noluit. At non secus facere, qui extraneam appellationem præfigit operi, quam si nullam adhiberet, præmisimus. Porrò non modò consultò nomen suum pressit in ea scriptione Saluianus, sed pro eo quoque silentio postea pugnauit, scribens ad Salonium Episcopum, suam aliquando discipulum; sic enim habet ferè initio epistolæ eidem operi præfigi solitæ. [Sed requirit forsitan aliquis, quis ille auctor sit, si Apostolus non est, & vtrùm suum libellis ipsis, an alienum nomen inscripserit. Verum est, potest hoc quidem quæri, & rectè quæritur, si inquisitio valet ad aliquem fructum peruenire: cæterùm si infructuosa est, quid necesse est vt laboret curiositas, cùm profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine, profectus magis quæritur lectionis, quàm nomen auctoris; & ideo si profectus est in lectione, & habet quisquis ille est, quod potest instruere lecturos quid ei cum vocabulo, quod iuuare non potest curiosos? Ita vt dignissimè huic inquisitori Angelicum illud respondeatur. Patriam quæris, an mercenarium? Cùm enim nullus profectus sit in nomine, qui profectum scriptis inuenit, superfluè nomen scriptoris inquirit.]

Rursus vberiùs sub epistolæ finem, in pleniore tractatione secundi quæsiti, cur scilicet suppressum esset autoris nomen, sic disserit. [Nunc illud dicimus, quod secundum est; scilicet cur in titulo libellorum non sit nomen autoris. Cuius rei licèt vna sit causa maxima, multæ tamen, (vtreor,) esse potuerunt;

ac

ac primùm illa veniens à mandato Dei, quo præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem; ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmium cæleste perdamus. Ex quo etiam illud est, quod & orari Deus, & donari occultè iubens, vult nos fructum boni operis commendare secreto, quia nulla sit maior fidei deuotio, quàm quæ conscientiam vitat hominum, Deo teste contenta; *nesciat enim* (inquit Saluator,) *manus sinistra quid faciat dextra tua, & Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi*; & ideò scriptori illi ad subtrahendum ei titulo nomen suum, atque celandum, sufficere hæc tantummodò causa potuit, vt quod in honorem Domini sui fecerat, diuinæ tantùm scientiæ reseruaret, & res commendabilior Deo fieret, quæ famam publicam deuitasset. Sed tamen quod confitendum fuit, præcipuum illud fuit, quia scriptor ille, vt legimus, humilis est in oculis suis, ac vilis sibi exiguum se penitus, atque vltimum putans, & hoc, quod maius est, mira fide, non officio humilitatis assumptæ, sed iudicij simplicis veritate; vnde est, quod iure se etiam ab aliis habendum putans, qualis à semetipso, rectè libellis suis alienum nomen inseruit; scilicet ne authoritatem salubribus scriptis personæ suæ paruitas derogaret. Omnia enim admodum dicta tanti existimantur, quantus est ille, qui dixit: siquidem tam imbecilla sunt iudicia huius temporis, ac penè tam nulla, vt hi qui legunt, non tam considerent quid legant, quàm cuius legant; nec tam dictionis vim, atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem: idcircò igitur scriptor ille, abscondi, & latitare omnibus modis voluit, ne scripta, quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen Autoris. Habet itaque quisquis ille est, qui requirit cur alienum nomen assumptum sit.]

Quod factum à Saluiano videmus, æquè ab aliis Patribus vsurpatum est. 403.
Nam Vincentius Lyrinensis, aureum commonitorium edidit nomine *Peregrini*, vt Autor est Gennadius *in Vincentio*, & ex fronte quoque Commonitorij discimus. Sulpitius *epistola ad Desiderium*, præfixa libro de vita Sancti Martini, rogat vt is liber suppresso autoris nomine edatur. [Quòd, (inquit,) & fidei valeat, titulum frontis rade, vt muta sit pagina; & quod sufficit loquatur materia, non loquatur Autorem.] Raymundus Iordani, sub *Idiotæ* obscurissimo nomine hactenus latuit. Richardus à Sancto Laurentio, *prologo secundo* in opus suum de Beata Maria, profitetur, se consultò nomem suum reticuisse. Et inde factum est, vt illud opus nomine *Marialis*, *Alberti Magni*, diu sit vulgatum. Gulielmus Conuentrienſis Carmelita, referente *Pitsæo*, benè multos libros edidit suppresso suo nomine. Idem factum à Thoma Moro, liquet ex Stapletono *in Mori vita cap.* 6. Homerum à presso vbique suo nomine celebrat Dio Chrysost. *orat.* 36.

Quid quòd nonnulli Patres, opera sua vulgarunt nomine anteriorum Pa- 404.
trum grauissimorum, quod multo plus est, quàm vel nomen reticere, vel nomen nulli proprium apponere? Sic vt nonnulla exempla superiùs diffusè expensa, hîc compendio repræsentem, Sanctus Anastasius Sinaita, *cap.* 10. ὁδηγῷ *pag.* 193. Tomum dogmaticum de Incarnatione à se conscriptum sub nomine S. Flauiani, vltrò fatetur. Item S. Vigilius *lib.* 5. *contra Eutychem*, *non longè à principio*, ait, se librum nomine Sancti Athanasij edidisse contra Arrium, Sabellium,

Sabellium, & Photinum, qui inter D. Athanasij opera sub nomine *disputationis Laodiceæ habitæ*, perseuerat. Inter D. Augustini opera circumferuntur sermones *ad fratres in Eremo*, quos ementito tanti Patris nomine ab alio editos esse, videtur debere esse extra dubium: non tamen damnantur illi sermones; imò in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio, allegantur cum laude. Non pauci nomen Flauij Dextri, appictum gratis ei Chronico, quod nuper eius nomine prodiit, censuerunt. Liber tamen ille liberè teritur omnium manibus. Primus liber, qui à Societate IESV prodiit, (nempè Canisij Catechismus,) primùm prodiit absque Authoris nomine, vt scribit Raderus in Canisio *lib.5. cap.6.* Similium exemplorum nullibi est parcitas, & in tractatione de multiplici suppositione librorum, congessimus pleraque. Videbimur ergo seuerius agere, si libros anepigraphos, vel pseudepigraphos, eo nomine configendos putemus, quod autoris nomine careant, vel confictum præferant.

Elisa, quæ ex scripturis anepigraphis præferebantur.

405. His argumentis planè euincitur, causas subesse posse, cur interdum autoris suppressio, libro sit innoxia: id quod etiam in regulis Pij IV. iussu editis, statui vidimus, & habemus exemplum librorum sacrorum plurimorum, quibus ex iusta causa non est adscriptum nomen Authoris. v. g. Moses Genesi nomen suum non præfixit, vt constaret opus illud Dei esse, tanquam Autoris; Mosem verò scribam duntaxat fuisse, vt ratiocinatur Anastasius *lib. 2. in Hexaëm. sub finem.* Et idem est de aliis libris absque Authoris nomine editis, in sacrum Canonem relatis. Eadem ratio habere locum potest circa authores Psalmorum, qui carent authoris nomine; significare enim voluit eo de autoribus silentio, Spiritus sanctus, se esse autorem sacrarum scriptionum. Id quod etiam aliquando in actu signato exprimit; siue dicendo librum sacrum esse non Matthæi, vel Lucæ, sed secundùm Matthæum, & Lucam; siue dicendo librum esse conscriptum inspirante Deo: vt cùm in plerisque Psalmis habetur, *Psalmus ipsi Dauid*; id est, diuinitus inspiratus, atque concreditus, vt obseruat Genebr. Quam etiam ob causam, vt notat S. Gregor. *hom.2. in Ezech.* ad illud, *& vidi, & ecce ventus*, voluit Spiritus sanctus, vt scriptor Sacer interdum de se ipso, vt de tertia persona, & extranea loqueretur, ad indicandum germanum libri sacri autorem, esse Spiritum ipsum sanctum, non autem Canonicum Scriptorem. Et quanquam neque Scriptor sacer semper loquatur in tertia persona, neque semper reticeat nomen suum, tamen benè prouisum est aliquando ita accidere, vt is quem proposui, effectus bonus obtineretur: quanquam, quod attinet ad Psalmos, quorum autor est anonymus, S. Hilarius *in Prologo Psalmorum*, arbitratur eos esse autoris, cuius nomen proximè præcessit in antecedente quopiam Psalmo: sed quia reclamant non pauci, nec vacat id excutere, retineamus sanè rationem propositam.

406. Apostolus aliam ob causam, nimirum, quòd se Iudæis exosum sciret, & tanquam Mosaicæ legis infestum hostem haberi, acturus cum eis, prudenter subticuit nomen suum: ne odio scriptoris, à scriptione abhorrerent, & doctrinæ

subsidium quod illis porrigebat, nauseantibus & fastidientibus non prodesset. Quod est Clementis Alexandrini apud Eusebium *6. histor. cap.* 18. S. Hieronymi *lib. de Scriptoribus, in Paulo*, Sancti Augustini *in expositione inchoata epistolæ ad Rom.* aliorúmque de suppresso in ea epistola Pauli nomine iudicium, sanè verisimile. Ego illud exprimo verbis Chrysostomi *tom. 5. Græc. homil. 61.* [Cùm ad alios quidem omnes scribit, nomen suum epistolarum exordio præfigit: ad Hebræos autem mittens literas, nihil tale fecit, sed simpliciter non exprimens quis esset, vel ad quos scriberet, vt mos illius erat, ita demùm incepit, *Multifariam, multísque modis olim Deus loquens Patribus nostris.* Et verò Pauli sapientiæ hoc fuit. Ne enim in consortium odij venirent, tanquam larua quadam, nominis suppressione se ipsum occultans, ita clam cohortationis ipsis adhibet medicinam. Cùm enim odio prosequimur quempiam, quamuis aliquid rectum dicat, non propenso animo, neque cum voluptate, quæ ab eo dicuntur, excipimus. Quod ipsum ne tum quoque accideret, suum nomen ex epistola sustulit, vt nullum epistolæ obiiceretur impedimentum, quo minùs posset audiri. Neque enim Iudæi tantùm qui erant increduli, sed & illi ipsi, qui crediderant, oderant illum & auersabantur.]

Nec malè addunt aliqui recentiores, cùm se Saulus iam Paulus, Saulum dicere nollet, ne resumpto Iudaico, & abiecto Romano nomine, apud Christianos ex Ethnicismo conuersos quasi Iudaizans, & ad vomitum canis more reuersus malè audiret: nec expedire etiam censeret, vt se Paulum apud Hebræos diceret, quòd ea nominis mutatio ingesta, calcatæ, (vt tulerat calumnia,) legis Mosaicæ memoriam videretur renouatura, & in aliquorum fortassis exacerbationem cessura, maluisse Paulum abstinere sui nominis præfixione. Profertúrque etiam alia ratio ex Clemente Alexandrino apud Eusebium *6. histor. cap.* 11. & ex S. Hieronymo *in cap. primum ad Galat. ferè initio*, circa titulum, nec non etiam ex Theodoreto, qui Paulum, solemnem epistolam suarum Epigraphem in hac prætermisisse censuerunt, quod scribens ad Hebræos, quorum Apostolum, (vt hîc vocat,) vel, (vt alibi loquitur,) ministrum Circumcisionis agnoscebat Christum ipsum, refugerit præ humilitate, dicere se, vt alibi semper in epistolarum titulo, *Paulum Apostolum.*

Cur aliqui Patres nomina sua presserint, aut aliena adhibuerint.

Similiter Author operis *de operibus Christi cardinalibus*, ne nominis sui 407
tenuitate, (vt præ humilitate sentiebat,) vilesceret tractatio argumenti dignitate nobilis; maluit autoris nomine vacuam prodire. Nec dissimiliter pro ementita operis sui inscriptione differuit Saluianus, addita aculeatæ lucubrationis apud permultos subsecutura offensione, quam æquum erat in authorem non retorqueri; vt proinde satius fuerit nomen eus subticere. Iisdem rationibus, ac præsertim spe fructus maioris ex scriptione hauriendi, permotos esse reliquos Patres, qui nomen suum dissimularunt, vel alieno nomine prænotarunt libros suos, exploratum esse debet. Quòd si de Pseudo-Au-

guſtino ad Eremitas ſermocinante idem ſtatuendum cenſeat æquus lector, eum ſcilicet, vt plus prodeſſet, ex Auguſtini perſona declamitare ſcripto voluiſſe, non abnuam. Idiotæ verò mentem humillimam, appellatio ipſa monſtrat; vt non ſit pro aliis ſuppreſſi per eum nominis cauſis conquirendis laborandum. Chronici Flauij Dextri anceps eſt cauſa, de qua in præſentia pronunciare non placet. Sed ſi victoria eſſet penes eos, qui huiuſmodi Chronicon nouitium eſſe contendunt, & falsò adſcriptum Flauio Dextro, non eſſet laborandum in cauſis ſpecioſi nominis ei Chronico præfixi, cùm id ex vaniſſima vanitate flagitiosè ſuſceptum eſſe, non eſſet futurum dubium.

408. Quare maneat, libros nullo, vel ementito autoris nomine editos, niſi ſubſit idonea ſuppreſſionis illius cauſa maioribus probata, confixioni iure patere, etiamſi boni, & innocui eſſent. Et ſanè ſuppetit ipſius Autoris præiudicium aduersùs librum ſuum, cui nomen veri autoris præfigere non eſt auſus. Expendatur probrum libri quod non erigit frontem. Eo ipſo enim innuitur eſſe reprobum, quia veritas, vt alibi plenè trado, non amat latere, ſed geſtit erumpere, ac manifeſtari. Duntaxat falſitas & malitia, auet celari, vt rectè aſſumit Tertullianus, *cap.* 1. *Apolog.* Iis ipſis, qui enormia patrarunt vt factis, premi ac occultari commeritis, reſpondeat pœna, repenſa ſæpè eſt publico decreto ſuppreſſio nominis, vt illi templi Epheſij magnificentiſſimi incendiario; cùm faſſus eſſet ſe tantum facinus aggreſſum, vt inde nominis immortalitatem aſſequeretur. Decreto enim publico cautum eſt, ne eius nomen vſpiam conſignaretur. Quanquam neſcio vnde innotuit, nomen ei fuiſſe *Heroſtrato.* Tyberij item decreto, artifex, vitri non fragilis inuentor, æterna nominis ſuppreſſione multatus eſt, vt ſcribit Dio *lib.* 57. quia eius inuentum iudicatum eſt pernicioſum; quippè pretia auro & argento, ac quibuſuis metalis detracturum, vt Plinius notauit *lib.* 36. *cap.* 26. Quæ ergo improuidentia eſt, vltrò libro ſuo accerſere, quod pro maxima pœna valdè noxiis decreto plublico irrogatur, nempe vt nomen autoris obliteretur, nec permânet ad poſteros eius memoria? Qui itaque ſic ſtatuit de ſuo opere, non poteſt ægrè ferre quod ei publica ſententia ſuffragetur, & tenebris damnet librum quem autor ſub ſipario latens, ſibi cenſet probroſum; & eo ipſo, indignum luce publica pronunciat.

EROTEMA XX.

An eo tantùm nomine, quòd liber quiſpiam nouam doctrinam contineat, ſit configendus.

409. COlloco in hac ſerie, libros ex ſola nouitate ſuſpectos, quia ex ſe poſſunt & innoxij, & boni eſſe. Conſiderandum ergo eſt, an ob ſolam nouitatem,

nouitatem, periclitari debeant. Videtur autem adhibenda distinctio. Nam vel nouitas spectat fidei dogmata, vel modum dumtaxat ea confirmandi, aut illustrandi; aut certè cadit in aliquam materiam, cui nihil est cum fide diuina commune.

In causa fidei, reprobatur nouitas.

Nouitas in rebus fidei, vt notauit Naz. *orat.* 33. *initio*, apud Apostolum 1. *Timoth.* 6. idem est, quod error, vel doctrina improbanda. Et hac ratione, Faustus Episcopus Apolloniadis, *ep. ad Petrum Fullonē*, ait. [Scis Apostolos non fuisse præceptores in nouitate.] id est, nouitatum magistros non fuisse, qui tantùm docebarit quæ à Christo acceperant. Similiter apud Lyrinensem in commonitorio nunquam satis laudato, fusissimè monstratur, *nouitates* idipsum esse quod *hæreses*. Nominatimque *cap.* 26. prolato eo Apostoli loco quem Nazian. quoque allegauit tanquam spirituali quodam gladio, quo sæpè truncatæ, sempérque truncandæ sunt hæreses, subdit. [Et posthæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cælestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremò fulminibus non conterantur? *Deuita*, (inquit,) *prophanas vocum nouitates*, non dixit *antiquitates*, non dixit *vetustates*, imò planè quid è contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est nouitas, tenenda est antiquitas, & si prophana est nouitas, sacrata est vetustas.] S. Basilius *lib. de Spiritu sancto cap.* 29. ad eundem lydium lapidem, exigi vult res fidei. [Venerandа sunt enim vetusta dogmata, quod ob antiquitatem, seu caniciem quandam, habeant quiddam reuerendum.] Idem *epist.* 62. *in laudibus Eusebij Neocæsarienſis*, illud fusè recensет, quod vetera veterum proferret, & nouitates auersaretur.

Augustinus *lib. de vtilit. credendi cap.* 1. per studium nouitatis definit hæreticum. Eámque hæreseon, & Catholicorum dogmatum, veluti characteristicam assignat Orig *tractat.* 21. *in Matth.* Pulchrè vera Theophil. Alex. *hom.* 1. *Pasch.* hac ex causa confert hæreticos veritatis antiquæ fastidia sustinentes, præguſtantibus cibos, vulgares fastidientibus, & nouos, ac insolitos affectantibus. Hæc illi vniuersè.

Sigillatim verò, quibusuis planè hæresibus, idipsum à Patribus obiectum 410.
est. Petrus Chrysologus impugnans Nestorianos *serm.* 145. *in fine.* [Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones; & Christus circa quingentos annos natiuitatis suæ causas præstat? ortus sui lites patitur, status sui sustinet quæstiones?]

Hieronymus pulchrè *epist.* 65. *num.* 24. de Origenis erroribus cum Pammachio, & Oceano differens. [Quisquis es, (inquit,) assertor nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nesciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Vsque ad hunc diem, sine ista doctrina mundus Christianus

ſtianus fuit. Illam ſenex tenebo fidem, in qua puer natus ſum.] Magiſtrum videtur expreſſiſſe, cuius illa ſunt ſanè illuſtria *orat. 52. num. 14.* nouitatem Apollinariſtarum redarguentis. [O ingentem abſurditatem! abſconditam poſt Chriſtum ſapientiam nobis annunciant, id quod ſanè lachrymis dignum eſt. Nam ſi triginta dumtaxat abhinc annis fides initium ſumpſit, cùm quadringenti iam anni ferè fluxerint, ex quo Chriſtus manifeſtatus eſt; inane vtique tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides noſtra; fruſtráque Martyres martyrio perfuncti ſunt, & tales tantíque Antiſtites plebi præfuerunt.] Similia Tertullianus *lib. de præſcript. cap. 29.* S. Athanaſius *de Synodis Arimini, & Seleuciæ initio*, Lyrin. *in commonitorio, cap. 33.* aliàs 34. Pacianus *epiſtol. 3. initio.*

411. Apud S. Epiphanium, cùm Aëtius Anomæorum parens, Catholicos nominaſſet *antiquarios*, & qui iamdiu opinionis ſuæ adhæſerunt, (ita enim habet initio ſui libelli, quem S. Epiphanius *hær. 76.* deſcripſit, & initio Syllogiſticorum capitum, quæ S. quoque Epiphanius ex eo ſubiicit;) ad hunc modum ei reponit S. Epiphanius, redarguens quòd ſtultè Catholicos ſic nominaſſet. [Etenim ſancta Dei fides ab initio exiſtens, & ſemper antiqua, & non inueteraſcens, ſemper eſt; & firmatum eſt huius fundamentum, & exiſtit habens ſuum Dominum ſine tempore. Ideò neque ipſa temporalis exiſtit, ſed cum Angelis conuerſatur, & Sanctos per generationem, ac generationem ornat. Tu verò potiùs temporalis es, paſtus, ac deceptus ab errore, & elatus mente, etiam gregem tuum fuſim in pabulum ſpinoſum implicuiſti; nemo enim ex veteribus tecum ſenſit ô Aëti, qui contra Antiquarios ſcribens, ipſe temporalis es, & minimè antiquarius.]

De Manichæis in hunc modum ſcribit S. Auguſtiuus *lib. 15. contra Fauſt. c. 3.* Quid agunt iſti euangelizantes nobis præter quod accepimus, niſi vt nos à caſtitate corrumpant, quam Chriſto ſeruamus, quando legem Dei culpant nomine vetuſtatis, & errorem ſuum laudant nomine nouitatis; quaſi omnis vetuſtas fugienda ſit, aut omnis nouitas appetenda; cùm & mandatum vetus in laude ponat Apoſt. Ioan. & prophanas verborũ nouitates euitari iubeat Apoſt. Paulus.]

Ex variis Patribus, multa in eandem ſententiam, & nouitatis hac in parte improbationem, collegit Radulphus de Riuo *lib. de Canonum obſeruantia, propoſitione 6.* Et plura etiam Thomas Bozius *lib. 3. de ſignis cap. 9.* Denique ex nouitate ſeptimam hæreſeos notam, in hæreticis huius temporis, egregiè monſtratam legere licet *in Codice Fabriano lib. 1. tit. de ſumma Trinitat. & fide Catholica, §. ſeptima nota.*

Ethnici quoque, & Iudæi in negotio Religionis, antiquitatẽ probarunt.

412. Non diſſimile ſtudium erga vetuſtatem in cauſa Religionis viguiſſe in Ethnicis, diſcimus ex Tertulliano *cap. 6. Apolog.* necnon ex Arnobio *lib. 2. num. 60.* & ex Iſidoro Peluſiota *lib. 2. epiſt. 46.* Itémque ex Hilario Diacono *Epheſ. 5.* ad illud, *Nemo vos ſeducat inanibus verbis*, Lactantio *lib. 2. Inſtit. c. 6.* Zacharia Mytilenæo *ſub finem diſputationis de mundo contra Philoſophos.* Vt propterea S. Chryſ. *hom. 7. in 1. ad Cor.* in illa verba, *Quis cognouit ſenſum Dei*, mundi per Apoſtolos conuerſionẽ ex eo capite admirabiliſſimã eſſe ſtatuat, quòd tãtuli homines, abiecta veteri ſuperſtitione ad nouã doctrinã fidei amplectẽdã, Ethnicos indux erint.

Apud

Apud Theophilum Antiochenum *lib. 3. initio*, Autolycus Christianam Religionem repudiat, quia recens tunc, & nupera erat: obfirmatur autem in Ethnicismo ob eius antiquitatem, quam etiam valdè contra Christianos extollit Asclepiades Præses apud Prudentium *hymno 10. Peristeph.* agens cum S. Romano, verb is illis:

O fas priorum, moris ô prisci status!
Inuenta Regum pro salute publica,
Pompiliorum nostra carpunt sæcula:
Quis hos sophistas error inuexit nouus,
Qui non colendos esse Diuos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur.
Post euolutus mille demùm Consules
Ab vrbe Roma, ne retexam Nestores.
Quidquid nouellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
Vbi iste vester tunc erat summus Deus,
Diuûm fauore cùm puer Mauortius,
Fundaret Arcem septicollem Romulus?
Quod Roma pollet auspicato condita,
Ioui Statori debet, & Diis cæteris.
Hoc sanctum ab æuo est, hoc ab atauis traditum.

Quod autem Ethnici, præsidio se vetustatis securos maximè arbitrarentur, idcircò aliqui Patres grauissimè demonstrarunt, esse id planè intutum munimentum in causa Religionis, si aliud nihil proferatur. Optimè præter cæteros id prosequitur S. Ambrosius initio illius epistolæ, qua Symmachi relationem pro Ara victoriæ, confutauit. Et rursus egregiè sub finem epistolæ. [Sed maiorum, (inquit,) seruandus est ritus. Quid quòd omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse, qui vel primùm coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nónne postea distincto cœli, maris, terrarúmque discrimine, rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris; nouum terræ stupuere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis, incremento luminis micat, & caloris exæstuat. Luna ipsa, qua propheticis oraculis species Ecclesiæ figuratur, cùm primùm resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris nobis absconditur, paulatímque cornua sua complens, vel è regione Solis absoluens, cari splendore fulgoris irrutilat. Exercere in fructus, terræ antè nesciebant: pòst vbi imperare aruis sollicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vineis, syluestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius, ætas prima, quæ nos vsu parili colorauit, nuda gignentium, sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque æui rudes, sensus habemus infantiæ, sed mutati in annos, ingenij rudimenta deponimus. Dicant igitur in suis, omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum, quia splendore Solis illuxit, displicere: Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quàm corporis, fideíque iubar emicuisse quàm Solis? Ergo, & mundi, sicut omnium rerum primæua, viam mutarunt, vt venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, re- 413.

prehendant messem, quia sera fœcunditas est; reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est: reprehendant oliuam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra, fides animarum in Ecclesia; gratia meritorum vindemia est, quæ ab ortu Mundi virebat in Sanctis; sed postrema ætate se diffudit in populos, vt aduerterent omnes, non rudibus animis irrupisse fidem Christi; nulla enim sine aduersario corona est victoriæ: sed explosa ea opinione, quæ antè conualuit, id quod erat verum, iure prælatum.]

Concinnè item Philippus Abbas *lib.1.in Cant.c.6.* [Ad hanc non accessit Porphyrius, Aristoteles, Socrates, siue Plato, non primus non secundus, non de cœlo cadens ille tertius Cato, non denique quisquis abhorruit cæcatus malitia, gratiæ nouitatem, tenens, & retinens suæ, vel scientiæ, vel sapientiæ vetustatem: quorum scientia non sanare, sed inflare veraci iudicio, prædicatur. Sapientia verò apud Deum, grauis esse stultitia iudicatur in qua tamen fixi manent sensu nescio veritatis, semetipsos seducentes quodam priuilegio vetustatis. E quibus vnus,

Qui properant, (inquit,) *noua musta bibant, mihi fundat anitum,*
Testa merum.

Non mustum nouæ gratiæ de sponsi pectore luculento, sed fundi sibi optans vinum erroris vetus, de vase lutulento; cuius eum acceptior, eo sibi perfectior videtur suauitas, quod etiam eum vsus confirmauit, & auita sanxit antiquitas. At verò mustum nouum, quod à vasis veteribus non potest sustineri, illi bibant, qui properant, qui procedentem è thalamo sponsum diligunt intueri.] Est auaritia, iudice Apostolo, idololatria, atque adeò auari, Ethnicis accensendi. Quòd autem hi quoque mystici idololatræ, & Ethnici, antiquitate suam idololatriam tuerentur, eos refellit Sanctus Ambrosius *lib.de Tobia cap.22.* Ad hæc Iudæos pariter, constat, non alia magis ex causa obfirmari in errore, quàm quod antiquitatem superstitionis suæ nolunt abiicere. Sic Herbanus Iudæus disputans secunda die cum Gregentio, pressus argumentis, ait Gregentio: [Sapienter quidem respondes. Verùm enim verò, nos auitam illam, & patriam fidem deserere, & ad nouam accedere semper dolemus, & vehementer angimur. Vinum enim vetus, nouo melius est.] En quantoperè tenaces sint antiquitatis, miseri Apellæ. Itaque apud Christianos, multo magis, nouitas in causa Religionis, & fidei, exosa meritò est.

In Scripturæ interpretatione, improbatur nouitas.

416. Quia verò Scripturæ diuinæ, vnum sunt è reconditoriis, quibus fides continetur; (verbum enim Dei, quo fides Christiana nititur, aut est scriptum, aut traditum,) propterea inter Catholicos, suspecta semper fuit nouitas interpretationum Scripturæ sacræ, eáque hæreticum constitui, paulo latiùs nomen *hæretici* vsurpando, tradit S.Hieron. *in cap.5. ad Galatas*, adductus *cap. hæresis 34. quæst. 3.* Sed & in Synodo Trullana *actione vltima can.19.* iubetur, [ne quis Scripturam aliter interpretetur, quàm quomodo Ecclesiæ luminaria, & Doctores suis scriptis exposuerunt.] Quod ratum habetur in Tridentino *sess. 4. decreto de editione, & vsu sacrorum librorum*, vbi quilibet vetatur contorquere Scripturam ad sensus suos, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Ecclesia; aut etiam contra vnanimem consensum Patrum. Grauiter contra Caietanum

tanum id infigit Canus 3. *de locis cap.* 3. *concl.* 5. Eadémque valent contra Eraſmum, qui *lib.* 3. *de ratione concionandi*, *ſub finem*, multus eſt in tuenda libertate nouandi circa expoſitionem Scripturarum. Et ſiue malitiosè, ſiue imperitè, ita ſtatuit quæſtionem, vt longè abſit à vero, quod ait hac in parte improbari à Catholicis DD. Videsſis *ibi à pag.* 181.

Iam olim Patrum plerique, eam Scripturæ contorſionem ad ſenſus extraneos 417.
cum communi Patrum anteriorum mente pugnantes reprehenderunt, vt videre eſt apud Chryſoſtomum *hom.* 34. *in* 1. *ad Cor.* in expenſione illorum Aggæi verborum, *meum eſt aurum.* Iſidorum Peluſiotam *lib.* 3. *epiſt.* 292. Origenem *hom.* 7. *in Ezech. ferè initio*, qui vtinam quam aliis fixit interpretandæ, non contra antiquorum mentem Scripturæ regulam, ſeruaſſet ipſe. Audi enim quid teſtis omni exceptione maior S. Vincentius Lyrin. *c.* 23. *commonit.* de eo pronunciet [Origines, tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentiùs abutitur, dum ingenio ſuo nimiùm indulget, ſibíque ſatis credit, dum paruipendit antiquam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum magiſteria contemnens, quædam Scripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit, vt de ſe quoque, Eccleſiæ Dei diceretur, *Si ſurrexit in medio tui Propheta.* Et paulo pòſt. *Non audies*, (inquit,) *verba Prophetæ illius.* Et iterum. *Quia*, (inquit,) *tentat vos Dominus Deus veſter, vtrùm diligatis eum, an non.* Verè non ſolùm tentatio, ſed etiam magna tentatio deditam ſibi, atque à ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, conuerſationis, & gratiæ, nihil de ſe ſuſpicantem, nihil verentem, ſubitò à veteri Religione in nouam profanitatem ſenſim, paulatímque traducere.]

Ratum igitur eſto, nouitatem in rebus fidem ſpectantibus, deuitandam eſſe, 418.
& libros, qui eam inuehunt, meritò patere cenſuræ, tanquam audaciæ improbandæ fœtus. Inde enim Origeniſtarum nouitates eſſe deriuatas, Theophilus Alex. *lib.* 1. *Paſch. ſub finem*, egregiè aperit; non tacens quo abrupta hæc dementia tandem deducat. [Quamuis, (inquit de libris Origenis,) iuxta vaticinationem Prophetæ, Babylonis Calix, aureus eſſe dicatur, & compoſitione, ac lepore, verborum veritatis pulchritudinem præferat, & transfiguret ſe in Angelum lucis; tamen ſciendum, quòd quicumque bibunt de vino illius, mouentur, & corruunt, & contriti, lamentatione ſunt digni. Nos autem mortiferis perturbationibus reſiſtentes, muro continentiæ vallemus animam, & libertatem illius, quotidiana virtutum exercitatione tueamur. Sicut enim venditi ſeruí eorum, qui pro eis dedere pretium, & famuli & verberones vocantur, ita qui animas ſuas variis vendidere deſideriis, horum quibus ſe tradiderunt, famuli nuncupantur; quaſi crudelibus obediunt dominis. Eúmque, & emendatores erroris ſui rigida fronte contemnunt, temeritate ſtultitiam defendentes; ignorant, quòd audacia nihil ſit aliud, (vt mihi quidem videtur,) niſi abſque ſenſu, & cogitatione, ſententia; procul à ſe fugans gubernatorem perturbationum, animum. Cúmque tali fuerit ſpoliata præſidio, præceps in profundum fertur impietatis, & quaſi quodam amariſſimo rheumate, lumen mentis obſcurat, oculúmque eius ſecundùm eloquium Scripturarum, intractabili tenebrarum nocte circumdat. Vnde qui Origenis terroribus delectantur, Feſtiuitatis Dominicæ non ſperent præconia, nec vnguenta, aurum, & margaritas quærant in luto.]

Noua fidei illustratio, non improbatur.

419. Cæterùm non habetur pro nouitate, illustratio noua rerum fidei, proindéque non est damnandus scriptor eam inferens, ita vt cùm dicat nouè, non dicat noua, vt loquitur Vincentius Lyrin. *in commonit. cap.* 27. Illustrans locum Apostoli 1. *Timoth.* 6. quo profanæ vocum nouitates exterminandæ decernuntur; affatus in hunc modum, tractatorem sacrum. [O Timothee, ô Sacerdos, ô tractator, ô Doctor, si te idoneum munus fecerit diuinum, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis Tabernaculi Beseleël, pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.]

Húncque in sequentibus, præeunte Sancto Basilio *epist.* 79. *ad Eustathium*, docet esse profectum Religionis, ac fidei, salua vetustate, & excluſa nouitate. Eruuntur enim pleraque, & euoluuntur priùs latentia, nec nisi velut in semine habita; quæ sic euoluta, non habentur noua. Illustratio verò ipsa, seu modus confirmandi, aut declarandi dogma fidei, quamuis planè nouus esset, dummodò dogmatis vetustatem non remoueret, labe careret. Vnde meritò explodendi sunt, qui modum nouum, (vt ipsi quidem putant,) quamuis sit reuera perantiquus; modum, inquam, libertatem cum diuina naturali, & supernaturali prouidentia conciliandi per scientiam mediam, eo tantùm nomine criminari voluerunt, quòd nouus esset.

Neque noua illustratio Scripturæ.

420. Similitérque quoad Scripturarum interpretationem, in qua vidimus vetari nouitatem, non est æstimandum præcipi, vt tantum liceat repetere quæ anteriores tradiderint; sed vt non liceat proferre nouas interpretationes, consensui vnanimi sanctorum Patrum, aduersantes; & quæ stare nequeant cum eorum doctrina. Ita Turrianus *in præfatione ad librum primum de Eucharistia*, Bannes 1. *part. quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 6. Azorius *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 2. *quæst.* 3. Canus 8. *de locis cap.* 5. Alcazar *notat.* 19. *proœm.* Caietanus *prologo in Pentatenchum*, Mendoza *quæst.* 2. *posit. num.* 2. Basilius Poncius *quæst.* 4. *positiua cap.* 4. Cætera verò, quæ industria posteriorum excogitare potest, non pertinent ad nouitatem damnatam; alioqui ieiunè nimium, imò eo indignè pronunciaremus, de Scripturæ maiestate, quàm exhaustam ab anterioribus fateremur. De posteriorum verò ingeniis iusto demissiùs sentiremus, qui absint vacui ex campo, ac vinea, in quibus semper licet spicilegium, & racemationem facere, vt de Scriptura dixit S Ephrem *serm. de Transfiguratione*. Præclarè Orig. *homil. vnica in libros Reg.* cùm protritam explicationem quorumdam pũctorum retulisset, subdit. [Sed quantum innouari semper iubetur, qui secundùm Euangelium viuere, & nouum Testamentum semper debet nouis sensibus illustrare, & cantare Domino,

iubemur

iubemur canticum nouum; & interior homo noster, non dixit Paulus, quia renouatur, & stetit, sed renouatur de die in diem; oportebat etiam nos, & de orationis modo qualiter sine intermissione orandum sit, & de eleuatione manuum, quod sacrificium dicitur vespertinum, non solùm vsitatis, & attritis, sed & aliquantulum innouatis dissertionibus explanare.] De hac Scripturæ vbertate, nullis vnquam nostris studiis plenè exhausta, videndus Chrysostom. *hom.3.in Genesim, & homil.4. de Lazaro, & tom.5. Græcol. serm. 25. ac 50.* & Cassianus *collat.8. cap.3.*

Quare dicendum cum S. Bernardo *in ipso fine homiliarum, super Missus est*; 421.
[Lectionem Euangelicam exposui, sicut potui; nec ignoro, quòd non omnibus placebit, sed scio ob hanc rem, multorum fore indignationi obnoxium, & aut iudicabor superfluus, aut præsumptor; quòd videlicet post Patres qui hunc ipsum locum plenissimè exposuerunt, rursus in eodem nouus expositor ausus fuerim mittere manum; sed si quid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere, vbi dixi quod à Patribus accepi, dum sic absit typhus præsumptionis, vt non desit fructus deuotionis, patienter audiant de superfluitate causantes.] Optimè quoque Petrus Cellensis *lib.3.epist.4.* præfatus, vt religiosum sit, quod adoratur in templo, non noua, non ignota, non ficta debere esse numina, iuxta illud Psalmi 87. *non erit in te Deus recens*; (sensum enim peruersum de sancta Scriptura, cum simulachro abominabili in Ecclesia collocato componit.) Hæc, inquam, præfatus Cellensis subdit. [Delectus tamen & hîc habendus est. In his siquidem, quæ ad S. Trinitatis, vel Incarnationis fidem, seu Sacramentorum Ecclesiæ pertinent, errare periclitari est, (nempe si noua dicantur.) De multiplici verò sensu Scripturarum, vel Iudiciorum Dei, quæ nunc plura fiunt, quasi diuersa, non tamen contraria, à fide sentire, non est exorbitare. Hic enim sonus est alarum animalium in Ezechiel se ad inuicem percutientium; quia sanctæ animæ, de thesauro scientiæ, & sapientiæ Dei largiter accipiunt; inde corpus Ecclesiæ in augmentum corporis Christi, diuersarum gratiarum compagine satis eleganter componunt.]

Quæ nouitas circa fidem, & Scripturæ expositionem damnatur.

Itaque nouitas dumtaxat est dogmatum, quæ vetatur: ei autem non sunt 422.
iungendæ nouæ illustrationes dogmatum, vel interpretationes Scripturarum, vnanimi Patrum consensui non aduersantes. Quoad cætera, siue ad fidem, & Religionem, siue ad Scripturarum attinentia, nouitas non vertitur vitio. Et profectò ridiculè, omnium pretia, sicut vini annositate metiremur, vt Hieronymus *in Ruffinum* iocatur, imitatus Flaccum *lib. 2. epistola 1.* quæ est ad Augustum. Fateor sapientiam antiquorum exquirendam esse, nec posse satis commendari studium in scrutandis antiquorum opibus collocatum, de quo pleniùs Hildebertus *epist...* Petrus Cellensis *in epistola præfixa libro de Patribus*, Valdensis *in doctrinali lib.1.c.4.* & alij, quos proferunt Interpretes *in cap.6. epist.1. ad Timoth. ferè in fine*, ac Salmeron *tom.8. tractat. 2.* & Gillius *lib.de locis Theolog. cap.11.* Quid quòd in ipsis quoque Scripturis, *vetera* pro *optimis* dicta, notauit

uit Quitoſ. *ad cap.* 3. *Malachiæ*, *num.* item 3. Meritò denique amorem antiquæ doctrinæ commendat Gerſo *lect.* 4. *de vita ſpirit. coroll.* 8. Ad mores idem paſſim extendi, ferè fruſtrà monerem, cùm *veteres mores* paſſim pro bonis, & probatis dici videamus, quod multis illuſtrat Iuretus *ad lib.* 4. *Symm. epiſt.* 11. Sic *vir veterum morum* apud Eutropium *lib.* 10. & apud Vopiſcum *in Bonoſo.* Auſonius quoque *in Parental. Epigr.* 30. *veterum fœminam morum* dixit, pro muliere ſancta, & pudorata. Qui item ſaluam ſibi manere *veterum morum*, id eſt, probatorum regulam optabat, *moribus antiquis* ornatos dixit, cùm frugi, & honeſtos vellet dicere, Caſſiod. *lib.* 3. *epiſt.* 5. Homo *antiqua virtute*, *ac fide* appellatur, qui à probitate commendatur apud Comicum *in Adelphis act.* 3. *ſcena* 4. Alius,

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Phauorinus denique apud Gellium *lib.* 1. *c.* 10. & Macrobium 1. *Saturn. cap.* 5. ſtatuebat loquendum nouis vocibus, ſed viuendum antiquis moribus; eo quòd antiquitas honeſta, ſobria, modeſta ſit; poſteritas autem veteres mores decoloret, vt loquitur Seruius ad illud 8 *Æneid.*

Deterior, donec paulatim, ac decolor ætas.

Non omnis nouitas reproba, vel illaudata.

423. Hæc quamuis ita ſint, nego tamen deſpiciendos eſſe nouos, quaſi nihil addiderint, vel nulla ex parte veteres æquarint, quod ſanè falſum eſt, & multipliciter præter cæteros id præſtitit, qui nunc nunc prodiit Sherlogus *antelog.* 4. *in Cant. ſect.* 13. Et vt inuidioſam veterum, ac nouorum contentionem dimittam, non debet tamen nouis ſua laus negari. [Etſi enim in ſcriptis vetuſtatis, eſt authoritas maior, & illud Flacci verum ſit, quòd

Meliora dies, vt vina, poëmata reddit.

Habet tamen, & nouitas gratiam ſuam.] Iudicium eſt Franciſci Petrarchæ *lib.* 2. *de vita ſolitaria ſect.* 10. *cap.* 1. Nec diſſimilia Franc. Picus *lib.* 1. *de ſtudio diuinæ, & humanæ Philoſ. cap.* 7. & meritò. Nam & ſcriba doctus, profert de Theſauro ſuo noua & vetera. Audi etiam Hiſpanum Poëtam *lib.* 5. *Epigram.* 10.

Eſſe quid hoc dicam, viuis quod fama negatur.
Et ſua, quod rarus tempora lector amat?
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbram,
Et laudant Catuli vilia templa ſenes.
Ennius eſt lectus, ſaluo tibi Roma Marone?
Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.
Rara coronato plauſere Theatra Menandro
Norat Naſonem, ſola Corinna ſuum.]

424. Facit ad hanc mentem, quod, vt poſt Iuſtini annumarait gloſſa celebris ad l. *Gallus. ff. de liber. & poſth. verſ. ſi filius*, quanto iuniores, tanto perſpicaciores, intelligendo per *iuniores* recentiores, qui tamen ſcripta antiquorum euoluerint:

vt

vt Iason limitat ad dictam l. *Gallus, initio, num.* 51. & Nauarrus *miscellan.* 47. *de orat.* Euoluisse potrò intelliguntur, non vt ea nudè transcriberent, sed vt iis suas commentationes, & perscrutationes, ac inuenta inædificarent. Alioqui, vt S. Bonauentura optimè disserit *in Prologo sententiarum quæst.* 4. Ille scriptor non esset *author*, sed *compilator*: & vetustas, qua niteretur, fastidiosa esset, & fructus expers. Ille quippè solus meretur *autor* audire; iuxta S. Bonauenturam, [qui scribit & sua, & aliena: sua tanquam principalia, aliena tanquam annexa ad confirmationem.] Quod profectò non præstat, qui tantùm priùs proposita recantat, & regerit.

Itaque nouitas, vt S. Isidorus Pelus. *lib.* 2. *epist.* 46. ait, non debet carere laude sua. [Ne inspicias cantharum, (aiebat Rabbi Iose *in capitulis Patrum Hebr. pag.* 81.) sed potiùs, quod in eo est. Aliquando enim cantharus nouus, refertus est vino veteri: interdum verò cantharus vetus est, in quo nec nouum vinum est. Sic nouos Sanctos, pari cum veteribus veneratione prosequendos esse, si tantum temporis capedo allegetur in contrarium, latè prosequitur Gregorius Nissenus *orat. in S. Basilium, initio:* attigitque etiam Sanctus Chrysostomus *in fronte orationis in SS. Iuuentinum, & Maximum,* & benè Gaufridus Abbas Altæ Cumbæ *in Prologo vitæ sancti Petri Tarentasiensis.* Non omnem nouitatem in imaginibus, etiam sacris, esse improbandam, latè prosequitur Cardinalis Palæotus *lib.* 2. *de sacris, & prophanis imaginibus, cap.* 32. 425.

Nouiloquij sacri non improbati, exempla.

Nouæ in Ecclesia voces, cùm vsus, & necessitas tulit, receptæ sunt cum laude, & antiquis minùs commodantibus antepositæ: de quo optimè in hunc modum S. August. *tractat.* 97. *in Ioan. sub finem.* [Sunt & doctrinæ Religionis congruentes verborum nouitates, sicut ipsum nomen *Christianorum* quando dici cœperit scriptum est; in Antiochia enim primùm post Ascensionem Domini appellati sunt Discipuli, Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum; & *Xenodochia*, & *Monasteria* postea sunt appellata nouis nominibus; res tamen ipsæ, & antè nomina sua erant; & Religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Aduersùs impietatem quoque Arrianorum hæreticorum, nouum nomen Patres *Homoousion* condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signauerunt; hoc enim vocatur *Homoousion*, quod est, *Ego, & Pater vnum sumus*, vnius videlicet, eiusdémque substantiæ, nam si omnis nouitas, prophana esset, nec à Domino diceretur, *mandatum nouum do vobis*; nec *Testamentum* appellaretur *nouum*, nec cantaretur in vniuersa terra canticum nouum.] 426.

De voce *Homoousio*, quam Arriani, vt nouam auersabantur, sic disserit Sanctus Hilarius *lib. contra Constantium.* [Dic priùs si rectè dici putas: Nolo aduersùm noua venena nouas medicamentorum comparationes; & nolo aduersùm nouos hostes, noua bella: nolo aduersùm nouas insidias, consilia recentia. Si enim Arriani hæretici, idcircò *homoousion* hodie euitant, quia priùs negauerunt, nónne tu hodie idcircò refugis, vt hi nunc quoque denegent? Nouitates vocum, sed prophanas deuitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis? 427.

cludis? Cùm præsertim ab eo dictum sit, *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est*; innascibilem, scriptum nusquam legis, nunquid & hoc negandum erit, quia nouum est?] Existimauit Iacobus Billius *lib.5. obseruat. sacra.cap.7.* eam vocem tempore Niceni Concilij planè nouam fuisse, primúmque ab Eusebio Nicomediensi, Arrianorum primicerio ingestam tanquam abominandam: quod cùm Patres Niceni cognouissent, eámque vocem aptissimè veritatem Catholicam aduersùs Arrianos exprimere animaduertissent, hoc verbum in tractatu posuerunt, ait S. Ambrosius *lib.de fide, cap. vltimo.* Ex horrore autem illius vocis à Catholicis meritò adamatæ, tametsi tunc nouatæ, factum est, vt Arriani Catholicos per probrum vocarent *Homoousiastas*, vt scribit S. Basil. *epist.73.* & S. Augustinus *contra sermonem Arrianorum cap.36. & in 2.respons.contra Iulianum lib.5. n.73. pag.116.* Fateor adeò infrequenter vocem *Homoousion* tempore Niceni Concilij fuisse vsurpatam in mysterio Catholico exponendo, vt potuerit noua videri. Ex quo rectè confirmatur, nouiloquium aliquod cum antiqua veritate consentiens, posse in Ecclesia ferri. Tamen, simpliciter loquendo, ea vox longè ante Nicenum Concilium ad explicandam eandem filij cum Deo Patre essentiam, vsurpata est à Dionysio Alexandrino *in epist. ad Paulum Samosatenum*, & à S. Gregorio Thaumaturgo *in Anathematismis*, vt ibi obseruauit Vossius. In alio negotio eamdem vocem vsurparat Origenes *comment. in Iobum ad cap.37.* vbi Genebrardus margini apposuit correctionem textui aduersantem. Censet enim textum esse corruptum, & legendum esse *homoiusion*. Sed hallucinatur. Rectè enim negat Origenes quicquam esse Deo ὁμοούσιον, id est, *vnius essentiæ*, vel ὁμοίουσιον, id est, *essentiæ eiusdem*, quia intendit pungere Marcionem qui humanas animas eiusdem cum Deo essentiæ statuebat, vt Theodoretus est Autor tractans eius hæresim. Sed ad rem. De noua voce *homusios* non respuenda, insigniter planè S. Vigilius, (is enim est autor,) in disputatione Laodicena, Athanasij nomine cum Ario, *aliquot ab initio paginis.* Nec id patrocinatur nouiloquio, verè inaniloquio, quod exagitauimus in opere *de libertate p.1.c.12.* quódque fuisse Sophistis adamatum, signatis exemplis monstrat Cresolius *lib.3. theatri sophist. c.23. §.5.* Pugnat latè pro hoc vsu nouorum nominum, cùm ita fert necessitas, aut vtilias, Sidonius *præfatione ad carmen suum 14.* allegato Tullio, quem etiam in hanc rem laudat S. Hieronymus *in c.1.ad Galat.* ad illud, *notum vobis facio Euangelium*; & latè Nicolaus Susius *limæ Ciceronianæ c.8.* Plenè item in hanc rem Espencæus *in Paralipomenis ad epist. 2.ad Timoth.digress.5.* & Carbo *lib.4.introd.ad Theolog.c.14.*

Sententiarum Theologicarum nouitas aliqua, approbanda.

428. Nouas sententias Theologicas, ex diligenti Scripturarum, & Patrum expensione fabricatas, nec vlla in re conuellentes doctrinam fidei, quis idcircò improbet tantùm, quia ab anterioribus non sunt traditæ? Quinimò posteriores anteriorum laboribus adiuti, possunt pertingere, quò anteriores non pertigerunt: ídque in ipsorum antiquorum decus cedit, iuxta illud Ægydij *in 2. dist.37.q.1.art.3.* [Posteriores existentes super humeros priorum, longiùs vident, quàm priores. Nam si nanus esset super humerum [gigantis, longiùs videret,

videret, quam gigas.] Habet profectò in hac re locum, quod Claudius Imperator apud Tacitum *lib.* 11. *cap.*8. in non absimili causa pronunciauit. [Quæ nunc vetustissima credunt, noua fuere; Plebeij magistratus post Patricios; latini post Plebeios; cæterarum Italiæ Gentium post latinos. Inueterascent hæc quoque,& quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.]

De se, ac scriptionibus suis, & Poëmatiis scitè Iberus Poëta. *lib.* 1. *Epigr.* 55.

Non me, quòd tibi sim nouus, recuses.
Omnes hoc veteres sibi fuerunt.

Ita profectò sententiis quoque vsu venit. Quæ olim velut in pueritia videri poterant, procedente tempore quasi canescunt.

At nefas est, contra quàm maiores, (præsertim Patres,) senserunt, opinari. Audio ignauorum garritum, & prætextum hebetum ingeniorum. Contrà Patres vniuersos sentire in re theologica, & ad fidem aliquatenus reducibili, nefas profectò sit. In aliis verò materiis, ab eis plerumque sine noxa disceditur, vt Canus *lib.* 7. *de locis cap.* 3. rectè statuit. Imò in illis ipsis, quas dixi aliquid à Patribus intactum proferre, vel quæ ipsi non nisi in radice, aut in semine attigerint, explicare distinctiùs, aut educere, est laude dignissimum. Nec nisi per crassam admodum intelligentiam decretorum Ecclesiæ, quibus antiquæ doctrinæ non aduersari, & Patribus inhærere iubemur, laceratur à nonnullis ea agendi ratio. Quibus meritò opponamus, quod olim Richardus Victorinus *Prologo in expositionem visionis Ezechielis*, aliquibus idipsum eo tempore effutientibus opposuit. [Quidam, (inquit,) quasi ob reuetentiam Patrum, nolunt ab illis omissa attentare, ne videantur aliquid vltra maiores præsumere. Sed inertiæ suæ eiusmodi velamen habentes, ocio torpent, & aliorum industriam in veritatis inuestigatione, & inuentione derident, subsannant, & exsufflant. Sed *qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Nos autem à Patribus pertractata cum omni alacritate perquiramus; & sagaciter inuenta cum omni liberalitate in commune proferamus, vt impleatur, quod scriptum est, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.*] 429.

Inquirere in ista paulo accurratiùs placuit, cùm vt veritas pernecessaria innotesceret; tum vt occurreretur difficultati, quæ opus quoddam nostrum aliquando grauauit, ob approbatum in eo opere illud *Martyrium*, quod Eusebius *misericordiæ* appellauit. Concitatus est in id opus quispiam, causatus nouitatem sententiæ. At neque ea verè est noua sententia, neque omnis sententia noua, improbanda, tantùm, quia noua; vt benè statuit Carthus. *in proœmio ad* 2. *sent.* Simancas *in Cathol. Institut. cap.* 50. & Corduba *lib.* 2. *q.* 3. Optimè verò, & subiectis exemplis id palpabiliter demonstrantibus, id tradidit Ioannes Sanchez *disp.* 29. *selecta.*

Pruriginosa, & leuis nouatio, in omni genere improbanda.

Liquet ex dictis, quatenus nouitas, in libris de fide, aut rebus sacris, toleranda, quatenus improbanda sit. Quod verò ad libros attinet de aliis argumentis ad seueriores disciplinas pertinentibus conscriptos, certum est coërcendam 430.

omninò esse ingeniorum quorundam pruriginem nouandi, à quibus nulla ex causa, antiqua doctrina per meram petulantiam conuellitur. Sic meritò superiore seculo, & litteratorum iudiciis, & potestatis quoque regiæ decreto, quod extat apud Carpentarium *in Alcinoum*, explosa est insana temeritas Petri Rami sectarij, qui in Physicis nouos sibi calles terere, & abiecta Aristotelicæ doctrinæ soliditate, nouis nugis scholas implere machinabatur. Medicis *Thessalus*, & postea *Paracelsus* ob nouitates quas adamarunt, in tanto pretio non sunt. Inter Theologos Scholastico minutiloquio dantes operam, Gerso *in epistola ad studentes Collegij Nauarræ*, inserta tomo primo, hanc librorum nouam doctrinam ostentantium editionem, valdè improbat, sisti volens in antiqua doctrina. Ex hac classe, insignia ingenia duo, Durandus, & Aureolus minùs benè audiunt, quod ingeniis, quibus valebant plurimùm, indulserint in plerisque; & nouas cudere, ac comminisci opiniones, communem tramitem sine causa deserendo non dubitarint. Estque hauddubiè argumentum iudicij minùs exquisiti, nec satis maturi, vel emuncti, ferri facilè, & absque vrgenti ratione, extra viam: ita vt quamuis res de qua agitur, ad scholæ tricas merè pertineat, nec inde dispendium vllum doctrinæ fidei, vel sanis, ac puris moribus sit timendum, tamen consultissimum sit, quando manifesta ratio non vrget, ab anteriorum placitis non discedere. Qui autem præcipites circumferuntur omni vento doctrinæ, & quidquid in cerebrum venit, temerè effutiunt, meritò displicent, tanquam temerarij; posset que ea temeritas, (quippe primus gradus malignitatis doctrinæ,) satis esse ad libri confixionem, si non exigua, & rara esset, nec in leuis momenti doctrinam, quam sanam retineri, & vitij expertem interesset. Etiam modus nouus docendi, siue res diuinas, siue naturales, cùm aduersatur receptissimæ apud omnes retrò antiquos consuetudini, iure improbatur, vt feciſſe Academiam Parisiensem quoad Raimundum Lullum, testatur Gerso *tomo primo tract. de examinatione doctrinarum, parte 2. consid. 1.*

Neque tamen inducenda seruitus ingeniorum.

431. Hæc tamen eo non pertinent, vt scriptores etiam de argumentis, in quibus versamur, velimus esse serua percora, aut Ixiones eandem semper molam versantes; cuiusmodi sunt plerique vmbram ipsi suam extimescentes, qui nisi totidem verbis, ac syllabis apud aliquem, qui dux gregis habeatur, sententiam aliquam conceptam, & expressam repererint, ab ea velut ab aspide declinant, causantes nouitatem. Rubiginem hanc, imò pestem bonorum ingeniorum, nemo prudens approbet. Eam Seneca iam olim castigauit *epist. 33.* [Quousque, (inquit,) sub alio moueris & impera, & dic, quod memoriæ tradatur, aliquid de tuo profer. Omnes itaque istos nunquam authores semper interpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi; nunquam ausos aliquando facere, quod diu didicerunt, memoriam in alienis exercuerunt. Aliud est, meminisse, aliud scire. Meminisse est rem commissam memoriæ, custodire: at contrà scire est, & sua facere quæque, nec ab exemplari pendere, & toties ad magistrum respicere. Hoc dicit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid interfit

inter

inter te, & librum. Quousque discis ? Iam, & præcipe ? Quid est quare audiam, quod legere possum ? Multum, (inquit,) viua vox facit. Non quidem hæc, quæ alienis verbis commodatur, & actuarij vice fungitur. Adiice nunc, quod isti, qui nunquam tutelæ suæ fiunt; primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non à priore desciuit, deinde in ea re sequuntur, quæ ad huc quæritur; nunquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis. Præterea qui alium sequitur, nihil inuenit, imò nec quærit. Quid ergo ? Non ibo per priorum vestigia ? Ego verò vtar via veteri, sed si propiorem, planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt, non domini nostri, sed duces sunt.]

Rectè Durandus *in Prologo*, ait hanc esse *insipientiam bestialem*, præcludentem viam inquisitioni veritatis, præstantem sciendi impedimentum, & violenter opprimentem lumen rationis. Alphonsus de Castro *lib.* 1. *aduersùs hæreses cap.*7. appellat *miserrimam seruitutem.* Asperiùs quoque in has, (vt Ioann. Picus Apologiæ initio pronunciat) ingeniorum angustias, agit passim Catharinus in opere *de immaculata Conceptione Deiparæ.* Nimia hæc est depreciatio ingeniorum æui posterioris. Quod enim de Mose puero notauit Philo *lib.* 1. *vitæ eius*, ingenia præclara in rebus difficilibus aliquid semper de suo comminiscuntur, & addit. [Nam præclara ingenia, multa nouant circa scientias.]

Multa in humanis disciplinis recèns excogitata, cum laude.

Itaque fas omninò esse debet, & verbo, & scriptis editis, suffragante ratione valida, & secluſa omni incommodatione, doctrinæ sacræ inde inferenda, inire aliquando non signatam anterioribus vestigiis viam, & nouam doctrinam proferre de ingenij penu. Sic quamuis antiquis maiori ex parte placuisse videatur cælorum soliditas, meritò tamen recentiores, adacti iis phænominis, quæ ex parte veteres notarant, vt Varro, teste D. Augustino *lib* 21. *ciuit.c.*8. & ipsi recentiores diligentiùs obseruarunt, ad fluxam, & liquidam cæli planetarum constitutionem inuehendam, sunt adducti; & qui eos à nouitate sunt criminati, (quales plerique auditi ante annos aliquot,) senili vitio, cui noua nunquam placent, laborare sunt visi. 432.

In moralibus quoque, videmus quàm multa, mutationem cum laude suscipiant in dies. Pleræque sententiæ, quibus aliquis contractus habebatur illicitus, explosæ sunt, inualescentibus contrariis. Et quamuis Gerso 1. *p. epist. ad studentes Collegij Nauarræ*, laudet Buridanum in procemio Ethicorum, profitentem se pluries deceptum esse, adhærendo nouis rationibus, ideóque eas non sequuturum; tamen id de quauis rationum in moralibus nouitate non rectè dici, experientia docet. Itaque quod de morum sapientia, & libris de ea editis scriptũ est à Seneca *epist.*64. æquè de omni genere disciplinarũ, & librorũ valet. [Veneror inuenta sapientiæ, inuentoréque adire, tanquam multorũ hæreditatẽ iuuat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt; sed agamus bonum patremfamiliæ. Faciamus ampliora, quæ accepimus. Maior ista hæreditas à me ad posteros trãseat. Multũ adhuc restat tẽporis, multúmque restabit, nec vlli nato post mille 433.

secula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi.] Et paulo pòst. [Multum egerunt , qui ante nos fuerunt , sed non peregerunt.] Eadem Themistius *orat.* 15. latè pro hac nouitate pugnans. Lactantius item pulchrè *lib.* 2. *Instit. cap.* 8. [Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam , vt & inaudita inuestigare possent , & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt , sapientia quoque antecesserunt ; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux , & claritas Solis ; quia vt Sol oculorum , sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cùm sapere , id est , veritatem quærere , omnibus sit innatum , sapientiam sibi adimunt , qui sine vllo iudicio , inuenta maiorum probant,& ab aliis pecudum more ducuntur.]

Huiusmodi ergo nouitas , in materiis de quibus agimus , cùm ratio valida non deest , nec inde quicquam rebus theologicis incommodandum timetur ; & autori , & libris innoxia esto ; æquè , ac nouitas vocum, pro qua in his materiis admittenda , cùm res fert, pugnat optime Sidonius præfatione ad carmen suum 14.

Cauenda oblæsio Doctrinæ sacræ , ex nouatione humanæ.

434. Volo ex nouitate in re Philosophica , alteriúsve disciplinæ naturalis propria , non incommodari doctrinæ sacræ , siue directè,siue indirectè; quia tunc locus meritò esset confixioni. Sic Copernicus, & alij , qui frigidis quibusdam ratiunculis ducti,cœlorum immobilitatem,& terræ stabilitatem recèns inuexerunt,quia apertè aduersantur Scripturis,cæli,ac Solis gyrationem;terræ verò in æternum stantis firmitatem tradentibus , iure sunt explosi , eorumque tractationes confixæ. Nec procul à periculo , proindéque etiam à confixionis debito , visa mihi semper est abesse , noua sententia Philosophica de structura continui ex meris punctis extensis, & virtualiter diuisibilibus,tametsi corporeis,& materialibus ; inde enim via sternitur, Angelorum tametsi impartibilium materialitati , & corporeitati , quam sana Doctrina reprobat. Similiter nouam sententiam Philosophicam Petri de Lorca , qui simul,& semel , (tametsi non nisi transeunter ,) formam,& priuationem eius , duásque oppositas formas inesse per momentum eidem subiecto existimauit ; inde periculosam semper sum arbitratus,quòd,vt idem auctor fassus consequenter est , dici posse videatur, quòd , gratia sanctificans , & mortale peccatum , coëxistant in eadem anima per momentum; panísque , & corpus Christi , sub iisdem accidentibus transeunter inueniantur. Præterea noua sententia Gulielmi Gibieufi , qui libertatem moralitatis fundatricem , negauit esse potestatem vtrolibet flexilem : censuit autem esse amplitudinem ex adhæsione cum Deo ; ex falso philosophico fundamento, multas in rem theologicam stribiligines inuehit,plenè suo loco discussas ; ob quas ea sententia probari nullo modo potest. Dummodò igitur declinentur scopuli , & occasione Philosophiæ non patiatur dispendium vllum sacra doctrina , non est tantoperè circa res philosophicas vitanda nouitas, quàm circa res sacras , & Religionem ; faciliúsque ferendum est , vt in Philosophicis sentiat quisque quod libet,vt Sanctus Augustinus rectè monuit 5. *confess.* quem adducit S. Thomas *opusc.* 10.

Videndum

Videndum tamen est, ne incommodatio doctrinæ theologicæ à noua sententia Philosophica, inconsideratè, & sine fundamento prætendatur. Qua ratione nuper aliquis, integro libello, tanquam non ferendam in Theologia, exagitauit sententiam ab Ægidio Coninck, & Aresio recèns adinuentam, de aquæ in vinum intransmutabilitate. Censuit enim inde sequi, totum, quod est in Calice post consecrationem, non esse adorandum, quod illi videtur magnum inconueniens. An rectè, nunc non discutio: facilè autem quis dixerit, quod existimo verissimum, idcircò totum quod est in calice adorari, quia siue aqua modico illo tempore, quod ab ea immissa intercedit ante consecrationem, vertatur in vinum; siue, quod verius videtur, non vertatur; (non quòd sit naturaliter intransmutabilis in vinum, sed quòd desit mora sufficiens;) tamen idcircò vertitur in Christi sanguinem, atque adeò est adorabilis suprema adoratione, quia materia consecrationis calicis, est vinum vsuale, quod non excludit aliquam aquæ admistionem. Itaque sententia Philosophica, cui Ægidius Coninck, & Aresius adhæserunt, inconsideratè, & licenter nimis, explosa est tanquam periculosa. Quam præcipitem, & inconsideratam de aliorum placitis pronunciandi rationem, aio esse declinandam, bono & æquo censori, cui non est timendum vbi non est timor. 435.

Circa mitiora studia, laxior nouandi facultas.

Adhuc multò plus concedi velim, nouitati, in amœnioribus litteris; nec immeritò Flaccus *lib. 2. epist. 1.* de ea iudicij obtorsione expostulat, qua tantùm quæ terris, & temporibus suis semota quis videt, plausu digna reputat. Illa contrà: 436.

Si meliora dies, vt vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos, veterésque referri debet? an inter
Viles, atque nouos? Excludat iurgia finis.
Est vetus, atque probus centum qui perficit annos.
Quid? qui deperiit minor vno mense, vel anno,
Inter quos referendus erit? Veteréne poëtas.
An quos & præsens, & postera respuet ætas?
Iste quidem veteres inter ponetur honestè,
Qui vel mense breui, vel toto est iunior anno.
Vtor permisso; caudæque pilos, & equinæ
Paulatim vello, & demo vnum, demo etiam vnum.
Dum cadat elusus ratione ruentis acerui,
Qui redit ad fastos, & virtutem æstimat annis,
Miratúrque nihil, nisi quod Libitina sacrauit.

Plinius item *lib. 1. epist. 16. & lib. 6. epistol. 21.* authores nouos, non minus quàm antiquos, probandos docet. Adi & Iuretum ad *lib. 1. Symmachi, epist. 3.*

Sed hæc scriptionis, non rerum nouitas est. Quoad ipsam quoque rerum nouitatem, egregiè Fabius *lib.* 10. *Instit. c.* 2. *&* 5. in hanc rem differit; & pigri esse ingenij tradit, putare nihil superesse.

Quæ aliquando malè improbata ob nouitatem.

437. In summa, non est prætermittenda obseruatio, & in disciplinis, & in praxi pietatis, digna notatu; pleraque nimirum incusari nouitatis, quæ reuera sunt perantiqua, nec nisi iniuria temporum, vel hominum incuria, in desuetudinem abierant. In sententiis & Philosophicis, & Theologicis, hoc in dies experimur, refodi nimirum in dies placita, quæ initio videntur noua, postea autem deprehenduntur antiqua. Exemplo sit in Philosophicis opinio, quæ raritatem negat esse qualitatem ab extensione, & certa tantæ materiæ connotatione distinctam; quam cùm præter receptum vsum ante annos aliquot inuexissemus, vix censuram erroris effugimus. Et quamquam rationibus nostris occurrere non possent, qui damnationem vrgebant; tamen nouitatis præiudicio grauabamur, donec fuisse eam sententiam innumerorum veterum Scholasticorum, ac Philosophorum, apertè demonstrauimus. In Theologicis eandem aleam subiit sententia nostra de absolutione pœnitentis, qui externum doloris signum præbuisset quidem, non tamen Confessarium petiisset. Itémque alia sententia de peccati commissionis ratione purè positiua. Hæc placita nouitatis in nobis damnata, anteriorum fuisse Doctorum clarè monstrauimus aduersùs præceps nonnullorum iudicium.

438. In negotio pietatis tot encomiis postea à viris grauissimis exornata secessio Carthusianorum, malè initio audiuit, tanquam noua; quam tamen fuisse perantiquam, his verbis monstrauit illius æui scriptor Gulielm. Abbas S. Theodorici, ad fratres de Monte Dei, *ferè initio.* [Implete gaudium meum, non meum tantummodò, sed omnium diligentium nomen Dei, vt in varietate vestitus deaurati de auro sapientiæ Dei. Reginæ assistentis à dextris sponsi, vestro studio, vestra instantia, ad Dei gloriam, & magnam coronam vestram, & gaudium omnium bonorum, hoc sanctæ nouitatis instauretur ornamentum. Nouitatem verò dico, propter linguas nequam; ; (à quarum contradictione abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ,) hominum impiorum, qui cùm manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur: veteres ipsi, & in veteri mente nescientes noua meditari: vtres veteres non capientes vinum nouum; quod si eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc nouitas non est nouella vanitas. Res enim est antiquæ Religionis, perfectè fundatæ in Christo pietatis; antiqua hæreditas Ecclesiæ à tempore Prophetarum præmonstrata, iámque nouæ gratiæ sole exorto, in Ioanne Baptista instaurata, & innouata; ab ipso Domino familiarissimè celebrata.]

439. Reformatio Ordinis Religiosi collapsi, insimulata aliquando est nouiratis, vt refert, & refellit Ioannes Nider *lib.* 1. *de reform. Relig. cap.* 7. vbi monstrat non omnem nouitatem esse improbandam, immò in Scriptura, septem nouitates commendari, *cordis, oris, conuersationes, bonæ famæ, seu nominis, ac vitæ.*

Quid

Quid creber vsus Sacramentorum, cùm per S. Ignatium instauratus, & in Ecclesiam reuocatus postliminio est, quantam à nouitate infamiam apud tepidos, imò frigidos, & à corde mortuos sustinuit? Et tamen nihil fuisse in Christiana Ecclesia antiquius, constat; & monstrauit eo ipso tempore, quo feruebant tam sancti vsus allatratores, Christophorus Madridius, iusta lucubratione de eo argumento. In Societatis IESV instituto, quàm multa initio veluti noua damnarunt, plerique antiquarij? Monstrarunt tamen postea non pauci, & in iis accuratè Basilius Pontius Augustinianus, & Petrus Ribadeneira, nihil inter nos nouum esse, quod non fuerit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Non constitutionem aliquorum in statu Religioso per vota simplicia, non dominij per Religiosos retentionem, non eruditionem iuuentutis, etiam in mitioribus studiis; non Chori defectum, non vllum denique ex iis, quæ liuentes oculi, & animi in Societatis instituto vellicarunt. Vt potuerimus profectò nos quoque vsurpare illud, Carthusianis de Monte Dei à Gulielmo Abbate dictum. [Sileant ergo, qui in tenebris de luce iudicantes, vos arguunt nouitatis, ex abundantia malæ voluntatis ipsi potiùs arguendi vetustatis, & vanitatis.]

PARTITIO II.

De actu confixionis librorum.

AB obiecto progredimur ad actum, cuius dotes, ac næuos 440.
hîc non persequar, quia locus illis erit inter tractandum de potestate configentium, eiúsque expromendæ modo. Nunc itaque considerabimus circa confixionem, illud duntaxat, debeat ne semper totalis esse, an partialis aliquando esse possit, aut etiam debeat, cùm respectu habito ad lectores, quorum varia conditio varium configendi modum deposcat; tum etiam simpliciter, ratione habita librorum, qui sint eiusmodi, vt quæcumque sit lectorum conditio, vetari eos ex parte tantùm, & velut castrari, aut etiam prorsus aboleri par sit.

EROTEMA

EROTEMA I.

Quis modus confixionis, quoad libros ipsos, absolutè.

RES hæc distinctionem postulat; neque enim de libris omnibus est eodem modo statuendum hac in parte. Nonnullis in solidum ac respectu quorumcumque est interdicendum, cuiusmodi sunt Magici, & quotquot commercia cum Satana docent. Idem statuendum esse de obscœnis, qui quidem eiusmodi sint maxima ex parte, imò de quomodolibet obscœnis, quâ illecebrosi, & impudici sunt, Catharinus rectè censuit *opusc. de libris Christianorum detestandis, & à Christianismo penitus eliminandis.* Denique quotquot sunt libri noxij, è quorum lectione plus damni, & dispendij, quàm fructus sit expectandum, in eundem ordinem sunt referendi. At sunt libri quidam noxij, in quibus multa bona, aut optima, licèt malis quibusdam interlita reperiuntur, è quibus citra legentis damnum fructus in legentem, & in alios deriuandi, spes affulget. Horum copiam per eos quibus ius est, fieri iis qui sine damno, lectione eorum frui possunt, nihil vetat. In hanc rem fusè disserit Sarisber. *lib. 7. de nugis, c. 10.* & benè Hormisda Papa *epist. 56.*

Apes imitandæ in secretione malorum, è libris non planè desperatis.

441. Hoc est verè esse apem, legere videlicet vtilia, & dulcia, omissis noxiis: quod faciendum in lectione librorum humanæ sapientiæ, tradit latè S. Amphilochius *epistola Iambis scripta ad Seleucum, à versu* 38. ac S. Basil. *de ratione legen. libros Gentil.* & Nyss. *hom.* 8. *in Cant.* ad illud, *mel, & lac*, sic scribens. [Consulit per ea, quæ dicta sunt, à nulla bona abstinere disciplina, sed siantem in prato inspiratorum à Deo eloquiorum, colligendo aliquid tanquam florem ex vnoquoque eorum ad procreationem sapientiæ, sibi fabricare ceram; in corde suo tanquam in alueo, reponendo hanc industriam, & laborem multiplicium disciplinarum inconfusis in memoria locnlis, tanquam quibusdam fauo mellis fistulis fabricatis. Et sic instar sapientis illius apis, cuius fautus quidem est dulcis, non pungens autem stimulus, perpetuò mercari hanc præclaram virtutum operationem. Verè enim mercatur bona æterna laboribus, qui hîc suscipiuntur, ea permutans, & suos labores ad sanitatem animæ distribuens Regibus, & priuatis.] Haud dissimiliter Theodoretus *lib. 1. contra Græcos*, sic eos affatur, [qui iudicio, & discernendi facultate præditi sunt, quæ sibi vsui fore cognoscunt, inde sumentes, reliqua missa faciunt. Vt qui rosaria demetunt, spinas quidem intactas dimittunt, Rosarum verò calices legunt. Ipsis quoquè apibus hanc natura legem instituit, vt non solùm floribus, qui sunt dulces, insideant, sed qui etiam amarulenti, cùm tamen solam dulcedinem hauriant,

hauriant, amaritiem autem auerſentur: ac ex diuerſis qualitatibus,amaris videlicet, acerbis, auſteris, acutiſque, mel quod hominibus dulciſſimum eſt, conficiant. Harum itaque, & nos exempla ſequuti, è veſtris illis amarulentis pratis dulce nobis, ac perquam vtile mel componimus. Ac veluti corporum curatores, è venenatis feris, atque ſerpentibus ſalutares medicinas conficiunt, déque ipſis viperis,alia quidem reiicientes, alia verò eligentes, multos harum rerum præſidio morbos propellunt,ita & nos veſtrorum Poëtarum,Hiſtoricorum,Philoſophorúmque monumenta verſantes,alia ex his vt noxia,& peſtifera declinamus, alia verò ſparſim noſtræ inferentes doctrinæ, auxiliarem vobis ac ſalubrem curationem afferimus.]

Sanctorum in eam rem praxes.

PRaxim huius prudentiæ, legere licet apud Socratem *lib.6. hiſtor. cap.15.* vbi Theophilus Alexandrinus, qui Origenem damnarat, eum tamen legiſſe refertur,hac ratione reddita,quòd ex eo bona excerperet,& cætera præteriret. Rectè S.Hieron. *epiſt.65.num.6.* [Et Apoſtolus præcipit; omnia legentes,quæ bona ſunt retinentes. Lactantius *in libris ſuis*, & maximè *in Epoſtolis ad Demetrianum*, Spiritus ſancti omninò negat ſubſtantiam: & errore Iudaico dicit, eum vel ad Patrem referri,vel ad filium,& ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari. Quis mihi interdicere poteſt, ne legam inſtitutionum eius libros, quibus contra gentes ſcripſit fortiſſimè, quia ſuperior ſententia deteſtanda eſt? Apollinarius contra Porphyrium egregia ſcripſit volumina. Probo laborem viri, licèt fatuum in pleriſque dogma contemnam. Confitemini & vos in quibuſdam errare Origenem,& vim vltrà non faciam.] Idem habet *epiſt.65.& 76.*& benè *epiſt.152.in fine*,verbis illis. [Si quis contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco; ſciat me illud Apoſtoli libenter audire, *Omnia probate,quod bonum eſt tenete*; & Saluatoris verba dicentis, *Eſtote probati nummularij*, vt ſi quis nummus adulterinus eſt,& figuram Cæſaris non habet,nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur:qui autem Chriſti faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur. Etenim ſi dialecticam ſcire voluero,aut Philoſophorũ dogmata,&, (vt ad noſtra redeam,)ſciẽtiam Scripturarum, nequaquam ſimplices Eccleſiæ viros interrogare debeo, quorum alia gratia eſt,& vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat,præſertim cùm in domo magna patris familiæ, vaſorum diuerſitas multa dicatur,ſed eos,qui artem didicere ab artifice,& in lege Domini meditantur die,ac nocte,ego & in adoleſcentia,& in extrema ætate profiteor;& Origenem,& Euſebium Cæſarienſem viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe in dogmatum veritate, quod è contrario de Theodoro, Acacio,Apollinario, poſſumus dicere; & tamen in explanationibus Scripturarum, ſudoris ſui memoriam nobis reliquerunt. In terra aurum quæritur, & de fluuiorum alueis ſplendens profertur glarea; Pactolúſque ditior eſt cœno, quàm fluento. Cur me lacerant amici mei, & aduersùm ſientem craſſæ ſues grunniunt? quarum omne ſtudium eſt, (immo ſcientiæ ſupercilium,) aliena carpere,& ſic veterum defendere perfidiam,vt perdant fidem ſuam. Meum propoſitum eſt,antiqua legere,probare ſingula, retinere quæ bona ſunt, & à fide Eccleſiæ Catholicæ non recedere.] 442.

Idem S.Hieronymus *epist.ad Tranquillinum*, de Origenis scriptis, negotióque hoc vniuerso,sic statuit. [Quia meæ paruitatis quæris sententiam, vtrùm secundùm fratrem Faustinum penitus respuendus sit, an secundùm quosdam, legendus ex parte. Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores, Græcos pariter, & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemúsque contraria, iuxta Apostolum dicentem, *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Cæterùm, qui vel in amorem eius nimium, vel in odium stomachi sui prauitate ducũtur,videntur mihi illi maledicto prophetico subiacere: *Væ his, qui dicunt bonum malum,& malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum.* Nec enim propter doctrinam eius, praua suscipienda sunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quos commentarios in Scripturas sanctas vtiles edidit, penitus respuendi sunt. Quòd si contentiosum inter se amatores eius,& obtrectatores funem duxerint,vt nihil medium appetant,nec seruent modum,sed totum aut probent,aut improbent,libentiùs rusticitatem,quàm doctrinam blasphemam, eligam.]

Approbat hoc Sancti Hieronymi iudicium Cassiod. *lib.diuinar.institut.cap.7.* & addit de Origene. [Eum quidam non immeritò, more aneti habendum esse dixerunt, qui dum sacrarum condiet pulmentaria litterarum, ipse tamen decoctus execratúsque proiicitur, de quo concluditur dictum est, *Vbi benè, nemo melius; vbi malè, nemo peius.* Et ideò cautè sapientérque legendus est, vt sic inde succos saluberrimos assumamus, ne pariter eius venena perfidiæ vitæ nostræ contraria sorbeamus; cui & illud conuenienter aptari potest, quod Virgilius dum Ennium legeret, à quodam quid faceret inquisitus, respondit: Aurum in stercore quæro.] Et *cap.24.* idem in quibusuis scriptoribus seruandum admonet. [Origo enim leuissimi erroris est,in suspectis auctoribus amare totum;& sine iudicio defendere velle, quod inuenis; scriptum est enim: *Omnia probate, & quod bonum est, tenete.*]

Monachi Ægyptij aduersùs Episcopos in Synodo Alexandrina congregatos, id fortiter, si non etiam pertinaciter fecerunt, vt refert Sulpitius *dialog.1. §. prosperóque.* Contendebant enim Episcopi, [respuendam esse penitus sectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus.] E contrario autem Monachi, pro Origene pugnantes, repudiari volebant, quæ reproba essent, retineri verò, quæ sana apparerent: à quorum iudicio non abhorret Sulpitius,cùm iustũ videatur vbiq; adhibere discretionẽ.

445. Audi ipsummet Origenem *hom.9. in Num.* tractantem batillos Core. [Si apud homines hodie iudicaretur hæc causa, si apud Ecclesiarum Principes haberetur examen de iis, (verbi causa,) qui diuersa ab Ecclesiis docentes, diuinæ, vindictæ pertulerint vltionem,nónne iudicarent,vt si quid locuti sunt, si quid docuerunt, si quid etiam scriptum reliquerunt, vniuersa pariter cum ipsorum cineribus deperirent? Sed non sunt iudicia Dei, sicut iudicia nostra. Audi enim quomodo de batillis eorum,qui contra Prophetã Dei insurrexerant, iubentur fieri laminæ, & in circuitu Altaris affigi. Core figuram tenet eorum, qui contra Ecclesiasticam fidem, & doctrinam veritatis insurgunt. Scriptum est ergo de Core, & de cœtu eius, quòd in batillis æreis, incensum obtulerint ignis alieni: & iubetur quidem à Deo ignis alienus dispergi, & effundi.

effundi. Batilla verò, (inquit,) quia sanctificata sunt, facito ea laminas ductiles,& circunda ex eis Altare,quia sanctificata sunt. Hoc ergo mihi per hanc figuram videtur ostendi,quòd batilla ista, quæ scriptura nominat ærea, figurã teneant Scripturæ diuinæ. Cui scripturæ hæretici ignẽ alienũ imponẽtes, hoc est,sensum,& intelligentiã alienam à Deo,& veritati contratiam introducentes, incensum Domino non suaue,sed execrabile offerũt. Et ideò forma,Ecclesiarum Sacerdotibus datur,vt si quando tale aliquid fuerit exortũ,ea quidẽ,quæ à veritate aliena sunt, ab Ecclesia Dei penitus extrudantur. Si qua autẽ etiam in ipsis hæreticorum verbis, Scripturæ diuinæ sensibns inueniuntur inserta, ne pariter cum illis,quæ fidei & veritati sunt contraria,respuantur. Sanctificata sunt enim, quia de Scriptura diuina proferuntur,& Domino sunt oblata.]

Tandẽ Gelasius initio tomi *de vinculo Anathematis*,docẽs cur Conciliũ Chalcedonense in vno puncto reprobatum,teneretur quoad alia,hoc quoq; cõfirmat.

Truncatio librorum admixtis impuris sordentium,conuenientissima.

Quia verò non est cuiuslibet apem agere, & bona ex malis in quæ æquè incurrat, decerpere, præsertim cùm sunt libri per infirmam ætatem versandi; meritò præcisio, & truncatio huiusmodi autorum, si aliàs necessarij aliqua ex causa videantur,inducta est: fremant licèt spurcitiarum amatores, vel quibus pluris est latinitas,quàm vita bona;qua in parte, infeliciter planè cessit Plutarcho,adolescentiam informanti,libro de lectione Poëtarum, cùm saluos sinens eiusmodi libros, putat remedium malo adhiberi posse, si admoneantur pueri, poësim esse picturam;quasi verò pictura quoque obscœna, animos non contaminet,nec in picta quoque incentiua nequitiæ,viri sapientes conclamarint iam olim? Addit Plutarchus,Poëtas ipsos cùm obscœna proferunt,subsignificare,ea se nequaquam probare. Sed nec id verum esse, ostendunt Tibulli, Catulli, Propertij, Ouidij, Martialis, turpitudines, absque antidoto perspersæ; nec vt verum esset, satis esse deberet ad turpitudinum illarum propositionem labe eximendam; cùm satius omninò sit,venena non promere, præsertim saporata, & melle circumlita; quàm aduersùs eorum præsentissimum contagium, signare, venena esse. Tandem eadem opera succiditur, quod subdit Plutarchus,sententiis turpibus opponendas esse alias aliorum sententias. Quid si verò non suppetant bonæ illæ sententiæ, velut alexipharmaca inhalati veneni? Quid si inefficaciores sint malis illis sententiis, præsertim suffragante corruptione naturæ,in malum semper proniores? 446.

Itaque meritò, (vt dicebam,) truncatio istiusmodi librorum, necessaria visa est,ne pereat paruulus,propter quem Christus mortuus est,& ætas infirma illiciatur ad malum. Quam in rem aurea verba Ludouici Viues *lib.3. de tradendis disciplinis*,iuuat adscribere,quòd non à religioso homine, sed à seculari, & nexibus coniugij implicato, profecta, maius in hac causa momentum habitura videantur. [Quoniam quidem,(inquit de Poëtis,)in eis & dulcia, & pulchra,& magna atque admirabilia insunt multa, non tolli oportere censeo, sed repurgari, non amputari affectum membrum, sed medicamento adhibito curari. Obscœna in totum rescindantur, tanquam emortua, & pertractura in contagium,quæ tetigerint;scilicet intolerabilem faciet genus humanũ iacturam,si ex 447.

spurco Poëta, partem abscindas noxiam, & id facias in libello, quod in tuo ipsius corpore facere non dubites, si res exigat? Detruncauit Iustinianus Cæsar tot Iurisconsultos, & nefas erit ex Ouidio detrahi eos versus, queis adolescens fit nequior? Imò verò amissa sunt tot Philosophorum, & authorum sacrorũ monumenta; & graue erit, ac non ferendũ facinus, si Tibullus pereat, aut ars amãdi Nasonis? Vtique non præsentibus modò, ac posteris præclarè merebitur, sed de Poëtica arte, ac Poëtis ipsis, quisquis eam repurgationem erit aggressus; haud aliter, quàm de hortis, qui venenis illinc eruncatis solas reliquerit herbas salutares; ita & ignominia erit Poëtis detracta, & malum virus legentibus.]

448. Videant qui de castrato, (vt iocantur,) obscœnissimo Poëta Martiale, vt à iuuentute rutò perlegi, nec eius acuminibus lædi possit, tantoperè expostulãt, quid quærantur. Bellulum ex eadem gente Commentatorẽ, de abscisso suo illo Atyrixantem, quem scutica veriùs, quàm refutatione excipere par fuerat, quasi ptisanas feriente desuper pilo contudit Raderus suis secundis ad Martialem curis. Iustum Lipsium *in Satyra Menippæa*, si idem ex sua mente dixit iunior, & non potiùs ex persona, & sensu Criticorum, quos ibi inducit loquentes, non approbarim. Et certè maturiorem fauisse puritati testãtur, quæ alibi tradit de sollicitè auersanda obscœnitate: sed Emundum Richerium in obstetrice animorum *lib.4. n.4.* has euirationes, mutilationes, castrationes, (tot appellat nominibus,) improbasse; nobis qui Richerium nouimus, mirum non accidit. Sed illud planè ridiculum, quod seueriſſimum decretum Synodi Tridentinæ, in horum librorum lectionem, accipi vult de sola eorum in scholis prælectione ad pueros: grandioribus autem liberum vult esse, oculos his sordibus ad satietatem pascere, nulla earum expurgatione præmissa. Proh Theologiam dignam, cui homo Caluinianus *cap.2. prolegomenon ad Petronium*, applauderet.

Libri quoque hæreticorum, quibus truncatio possit sufficere, non planè abiiciendi.

449. Hæreticorum quoque truncationem, meritò institui, cùm id patitur tractatio, nec liber est planè fartus damnositatibus, & concretus ex erroribus, vel scriptoris iniquitas tanta non fuit, vt nomen eius putrescere, & omnia quæ edidit, aboleri par sit, pronunciauit optimè Rupertus *lib.2. in Leuit. c.23.* postea adducẽdus. Theophilus quidem Alexand. *in Concilio Alex.* & Epiph. *in Concilio Cyprio*, edici curauerant, vt omnia indiscriminatim Origenis scripta exterminarentur. Sed id sexta Synodus nimium censuit, contenta expurgari Origenis libros, qui possent expurgari recisis quibusdam. Videsis Socratem *lib.6. c.15.* & Sozomenum *lib.8. c.14.* Circa libros quidem Hæresiarcharum, iustè exerceretur ea vltio, vt omnia eorum scripta funditùs abolerentur, etiamsi innoxia, vt in his ipsorum veluti liberis, parentum memoria flagelletur, sítque horrori, & maledictioni obnoxium, quicquid ipsos contingit quoquo modo. Qua ratione lex Græcanica, vt est apud Ficinum in argumento Cratyli, ex Plutarcho, olim ferebat, vt libri hominum valdè impiorum, in authoris opprobrium abolerentur, etiam si boni, & alioqui laudabiles. At circa libros aliorum hæreticorum, cùm possunt expurgari, non est vtendum rigore illo, ne cæteri dispendium subeant. Sicque faciendum circa librum Regularum Tichonij hæretici Donatistæ, monuit S. Augustinus *lib.3. de doctrina Christ. cap.30.*

Idem

Idem seruandum circa libros Catholicorum.

Multo itaque minùs, opus scriptoris Catholici, si per fragilitatem humanam, vel incogitantiam alicubi cespitauerit, prorsus abolendum est; sed duntaxat expurgandum cum charitate, vt optimè monuit Philippus Abbas *epist. 5. sub finem*, agens de libro Sancti Hilarij, quem Ioannes Præpositus abolitum volebat, ob aliqua in eo obscuriùs, &, (vt ipse Ioannes malè censebat,) erroneè prolata. E contrario Philippus, post purgatum diligenter S. Hilarium, addit; etiamsi purgari planè non posset, tamen non forè prorsus reprobandum librum tàm multis aliis bonis abundantem. [Miror, (inquit,) summoperè, quare huius lectionem esse inutilem existimastis; imò respuendam tanquam fidei contrariam iudicastis; quod nequaquam, vt æstimo, tam liberè feciſſetis, si ei paulo diligentiorem operam dediſſetis. Etsi enim ibi aliquid inuenitur, quod per se consideratum, debet forsitan accusari, at ad condemnandum quemuis librum, non est prætendenda duarum, vel vnius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius series lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici: & sunt nonnulla, quibus singularibus potest meritò contradici, sed cùm omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumiacentium muniuntur. Quòd si est illic aliquam sententiam inuenire, quæ nullo pacto possit veritatis regulæ conuenire, numquid propter illam liber iste est contemnendus, vel potiùs ab his, qui fissam habent vngulam, totus, sicut scribitis, respuendus? Numquid propter vnam falsitatem, quæ vera sunt reliqua, debent à lectione prudentium remoueri, cùm Apostolus moneat legi omnia, quod bonum est teneri? Sed neque ille, vt æstimo, fissam habet vngulam, qui cum falso, & verum nouit respuere. Sed qui vtrúmque legens, ab inuicem nouit prudenter discernere.] Idem Philippus *epistola 6.* [Cùm Apostolus mandet legi omnia, & quæ bona sunt teneri, vos tamen librum Hilarij in quo multa dici perfectissimè non negatis, respuendam penitus, hæsitatione postposita, iudicatis, pro eo quod illum in aliquibus reprehensibilem æstimatis. Librum etiam, quem idem Hilarius super Matthæum scribit, propter quasdam sententias, quæ in eo, (vt dicitis,) vel falsæ, vel scrupulosæ sunt, non probatis. Ex quo datis intelligi, quia sicut id quod falsum est, sic illud quod scrupulosum est, respuatis. Verùm Hieronymus nec ea legi vetat, in quibus est aliquid arguendum apertæ falsitatis, si tamen ibi pariter inuenitur vtilitas veritatis. Imò libros etiam Origenis, quos in multis esse reprehensibiles, agnoscebat, & legebat frequentiùs, & legentes nullatenus arguebat.] Contentus scilicet resecari, ac improbari quæ sordebant, nolebat reiici, cætera quæ nitebant. En igitur quo modo liber, ob vnum næuum, non est totus respuendus. 450.

Iudicium Ruperti de hac re *lib. 2. in Leuit. cap. 23.* quod æquè ad libros Catholicorum materialibus aliquibus hæresibus sordentes, & ad libros Hæreticorum formalium, in quibus bona superent mala, accommodatur, digniſſimum est quod hic adscribatur. [Vestis lanea, siue linea, quæ lepram habuerit in stamine, siue subtegmine, aut certè pellis, vel quicquid pelle confectum est, si alba, vel rufa macula fuerit infecta, reputabitur lepra, ostendetúrque Sacer-

doti, qui consideratam recludet septem diebus, & die septimo rursus aspiciens, si creuisse deprehenderit, lepra perseuerans est; pollurum iudicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inuenta: & idcircò comburetur flammis vestis lanea, siue linea, aut certè pellicea; vestis, inquam, quælibet leprosa, peruersa est hæretici scriptura, arte texta, vel consuta, siue grossiori vt lanea, siue subtiliori eloquio vt linea; siue de Platone, cæterísque Philosophis Deo mortuis sumpta, vt vestis pellicea, de mortuis vtique animalibus contexta. Itaque si maculam habuerit, si ruffam, id est, si quippiam discrepuerit ab vniuersitate Scripturarum, siue humili, siue grandiloquo sermone; lepra, scilicet hæretica perfidia reputabitur ab eo qui legerit, vel audiuerit, ostendetúrque Sacerdoti, viro videlicet verum Scripturarum sensum, atque iudicium habenti; cui qui non ostenderit, tanquam pro consensu damnabilis erit. Qui consideratum recludet septem diebus; id est, non temerarium proferet iudicium, sed conferet cum omni authoritate Scripturarum; & si lepram creuisse, id est, si verè hæresim inesse deprehenderit, comburetur flammis; nullo enim modo meliùs, ac citiùs hæretica scriptura de memoria perit. Comburetur itaque leprosa vestis, scilicet praua scriptura flammis visibilibus. Nam leprosus scriptor, insanabilis scilicet hæreticus impœnitens, cremabitur flammis inextinguibilibus, flammis æternis, flammis gehennalibus. Quo contrà vestis illa, quam operata est mulier sapiens, (quæsiuit enim lanam, & linum, & operta est, consilio manuum suarum,) vestiet virum illius nobilem, dabitúrque ei de fructu manuum suarum, & laudabunt eam in portis opera eius. Quòd si eam viderit non creuisse, id est, putauerit hæresim non esse, & id quod prauum sonat, bono sensu accipi posse, præcipiet, & laudabit id in quo lepra est, id est prædicabit, vel exponet coram omnibus illum verbi sensum, qui sanus, vel vtilis est; & cùm viderit faciem pristinam non reuersam, id est, nihil prodesse lectoribus, siue auditoribus suam interpretationem, igne comburet, vt prædictum est. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, & à solido diuidet: id est, si cùm in vno capitulo error est, aut hæresis, multa fidelia, siue vtilia sunt in toto corpore voluminis; dempto vitio, cætera reseruabit. Quod facere nonnulli conati sunt de libris Origenis. Quòd si vltrà apparuerit in his locis quæ priùs immaculata erant, lepra volatilis, & vaga est; id est, si vltrà de illis quoque scriptorum locis, quæ priùs videbantur, innoxia, dissensiones ortæ, & facta fuerint scandala, debent igne comburi: videlicet eo quòd plus simplicibus obsint, quàm prosint sapientibus, & discretis, cùm sufficiant scripta probatæ fidei. Si cessauerit, id est, si dissensio, vel turbatio legentium ratione sedari poterit, leuabit ea quæ pura sunt, secundò: id est, defendet, vel commendabit ea quæ Catholica sunt iteratò, & munda erunt, id est, authentica permanebunt.]

Erotema II.

Quomodo facienda confixio respectu habito ad Lectorum conditionem.

ATtendendam diligenter esse in re proposita, Lectorum conditionem, præmisimus; nunc addendum est penes quæ sit expendenda. 452.

Lectoris eruditio quomodo pensanda in confixione libri respectiua.

Aio ergo non esse sola eruditione metiendam, nec spem fructus, ac ruinæ, in legente præclusionem, debere esse qualemcumque duntaxat: verùm spem commodi certam moraliter esse; damni verò metum plusquam probabiliter abesse oportere, eo quòd ritè pensatis adiunctis omnibus, nihil omninò eiusmodi personæ timendum ex eo capite videatur. V. g. si sermo sit de lectione libri hæretici, abstinebitur quoad certam personam libri confixione, quia & persona est erudita quæ nouit lepram inter, ac lepram discernere, nec est genij inconstantis, aptíque, circumferri omni vento doctrinæ; nullis præterea aut perexiguis, aduersantium fidei tentationum flabris obnoxia. Hæc enim adiuncta in eo, cui copia legendorum librorum hæreticorum fieri possit, attendenda sunt, iuxta Alphonsum de Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 17.* In ipso Concilio Tridentino experientiam docuisse, quàm noxium quibusdam Catholicis Doctoribus fuisset, legisse libros hæreticorum, ideóque reuocatas esse omnes Patribus datas eorum legendorum facultates, scribit, qui aderat Velosillus *in aduertentiis ad tomum 6. Hieronymi, quæst. 6.*

Addidi verò, eruditionem multo solidiorem exigi, si quidam hæreticorum 453.
libri tractandi sint, in quibus autor virulentior, & occultiùs, ac non in sibilo nocet, quàm si alius quispiam immanes errores apertè proponens. Qua ratione Lutherus, qui vbique stercora, & cœnum crepat, suámque animi impotentiam vbique prodit, minorem legentis peritiam exposcit, quàm Caluinus, cuius in scribendo vafrities, etiam mediocriter doctis fraudi esse queat, vt in Alberto Pighio est deprehensum, quem constat ex lectione librorum Caluini impactum non rarò esse in scopulos: tametsi homo erat non ineruditus, quod edita ab eo volumina testatum faciunt. Pro libri ergo legendi malignitate, & authoris nequitia, ac dolo in tegendo errore, & ei lenocinando per fucum verborum, & pigmenta, quorum etsi impietatis artifices nunquam sunt parci, alij tamen aliis sunt instructiores; necesse est doctrinæ soliditatem, atque præstantiam, lectori maiorem suppetere.

Hæc tamen cautio censeri debet comprehensa in ea generali monitione, qua docetur, cuique ad libros hæreticos legendos accedenti, debere esse

esse satis virium. Quod vnum tulit diuina vox ad sanctum Dionysium Alexandrinum, vt ex eius verbis, *in epistola 3. de Baptismate*, ad Philemonem Romanum Presbyterum exarata; sic refert Eusebius *lib. 5. histor. cap. 6.* [Ego, & tractatus hæreticorum lego, & traditiones eorum perscrutor, etiamsi videar ad horam verbis eorum pollui. Sed multùm mihi confert hoc ipsum, quod ex ipsorum verbis arguere eos possum. Denique cùm aliquis ex fratribus, & compresbyteris prohiberet me, ne hæretica lectione tauquam cœni alicuius fœtore polluerer, visio mihi quædam à Deo ostenditur, quæ me confirmaret; & sermo ad me factus est, hæc mihi euidenter proloquens; lege omnia quæcumque in manus tuas venerint, quia probare singula quæque, & discernere potes; quandoquidem ex initio hæc tibi causa fuit credendi. Amplexus sum visionem, quia, & Apostolicæ sententiæ concordabat, dicenti, *Omnia legite, quæ bona sunt, tenete.*]

Probitas item Lectoris, attendenda; & legendi necessitas.

454 Attendendum item esse non ad Lectoris doctrinam duntaxat, sed etiam ad vitæ probitatem, & mores rectè compositos, nemo inficias iuerit. Nihil enim frequentius magísve quotidianum, quàm vt vitæ fœditas, & morum corruptela, etiam in hominibus eruditis, & qui infidelitatis reflatus vllos antea non persensissent, oblata occásione aliqua, ad naufragium circa fidem disponat. Et quamquam vtplurimum, qui eiusmodi sunt, iuxta Nicolaum Papam *epist. ad Michaëlem Imperatorem*, descendunt in Infernum viuentes, & cadentes apertos habent oculos, id est, vincente affectu corrupto, tametsi non obnubilato per librum hæreticum intellectu, in præcipitium corruunt: tamen, quia, vt est apud S. Augustinum *tractat. 8. in 1. Ioannis epistolam*, aliqui vitiosæ vitæ veluti nebulis, aut fumo peccatorum, intelligentiæ in se lumen extinguunt; facilè accidere potest, vt de difficultatis alicuius, quam eis libri hæretici lectio ingesserit, implexitate, vlceri suo abblandiantur, pereántque eo lubentiùs, quo per discutiendi torporem, atque vecordiam, non omninò se destitui ratione aliqua, & turpitudinis obtendiculo arbitrantur.

455. Iuuerit etiam non parum, vt homo non ex mera libidine, & curiositate in hanc lectionem descendat, sed ex causa, & necessitate aliqua. Verisimilius enim est, Deum ea causa suppetente, multo vberiùs, ac robustiùs affuturum, iisque cælestibus suppetitiis munitum pectus legentis, vt nullum ex attactu pestiferi libri damnum sentiat. Quo pacto in summa necessitate, Confessarium fragilitatis suæ conscium, meretricis confessionem sine culpa excipere posse, Deo fidentem, qui in necessitate illa non deërit, & periculum non vltrò aditum auertet, rectè graues DD. asseruerunt. Et hac ratione, iis, qui præsunt, & amoliri subditorum ruinam ex officio adstringuntur, congruentissimum est, si dotes reliquæ non desint, quantum necesse est ad immunitatem à morali periculo, iis qui idonei sint, mederi erroribus alicubi occupantibus animos plurimorum, facere potestatem libros errorum in ea regione grassantium euoluendi. Necessitas enim errorem à suis amoliendi, securitatem ex diuino auxilio spondet multo verisimiliùs. Hucque spectat canon 16.

Concilij

Concilij IV. Carthag. quo Episcopis lectione librorum Gentilium planè interdicitur; quia scilicet eis necessaria non erat ad suorum salutem huiusmodi lectio. At facultas legendorum librorum hæreticorum, iisdem conceditur pro necessitate tantùm, ac tempore.

Sic munitum Lectorem, hoc est, & eruditione sufficienti, & probis moribus 456.
instructum, nec ingenio instabili, & ad nouitates pruriente præditum, maximè autem necessitate aliqua ad legendos libros hæreticorum adactum, Alphonsus de Castro *cap. illo* 17. non immeritò adumbratum censet per Phinees, qui ingressus turpidinis locum, non ad scortandum, sed ad confodiendos scortatores, magnificè à Deo laudatus, & insigni remuneratione donatus est. Similiter enim, qui præuia superiorum concessione, in volutabrum libri hæretici, alitérve iure vetiti, demittit sese, non ad libidinandum animo, (vt sic dicam,) id est, non ad pascendam curiositatem, captandámve indebitam delectationem, sed vt ex officio, vel charitate, & benè ordinato fidei zelo, pugnet aduersùs eos, qui animas Christi sanguine ablutas in lutum fæcis, & hæreticas aliásve quascumque spurcitias reuoluunt; tantum abest, vt inquinetur, vt potiùs nitescat magis, & ex cœno educat alios. Et hoc consilio, lectos à se hæreticorum libros, testatur S. Irenæus *lib.* 1. *in præfatione operis.* S. Cyrillus Hierosol. *catech.* 6. idem, & ex eadem causa à se factum testatur, quoad libros Manichæorum. Adstipulatur Sanctus Hieronymus *epist.* 152. *ferè in fine*, & optimè Dionysius Alexandrinus suprà adductus, apud Eusebium *lib.* 7. *hist. c.* 6. Ex recentioribus idem latè prosequitur Pamelius ad librum Nouatiani *de Trinitate, cap.* 58.

PARTITIO III.

De configendi potestate.

DISTINCTIONE hîc opus est. Alia enim est confixio *iuridica*, 457.
quæ scilicet fit ab homine, publica ad id suffulto authoritate; alia verò *doctrinalis*, quæ fit ab homine non quidem à legitimo superiore ad munus configendi delecto, sed tamen erudito atque capaci. Vtriusque confixionis, & facultatis ad eam inuendam, meminit Gerso *tractatu de examinat. doctrinarum, parte* 1. *opusculi*, in prioribus considerationibus. Quia huius duplicis ad configendum potestatis diuersa ratio est, agemus de vtraque sigillatim, atque seorsim.

EROTEMA I.

Penes quem sit librorum configendorum ius priuatum, meréque doctrinale.

EIus confixionis, quam quispiam fert solo doctrinæ titulo munitus, facultas est penes quemuis virum doctum, prudentem, atque consideratum.

Merè doctrinale de libro iudicium, est penes quemcumque eruditum.

458. Huius pronunciati ratio, perspicua est. Cuiuis enim viro erudito, etiamsi priuato, idipsum circa doctrinam, atque adeò etiam circa libros conceditur, quod vnicuique in sua arte perito; vt scilicet seruatis prudentiæ regulis, quæ non omnia vera vbiuis efferri concedunt, de alieno opere pronunciare possit, & librum, qui malus, vel noxius est, possit configere ad aliorum instructionem, ne circumueniantur, inducantúrque in errorem. Nec rarò idipsum extorquet autoris petitio. Authores enim humiles, ac digni, quorum opera lucem videant, quantumuis eruditi, & graues, aliena de suis operibus iudicia lubentes efflagitant: & cùm aliquid mutandum, delendúmve audiunt, ab eo cuius exquisierint sententiam, non grauatè acquiescunt; si ratio qua censor adducitur, non sit leuis, sed ita faciendum, videatur ferre. Hac ratione Iulianus Imperator *epist.* 16. Maximum Ephesium librorum suorum censorem dixit. Plinius iunior *lib.* 2. *epist.* 8. & aliis locis quæ ibi signat Claudius Minos, censores scriptionum suarum, quàm accuratos, exposcit.

Ex nostris S. Eulogius, memoriale Sanctorum, & documentum Martyrij, ad SS. Virgines Floram, & Mariam, subiecit Aluari censuræ, vt ex eius epistolis docemur. Boëtius Symmachum socerum suum, virum doctissimum, arbitrum scriptorum suorum dixit, transmittens ad eum è carcere librum *de Trinitate.* B. Petrus Damiani *lib.* 4. *epistol.* 11. Theodosium Senogallienſem, & Rodulphum Eugubinum Episcopos, operum suorum censores efflagitat magna humilitate, & addit; [Quid enim mirum si ego imperitus, & animalis homo, dictatiunculis meis sanctos viros adhibeam iudices, quandoquidem Lucas, & Marcus in Euangeliis, quæ Spiritu sancto dictante descripserant, Petrum, & Paulum Apostolos habuere censores?] Alibi, sua scripta corrigenda exhibuit Gebizo, Theobaldo, & Ioanni Abbatibus. Est *epist.* 10. *libri sexti*; Eusebius Cæsar. libros tres posteriores contra Marcellum Ancyranum Flacillo Episcopo recognoscendos transmittit. S. item Basilius *epistola* 167. rogatus à Theodoro Tharsensi, de eius scriptis pronunciauit. Eam quippe epistolam, ad Diodorum postea Tharsensem Episcopum, tunc Presbyterum Antiochenum directam esse, docet Facundus Hermian. *lib.* 4. *pro tribus Capitulis cap.* 2. Ea epistola

epistola S. Basilius, liberè, & citra adulationem promit sententiam, [vt declaretur, (inquit,)quàm non in adulatoris manum,labores tuos miseris,sed fratri germanissimo communicaueris.

B. Aëlredus Rhieuallensis emissurus plenam editionem expositionis suæ de oneribus Isaiæ ad homilias triginta diffusam, præmisit eius recognitionem G. Episcopo Lundonienſi,viro doctissimo & acris in censendo iudicij; de quibus eius dotibus multa prælocutus Aëlredus,subdit. [Hinc est Pater amantissime, quod studium meum,si quod est in literis sacris, ad tuæ discretionis examen credidi referendum, vt vbi sanum sapio, tua me confirmet autoritas: vbi hæsito, te docente mihi luceat veritas, vbi erro, corrigat me tua sancta seueritas, &c. Igitur cùm triginta homilias stylo tradidissem, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem, suspendi calamum,donec de vultu tuo, eorum quæ scripsi, prodiret iudicium, videréntque oculi tui, eorum omnium rationem, suæque discretionis arbitrio,omnia quæ scripta sunt, vel delerentur, vel corrigerentur, vel probarentur.] Excusans postmodum libertatem interpellandi tantum Antistitem pro re tantula,concludit.[Licèt igitur magnum sit sapienti, vel modicum tempus,otio dare, non pigeat,rogo dominum meum, tantillum tempus perdere, quo ex his quæ scripsimus, vel resecare superflua, vel supplere hiantia, vel vniuersa delere possitis.]

Sed quod illustre huius rei veluti paradigma proposuerit præter cæteros 459.
Sanctus Ambrosius inter Latinos doctores micantissimus, cùm labores suos Sabino Laudensi Præsuli recognoscẽdos mitteret,vt apud eum legere est *ep.* 40. illam ex parte hîc attexendam existimo, vt sit veluti exemplar, ad quod admetiri liceat, & candidum pectus æqui censoris, & æquam scriptoris, de cuius libro fertur censura,voluntatem, quæ palpari se nolit. [Remisisti,(inquit,) mihi libellos,quos tuo iudicio probatiores habeo. Ideò misi alios non iudicij fauore delectatus, sed promissa à te, & petita à me veritate illectus. Malo enim tuo corrigatur iudicio si quid mouet prisquam foras prodeat, vnde iam reuocandi nulla facultas sit, quàm laudari à te, quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas rogaui. Neque enim legi ante mea, quæ nonnunquam tribuo in vulgus, sed in tuæ calculum venire sententiæ desideraui. Non erit longi subsellij ista iudicatio, & mora. Vt dictum est antiquitus, facile est tibi de nostris iudicare. Ego certè huc inuitatu tuo prodeundum putaui: tuum est liquidò decernere, & scrutanter discutere quæ corrigas, ne sibi vitio vertant ea quæ nobis potuerunt obrepere; nescio quo enim modo præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, vnumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque filij etiam deformes delectant:sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautiùs plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur maleuolentiùs,aliquid erit ambiguum:tum,quia alieno examinandi iudicio non pro nostra debemus magis, quàm pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos maleuolentiæ. Assume igitur animo beneuolo aurem versutiæ,& pertracta omnia;sermones vellica, si in iis non forenses blanditiæ,& suasoria verba,sed fidei synceritas est,& confessionis sobrietas. Notam appone ad verbum dubij ponderis, & fallacis stateræ, ne quid pro se aduersarius interpretetur; esto vt reuincatur si congredi cœperint, malè se habet liber,qui sine assertore non defenditur.Ipse igitur pro se loquatur,

qui procedit sine interprete. Noster hic tamen non egredietur à nobis nisi à te acceperit autoritatem. Itaque cùm eum fide tua prodire iusseris, committetur tibi.]

460. Hæc igitur esse debet scriptoris æquitas animi, erga doctum censorem, & syncerum, quantumuis in exhibita scriptione non parcat confixioni, aut etiam succisioni, si res ferat. Barbarum verò, ac tyrannicum Dionysij Siculi factum æmulari, eius duntaxat esset, qui hominem referret moribus, & eadem flagrare vellet infamia. Tragœdiam scripserat Dionysius ridiculosissimam. Eam cum recognoscendam dedisset Philoxeno; isque autori non esset adulatus, in lapidicinam coniectus est. Refert Lucianus *dialog. aduersùs indoctum congestorem librorum.* Censoris igitur eruditi, vltrò facta, aut multo magis ab authore expetita censura, lnbenter excipitor. Erítque hæc confixio commensa authoritati censoris, itavt tantum ab ea immineat libro periculi, aut dedecoris, quantum est pondus authoritatis eius, qui confixit, & vel plurimum, vel nihil officiat, prout magna, vel nulla fuerit censoris priuati fama, & doctrina quam parauerit.

Discussus Gerso circa censuræ priuatæ autoritatem.

461. Absit porrò, vt cuiusquam eruditioni tantum tribuamus, vt quod Gerso suprà allegatus *consider. 5.* affirmat, possit contingere euentus, in quo plus sit credendum assertioni viri docti, quàm declarationi Summi Pontificis. Eum euentum assignat Gerso, si contingeret Papam vltrò errare quoad veritatem aliquam, quàm vir ille eruditus doceret contineri in Euangelio. Et idem asserit euenturum, si Papa ignoraret eam veritatem contineri in Euangelio, cui (vt Gerso constare ait,) plusquàm Papæ credendum est. Has Gersonis suppositiones quoad Papæ voluntarium errorem circa veritatem Catholicam, vel eius ignorationem, admittere nullo modo possumus. Impossibile quippe est, Pontificem, qui Pontificatu non excidat, vltrò errare circa veritatem aliquam in Euangelio contentam, aut eius veritatis contrarium per ignorantiam docere. Sic enim portæ inferi, id est, errores, (vt Sanctus Hieronymus interpretatur,) prævalerent aduersùs Ecclesiam, quæ Capiti suo adhærere tenetur. Vnde declaratio Euangelij, quæ à Pontifice ex Cathedra peragitur, censenda est germana. Quod ita ratum habuit S. Augustinus, vt negauerit se Euangelio assensurum, nisi Catholicæ Ecclesiæ, cuius Caput est Summus Pontifex, authoritas accederet. Sanè diuinæ erga Ecclesiam suam prouidentiæ esset, non sinere, vt Pontifex nemine ante promulgationem obsistente, ac errorem dedocente, aliquid per ignorantiam, vel obliuionem traderet, quod esset contra Euangelium, aut contra anteriorem aliquam fidei definitionem: alioqui non esset sufficienter prouisum Ecclesiæ: possemus enim semper subdubitare, an quod à Pontifice credendum proponitur, falsum esset; & an contrarium sit de fide; tametsi Pontifex id proponat per ignorantiam, vel obliuionem.

462. Pertinet ergo ad prouidentiam Dei, priusquam promulgatio debita fiat, & Ecclesia teneatur propositioni falsæ assentiri, curare depulsionẽ erroris, aut ignorantiæ à proponẽte, per fidelẽ suggestionẽ hominis eruditi: quæ si nõ interueniat ante propositionẽ factã, signũ euidẽs est, nec obliuionẽ, nec ignorantiã interueniſſe

nisse in proponente; ac proinde standum esse propositioni eius. Si autem proponens vellet ex malitia falsam fidei doctrinam proponere, & dedoctus errorem, aut soluta ignorantia, perstaret nihilominùs in voluntate proponendi errorem exploratum,& pugnantem cum Euangelio,vel alia perspicua anteriori definitione Ecclesiæ; sic Pontifex Pontificatu excideret, redderetúrque dignus,qui eo spoliaretur à Christo; interuentu sententiæ humanæ declaratoriæ, vt dicitur 2. 2. ac proinde tunc posset locum habere prælatio interpretationis viri eruditi, præ interpretatione talis Pontificis depontani. Quamdiu autem Pontifex, dignus perstat successione S.Petri, & Vicariatu Christi, nihil tale dici potest.Ideóque, absolutè, & simpliciter loquendo, nulla priuati cuiuscumque, quantumuis eruditi, interpretatio rerum fidei, vel confixio falsi dogmatis,aut libri illud continentis,cum Pontificia interpetratione,aut confixione potest conferri.

Concluditur, censuram priuatam viro cuiuis docto competere, ablegatis indoctis.

Viro itaque docto,& naris emunctæ,fas esto,ad eum modum sobriè ac prudenter de alienis operibus pronunciare. Eiusmodi suo tempore fuit Longinus, de quo sic Eunapius in Porphyrio. [Ea tempestate erat Longinus spirans quædam Bibliotheca, ac viuum musæum, cui de veteribus iudicandi potestas permissa erat: quo munere ante illum, vt alij non pauci,ita & Dionysius è Caria, cunctis illustrior perfunctus fuerat.] Et mox. [Quòd si quis vetustum autorem aliquem reprehendisset, non priùs rata, atque firma habebatur opinio, quàm Longini illam confirmasset iudicium.] Id abs se circa Tichonium, & Origenem præstitum, notando in bonis dictis *Chresimon*, in prauis *achrestον*, (corrupta lectio habet, *ac hereseon*,) notat Cassiodorus *lib. diuin. instit.* Nec potest quispiam huiusmodi iudicium defugere. Quo non malè transtulerim illud, alia licèt ex causa, à Symmacho dictum ad Ausonium *lib.1. epist.31.* [Cùm semel à te carmen profectum est,ius omne perdidisti. Oratio publicata, res libera est.] 463.

Semper me restrinxi ad virum doctum, quia indoctum hominem de libro alieno velle censuram ferre, res est indignissima. Audi S. Basilium *epist.75.* [Probetur natura sui condemnatum esse scriptum, quod obiicitur magis,quàm quod ex ignorantia accusationis culpandum esse videatur. Sunt namque multa bona, quæ non exacto mentis iudicio præditis,talia non apparent. Neque enim,quæ sunt eiusdem ponderis,paria esse videntur, nisi æquilibres sint inter se lances. Iam mel, malè morbo quopiam affectis, apparet gustu amaricatius per corruptelam organi. Quin & oculus vitiatus,multa non videt eorum,quæ sunt, & multa suspicatur, quæ non sunt.Idem & in iudicanda sermonum virtute sæpenumero fieri video, quando eorum qui conscripserunt mentem, habitúmve non assequitur iudex; oportet enim vt eadem propè sint animi industria præditi, & qui aliorum scripta iudicaturus est, & qui illa conscripsit. An cùm de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola, & qui musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in musicis rythmis cognoscat; sermonum iudex mox erit, quicumque volet? Qui 464.

neque præceptorem suum, neque tempus in quo didicerit, assignare valet, nec prorsus quicquam eorum, quæ ad sermones iudicandos attinent, siue multum, siue parum intelligit? Ego verò noui quòd quæ in Oraculis Spiritus dicuntur, haud cuiuis liceat proprio subiicere examini; sed ei, qui spiritum habet discretionis, quemadmodum nos Apostolus in diuisionibus charismatum docuit, dicens: *Huic namque per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eumdem spiritum; alij fides in eodem spiritu, alij operationes virtutum, alij prophetia, alij discretiones spirituum.* Itaque si nostra spiritalia sunt, ostendat se donum habere discernendorum spiritalium, qui nostra iudicare præsumit. Si verò quemadmodum ipse conuiciatur, ex sapientia sunt mundi huius, declaret se mundanæ sapientiæ experientiam habere; & tum demum ipsi iudicandi calculos permittemus.]

Inter indoctos porrò, Gerso *tomo* 1. *tract. de examinatione doctr. part.*2. *considerat.*2. meritò numerat eos, qui in vno quidem genere periti sunt, non item in alio, de quo tamen interdum audent iudicare. Sic Galenum à Rabbi Mose Medico derisum refert, quòd vltra crepidam sutor porrexisset manum: sic passim plerosque, dum se vident prærogatiua alicuius disciplinæ, inter suos fulgere, exerrare, dilatato ad alia iudicio, aduertit.

EROTEMA II.

Cuius sit librorum confixio pro potestate.

465. NVnc de alia confixione disputamus, quæ fit pro potestate, & vel circa libros de fide, aut religione tractantes exeritur, vel circa alios. Ordior à priore librorum genere.

DOCTRINA GERSONIS, de sede publici in libros iudicij.

Gerso *tomo* 1. *tract. de examinatione doctrinarum* 1. *part. illius opusculi, consider.*1.2.& 3. agens de examinatione, cui adiungatur determinatio, vel declaratio, aut interpetratio cum appositione pœnarum in rebelles, atque adeò, quæ confixionem habeat adiunctam, vel subiunctam, appellat examinationem illam quandoque *authenticam*, quandoque *iuridicam*, quandoque *authoritatiuam*, eiúsque potestatem si doctrina examinanda spectet ad fidem, collocat finaliter in sua viua regula fidei, hoc est, in in Concilio Ocumenico. In Papa autem eam potestatem iuridicam examinandi res fidei, & damnandi opposita, statuit sub Concilio, vel cum ipso. Estque manifestum, quod de examine, ac confixione puncti cuiuspiam doctrinalis à Gersone asseritur, æquè de libri examinatione, aut confixione valere. Sic igitur ille philosophatur de finali, aut suprema discussione, aut confixione per Concilium, aut Pontificem.

466. Cuilibet autem Episcopo, intra fines suæ Diœcesis id concedit præsupposita discussione matura; & dummodò non configat nisi puncta palàm, & omnium

omnium iudicio,hæreticalia,vel puncta ſimpliciter quidem dubia, ſed peritis, & ſapientibus manifeſta. Quoad hæc enim Gerſo *conſider. illa* 3. poteſtatem agnoſcit in Prælatis inferioribus, ſiue Epiſcopis,condendi articulum fidei, ab iis tenendum, quos habent iuriſdictioni ſuæ ſubiectos, negátque verum eſſe, quod dixiſſe alios refert, nullum præter Papam condere poſſe articulum. Ea verò puncta,quæ non ſunt apertè, (ſaltem apud ſapientes,) hæreticalia, ſed, (vt ait,) [ſunt veluti neutra, habéntque pro ſe Doctores, cum rationibus ad vtramque partem probabilibus, nec in vna tantùm Diœceſi, vel paucis, ſed apud omnes Chriſtianos,aut longè plurimos] locum habent;negat Gerſo poſſe ab Epiſcopis,decidi,vel ſi eis non ſapiant, poſſe ab eis configi. Has enim putat eſſe maiores cauſas,quas capitis Eccleſiæ examini,ac ſi res ferat,confixioni iura reſeruant. Et huius diſtinctionis ignoratione, aut diſſimulatione, non paucos ea tempeſtate in iudicia ſcandaloſa,errorēſque prorupiſſe,expoſtulat.

Addit Gerſo *ibidem conſider.*4. eiuſdem examinationis artificem partim authenticum,partim doctrinalem,eſſe quemuis in Theologica facultate Licentiatum,aut Doctorem; quod non aliter probat, quàm ex hac forma verborum, qua à Cancellario conceditur licentia magiſtralis, [*Ego Apoſtolica authoritate, do tibi licentiam legendi, regendi, diſputandi, docendi, in ſacræ Theologiæ facultate, hic,& vbique terrarum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* [Ex qua forma colligit Gerſo,quemuis Doctorem, aut Licentiatum, habere à Sede Apoſtolica facultatem exercendi vbiuis, actus præmiſſos, atque adeò etiam libros configendi, ſi noxij ſint: tametſi facultas illa ad actus prædictos ſubordinetur immediatis præſulibus,& ab eis ex cauſa idonea impediri poſſit. Sicut quamuis omnes Sacerdotes ſint æquè Sacerdotes quoad poteſtatem in corpus Chriſti reale; quoad myſticum tamen corpus,diuerſimodè ſe habent, prout iuriſdictionem accipiunt ab Ordinariis. 467.

Excutitur quoad poteſtatem Epiſcopis aſsignatam.

In his Gerſonis dictis dimittenda ſunt hoc loco, quæ habet de finali, & irretractabili,ſolius Cōcilij generalis,non item Summi Pontificis,definitione; hæc enim alibi ſunt excutienda,cùm ratio ſupremi capitis Eccleſiæ, & poteſtas infallibiliter, ac irretractabiliter ſtatuendi de rebus fidei,ſoli Pontifici aſſeritur 2.2.*q.*10. Quod verò attinet ad illam poteſtatem, quam Gerſo agnoſcit in Epiſcopis reſpectu ſuæ Diœceſis, vt poſſint de rebus ſaltem inter doctos apertis,ac perſpicuis, condere articulos fidei, poteſt circa eam eſſe lis de nomine. Nam ſi ſenſus ſit, Epiſcopum poſſe cudere infallibilem fidei definitionem in prædictis materiis;atque adeò ſi ſenſus ſit, Epiſcopo configente librum, ratione puncti alicuius,quem damnet hæreſeos, confixionem illam eſſe ex fide certam,reiiciendum eſt, quod Gerſo dicit:tum, quia cauſa fidei,& hæreſeos, cùm ſit toti Eccleſiæ communis, eo quòd vna in quacumque Eccleſia debeat eſſe fides, non poteſt per vnius particularis Eccleſiæ, caput decidi, vt rectè argumentatur Caſtro *lib.*3. *contra hæreſ. cap.*8. Tum, quia nulli Epiſcopo infra Romanum Pontificem, competit poteſtas iudicandi infallibiliter de fide, aut configendi, quæ ſunt falſa, & fidei aduerſantia; quia de nullo alio ſingulari Epiſcopo valet, quod de Romano in Petri perſona dictum eſt, *Rogaui pro te Petre,* 468.

Petre, vt non deficiat fides tua. Et, *pasce oues meas*, quod pabulum maximè præbetur per suppeditationem, ac propositionem doctrinæ sacræ, & reiectionem corruptæ. Valebit autem, quod à Gersone de inferioribus Episcopis dicitur, si sensus sit, eos habere potestatem proponendi suis subditis, quæ ab Ecclesiæ capite fuerint definita tanquam de fide; eósque in conscientia obligandi, vt eis credant tanquam definitis per Ecclesiæ caput, cuius est eas definitiones cudere: ea quippè potestas in munere pastorum includitur, ídque apertè tradit S. Bernard. *epist. 39. sub medium.* Et quamuis Parochis quoque proportionalis gradui suo ad id potestas competat, tamen multo magis in Episcopo micat, cuius in pascenda plebe potestas, & eminentior est, & maior. Quod multo magis dicendum est de quocumque Euangelij præcone, definitionē fidei rectè factam renunciante absque vlla ad id potestate, ex solo zelo diuini honoris, & fidei propagandæ. Hic enim & subtus Episcopum, & subtus Parochum, qui Pastores sunt, statui debet quoad præsens negotium.

469. Præter propositam facultatem, agnoscenda quoque est in Episcopis inferioribus facultas obligandi suos, ne assensum præbeant doctrinæ periculosæ: eo quòd tametsi nedum damnata sit ab Ecclesia, tamen Episcopo videatur eam doctrinam non cohærere cum definitionibus iam cusis, aut accedere ad errores damnatos. Hoc planè videtur necessarium Episcopo, vt munus pascendarum Christi ouium ritè exequatur: & quamuis Episcopus in huiusmodi propositione possit falli, quippè qui priuilegio infallibitatis non gaudeat; tamen prudenter plebs constituti sibi ab Ecclesia immediati Pastoris vocem audiet, nec peccabit ductum eius sequendo. Tandémque diuina prouidentia per mediatos, ac præsertim per supremum Pastorem, aut quibus lubebit viis, dedocebit errorem, & bonam plebis mentem, eiúsque obedientiam erroris depulsione compensabit: faciétque ne fraudi sit materialis aberratio, ex spiritu humilitatis, & voluntate constitutos sibi duces sequendi, profecta.

Expenditur facultas publica configendi doctrinam, concessa à Gersone cuicumque Doctori singulari.

470. Iam quod ad Licentiatos, vel Doctores Theologos attinet, perperam Gerso, nescio quam in eis ex parte authoritatiuam, vel authenticā noxia improbandi potestatem agnoscit. Hoc enim est muneris Pastorum, quorum est pabulum doctrinæ sacræ ouibus suis porrigere, & vitulenta pascua remouere. At Doctores, & Licentiati præcisè quâ tales, non sunt Pastores. Habent quidem Licentiati, atque Doctores, si sint, quod dicuntur, nec ementitos titulos præferant; agmiuibus iam Doctorum, penè vulgus æquantibus, vt Franciscus Petrarcha scitè dixit *lib. 1. de remed. c. 46.* & quòd *c. 12.* præmiserat, ceu pecudum greges in quacunque vrbe abundantibus; habent, inquam, veri Doctores idoneitatem, & aptitudinem, vt à Pastoribus assumantur ad discussionem punctorum ambiguorum, sintque Præsulum quasi consulti: quod ad summum fert formula creandi Doctorem antè prolata, continens idoneitatis illius testimonium authenticum, ab iis latum, quos ad ferendum præfecerunt ij, quibus in Repub. potestas competit. Et ita habet ipse Gerso *lib. 3. de consolatione Theologia, prosa 3.* & benè Caiet. *in summa v. Doctor.* Iuridica tamen, & facta cum potestate propositio dogmatum sanorum, vel confixio reproborum, nulla ex

parte

parte est Doctorum, vel Licentiatorum. Possis enim cuilibet tale aliquid sibi assumenti, opponere illud Hieronymi ad Domnionem; [Vt de omnibus iudicet, cuius hoc iudicio meruit?]

Non igitur hoc possunt Doctores, vel Licentiati, sed ea tantùm facultate discutiendi, & configendi potiuntur, quam Gerso *suprà* vocat *per modum doctrinæ*, & æquè cuiuis viro docto competit, tametsi non Doctori. Imò plerumque multo magis homini nulla laurea decorato suppetit ea facultas, atque etiam illa quam dixi ad deseruiendum Pastoribus idoneitas. Verè enim, ac rectè, laudatus proximè Petrarcha in hanc rem dixit, [Sæpè nullum bonis, clarum malis mercibus signum fuit.] Consulatur qui de indignitate multorum ad hos gradus per vias indebitas erepentium, & huiusmodi titulos emercantium, grauissimè conqueritur Aluarus Pelagius *lib.2. de planctu Ecclesiæ art.43.* & Ioannes Viualdus *in opere Regali tract.de 12.persecutionibus Ecclesiæ*, quarum decimam esse ait, ab indignis Doctoratu potientibus. Videndus insuper Ludouicus Viues *lib.1.de causa corruptionis artium, sub finem.*

Extenditur resolutio ad cœtum Doctorum vnius Academiæ.

Quòd si Doctori cuiuis singulari aliud non competit vi Doctoratus, quàm quod diximus, debet quoque liquere, non plus etiam toti Doctorum collegio, etiamsi numerosissimo, posse tribui: quod rectè statuit Alphonsus de Castro *lib.1.contra hæreses cap.8.* numerus enim auctior similium personarum, nihil plus intensiuè confert, quàm si vnica esset persona. Vnde Caietanus *opusc.de Concept. B.Virginis*, Academiarum decisiones, & determinationes nauci facit; & quamuis per modum declarationum admitti vtcumque possint, quod vnum cuincit Catharinus *lib.2. pro Concept. §. primò quòd sic, pag.49.* non tamen vt determinationes, non plus quam si vnicus esset Doctor. Quamuis autem multitudo ex vna parte conferre possit ad faciliùs, & certiùs attingendam veritatem, eo quòd plura ingenia exculta concurrant: tamen non semper verum est, multitudinem eorum, qui Doctores dicuntur, esse multitudinem eruditorum, & ingeniosorum; imò, vt Themistius *orat.1.* de æuo suo expostulat, asinus sæpè Æsopicus, quamuis asinus, leonis pelle indutus prodit; atque adeò si daretur cœtus talium, non esset cœtus leonum, nisi externa specie. De Doctoribus antiquitate & celebritate palmam ferentibus, verè à Ioanne Maiore, qui & ipse Doctor inter eos vnus erat, scriptum est. [Non omnis Magister est doctus.] Ipséque Gerso, inter causas cur dimittere munus Cancellarij Academiæ celeberrimæ vellet, *tract. de eo argumento*, qui *p.2.* habetur, eam non omisit, quod pro abusu inolito, cogeretur [Ignaros scientia, & pernicioso moribus, promouere; & quandoque sufficientioribus præponere.] 471.

Præterea multitudo numerosior, eo facilior est, vt in factiones scindatur; & vt de dogmatibus, aut libris, in quibus traduntur, non ex iudicio, sed ex affectu, aut ad gratiam per nundinatitia capita pronuncietur. Quod quàm sit frequens in huiusmodi cœtibus, nihil attinet demonstrare copiosè. Inde certè non rarò contigit vt libri, ac sententiæ Doctorum orthodoxissimorum, iudicio publico alicuius Academiæ configerentur. Nemo in re litteraria adeò hospes est, vt ignoret, quã in pretio sit apud omnes æquos æstimatores doctrina D.Thomæ. 472.

Commendarunt illam nonnulli Summi Pontifices, vt Ioannes XXII. & Vrbanus V. & Pius V. quorum dicta, vel rescripta, collegit Seraphinus *in prolusione ad Summam S. Thomæ à se editam.* Non potuit tamen vir Sanctissimus, & Doctorum Aquila, inuidorum morsus, aut rabiem defugere, editis aduersùs eius scripta, atque doctrinam, tanquam erroneam, non sine adiuncta excommunicatione per Parisiensem Episcopum, ab Academia in fraudem actum, variis articulis, quos Ægidius Romanus, qui aderat, referente Capreolo *in 2. q. 1. ad 1. Gregorij*, damnatos refert *factiosè* [*non conuocatis omnibus Doctoribus, ad requestam quorumdam Capitosorum.*] Vt mirum non sit de articulis sic confectis, à Godofredo *quodl. 8. quæst. 5.* sic statui. [Indigent magna correctione, quia nonnulli sunt falsi, nonnulli sibi adinuicem contradicunt, nonnulli derogant veræ doctrinæ;] laborat non parùm Maior *in 2. dist. 2. quæst. 8. ad 3.* vt hanc articulorum confixionem eleuet. Sed re vera proficit nihil, nec eorum reuocationem à Stephano Parisiensi Episcopo factam anno 1239. quam Capreolus memorauerat, sibi opponere ausus est. Æstum factionum in huiusmodi corporibus tantum potuisse, & monstrosas confixiones præualuisse non potiore parte, sed numero, procudisse, nec angustam portam magis malis aperuisse, indoluere non semel viri cordati. Itaque minùs mirum est, emanasse iam olim pleraque ad eum modum editas confixiones. Id quod docent prouerbia relata apud Alphonsum de Castro *lib. 3. contra hæres. cap. 8.* & apud Maiorem proximè citatum.

Neque has Eminentissimorum Doctorum, vt Sancti Thomæ, ac similium, confixiones ex eorum obtorsione, & peruersa scriptorum ab eis editorum interuersione, mirabitur, qui genium humanum non dedidicerit. [Impossibile enim est, cùm homines sint, qui in Ecclesia docent, vt calumniantium vituperationes effugiant. Et quid de Ecclesiæ Doctoribus dicimus? Quoniam, & ipsa sancta Euangelia multi hæreticorum ad suam recipiunt voluntatem, diuina dicta vertentes, & in multas partes corpus Ecclesiæ discindentes.] Verba sunt Synodi Orientalis ad Theodosium Imperatorem relata à Facundo *lib. 8. pro tribus capit. c. 3.*

Idem statuitur de omnibus Orbis vniuersi Doctoribus.

473. Minùs mirum videri debet, negari à nobis cuicumque Academiæ, facultatem irretractabilem confingendi pro potestate dogma quodpiam, vel librum, quo illud tradatur, cùm ne omnibus quidem vniuersi Orbis Doctoribus, (& *Doctores* sumo, non pro donatis laurea, qui sæpè sunt non doctissimi, sed pro verè doctis, ac præstanti eruditione viris:) si consentirent, & in vnam sententiam conspirarent, potestas supperat aliquid de fide statuendi, aut tanquam fidei contrarium confingendi pro potestate, & secluso regulæ fidei præiudicio. Imò neque præbendi argumentum sufficiens; ac certum, quod propositio ab eis confixa, tanquam hæretica, (sistendo in eorum confixione, nec attendendo præiudicium Ecclesiæ, quo ea confixio nitatur,) sit re vera hæretica. Non me latet, Melchiorem Canum *lib. 8. de locis c. 4. concluf. 3. & lib. 12. c. 7. propositione 8.* & Dominicum Bannem *1. p. q. 1. art. 8. dub. vltimo concluf. 3.* censuisse, communem Doctorum Scholasticorum sententiam continere irrefragabile argumentum,

adeò

adeò vt oppositum tam communi sensu firmatæ sententiæ, aduersetur fidei. Sed hoc meritò repellunt alij, & benè Gillius *lib. 1. tract. 7. c. 13. n. 6.* quia certitudo infallibilis, qualis ad statuendum pro potestate de re fidei exigitur, niti debet promissione aliqua diuina, præstandæ assistentiæ, aberratione prohibentis. At illam diuinæ assistentiæ syngtapham, pro Doctoribus vniuersis, nusquam reperimus. Esto doctrina omnibus planè Doctoribus repugnans, temeritatis iure insimuletur. Quantumuis igitur omnes in vnum placitum conuenirent, & contrarium configerent tanquam fidei aduersans, si aliunde non stabiliatur confixio, nequaquam certa erit, & cui obsistere absque hæreseos nota non liceat.

Iura suprema Romani Pontificis in librorum doctrinam fidei continentium, comprobatione, aut confixione.

Fixum igitur esto, quoties liber de quo configendo agitur, res fidei tradit, eóque nomine configendus venit, quòd fidei aduersetur, nullius esse irretractabilem confixionem facere, præterquam totius Ecclesiæ Capitis, cuius principaliter est, Christi oues pascere, idoneo, & non virulento pabulo doctrinæ, & separare pretiosum à vili: vt propterea non abs re olim, qui libros conscriptos vulgaturi erant, (id quod Baronius multis exemplis illustrat *anno 496.*) omni studio anniterentur, vt recognoscerentur, ac probarentur à Romano Pontifice. Quos autem libros ille confixisset, haberent pro noxiis, & omninò improbandis. Videmus ita fecisse Sanctum Augustinum *in exordio libri primi contra duas epistolas Pelagianorum.* Nam Bonifacio Papæ tanquam *præeminenti fastigio speculæ pastoralis*, examinandum, & emendandum dirigit opus illud. Constat idem fecisse Sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, vt legere licet apud Sanctum Gregorium *lib. 8. Regist. epist. 42.* Exemplo sui & ratione optima, ita esse faciendum autoribus, confirmat Sanctus Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi cap. 1.* verbis illis ad Vrbanum II. [quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui & vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia; vt eius auctoritate corrigatur: nec vlli alij tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentiùs præsentem epistolam, quàm vestræ destino sapientiæ: quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur. Et quod regulam veritatis tenet, vestra auctoritate roboretur.] Extant Possessoris, Africani Episcopi, litteræ ad Hormisdam Papam, quibus testatur se ad eum transmisisse recognoscendum codicem suarum explanationum in B. Pauli epistolas. Ioannes Diaconus *in Prologo ad opus de vita S. Gregorij Magni*, idem de suo opere facit, dirigens illud ad Ioannem Papam, tanquam ad eum; (sic enim profitetur,) cuius sit scripta quæcumque probare, aut explodere. 474. 475.

Anastasius item Bibliothecarius, *præfatione ad vitam sancti Ioannis Eleemosynarij*, sic affatur Nicolaum Papam. [Sed licèt membranas inciderim, schedulas præparauerim; non tamen hunc codicem conficere ausus sum, 476.

antequam à Dominatione vestra, ô millies Beate, licentiam adipisci promerui; neque enim fas est, vt absque Vicario Dei, absque Clauigero cœli, absque curru, & auriga spiritualis Israëlis, absque vniuersitatis Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque te omnium arbitro, aliquid consummetur, aut diuulgetur; tu enim tenes Claues Dauid, tu accepisti Claues scientiæ. In arca quippe pectoris tui, tabulæ testamenti, & mannæ cælestis saporis requiescunt. Tu enim, quod ligas, nemo soluit; quod soluis, nemo ligat; qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit, vicem namque in terris possides Dei.]

Faustus item Sancti Mauri condiscipulus, ad eiusdem Sancti Mauri historiam præfando, affirmat, nihil esse, quod lectores in illius lectione suspensos teneat; se enim, & nihil nisi certum statuisse scriptis tradere, & opus suum Bonifacio Papæ ostendisse, [quod ipse Sanctissimus Pontifex approbans, laude dignum duxit, suáque sancta authoritate roborauit.]

477. Ioachimus Abbas, quem Benedictini suum esse volunt, Cistercienses autem sibi vendicant; vir & doctrina, & sanctitate clarus, teste Gulielmo Parisiensi *lib. de virtutibus*, omnes lucubrationes suas, & quas iam misisset, & quas missurus esset, assignari Summo Pontifici voluit approbandas, aut corrigendas Apostolicæ Sedis iudicio. Ita testatur Honorius III. epistola ad Episcopum Lucaniæ in gratiam Ioachimi demortui, ad obstruendum os loquentium de eo iniqua. Et idem habet Innoc. III. *cap. damnamus, de summa Trinit. & fide Cathol.* quo Ioachimum ob reprehensionem Petri Lombardi, ita reprehendit, vt tamen labe hæresis formalis illum eximat, ea ex causa, quòd [idem Ioachimus omnia scripta sua nobis assignari mandauerit, Apostolicæ Sedis approbanda iudicio, vel etiam corrigenda; dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Deo, mater est cunctorum fidelium & magistra.] Verisimile est, quod significat in Ioachimi vita Gabriel Baxius, hanc epistolam esse syngraphan morientis Ioachimi, qua ante celebrationem Concilij Lateranensis, & intellectam confixionem, quam ibi sustinuit, subiecit omnia sua opera pro more Catholicorum, iudicio, ac censuræ Romani Pontificis.

478. Pulchrè denique idem præstat Godefridus Viterbiensis, præfatione in conscriptam à se historiam ad Vrbanum III. verba eius sunt. [Dum sacrosanctæ Matris, nostræ Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus; ita omnes Reges, & Principes, & vniuersæ Orbis Ecclesiæ, doctrina eius, & regimine adornentur: & ab ea tanquam à fonte Iustitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur; quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse autheuticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur. Quare si quod historiarum opus, noua per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, & iudicio approbetur, & ab eo vires, authoritatémque recipiat, cui terrena, & cælestia diuinitus sunt commissa.]

Iure

Iure igitur Marinus Papa, scribens ad Carolum Caluum, profitetur Roma- 479.
ni Pontificis esse, approbare, atque adeò etiam reprobare quoscumque libros; idque ad clauem sapientiæ, ei concreditam spectat. Et notanda sunt verba illius epistolæ à Vestmonasterienſi exhibitæ anno 883. [Relatum est Apostolatui nostro, quod opus Dionysij Areopagitæ, quod de diuinis nominibus & de cœlestibus Ordinibus Græco scripsit eloquio, quidam vir Ioannes natione Scotus nuper transtulit in Latinum: quod iuxta morem Ecclesiæ, nobis mitti, & nostro iudicio debuit approbari: præsertim cùm idem Ioannes, licèt multæ scientiæ esse prædicetur, olim, non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.] En quem testatur esse morem Ecclesiæ, circa libros, præsertim suspectorum autorum.

Quæ immediatorum Præsulum partes, circa eosdem libros.

Secundùm Romanum verò Pontificem, & rem exigendo ad amussim regu- 480.
larum fidei, quas ille proponit, hoc est, probati ab eo verbi Dei, scripti aut traditi, vel anteriorum ab eo alióve Pontifice latarum definitionum, addendum est, posse immediatos Ecclesiarum Præsules, gregibus quemque suis prospicere improbatæ doctrinæ, & librorum, quibus illa continetur, demonstratione, ac confixione pro potestate. Doctoribus autem singulis, aut quantumuis multis, & siue doctrinæ vbertas, siue titulorum quandoque mendacium decus spectetur, nihil præter nudum consilium, absque omni quicquam decidendi facultate competere. Vt effrontissimus profectò fuerit Seuerus, quem Anastasius Sinaita *c. 6. ὁδηγοῦ* refert à suis Monophysitis habitum Doctorem Doctorum; quippè qui de libris omnium Patrum, tanquam examinnator, & iudex sententiam scripto tulisset; hos improbans, illos admittens. Ad eam Patrum tabulam diiudicatricem, quam præ Euangelio adamasse sectarios per Syriam & Ægyptum, testatur Anastasius, occurrebant illicò dementati illi tanquam ad Indicem expurgatorium; libro nomen erat *Veri amans*, mendacitate aliis fabulonibus communi, quam notaui in anteloquio ad opus de Æquiuocatione.

Laïcis quibuscumque, nihil in huiusmodi libris res fidei tradentibus seri, aut meti, nisi arrogare sibi, quam nullo iure habent potestatem velint, certum est: idque vidisse Ethnicos, apud quos nefas erat libros de Religione ab aliis recognosci, quàm à Sacerdotibus, tradit Ægidius Mag. 1. *Decretor. tit. 2. num. 10.* Et sequitur ex iis, quæ tradit Castro *lib. 1. de iusta hæret. punit. c. 5. & 23. fundamento 1.* Vt proinde meritò Card. Baronius *anno Christi 1186.* de procaci, imò Antichristiana quorumdam huius æui Christianorum Magistratuum arrogantia, hac in parte expostularit. Libros tamen, quibus traduntur hæreses ab Ecclesia iam damnatæ, meritò per laïcos aboleri, rectè statuit Ricciullus *lib. 5. de iure personarum extra Eccles. c. 22.* Non tamen id possunt ante damnationem doctrinæ, factam ab Ecclesia.

Iura ciuilis potestatis in alios libros.

Venio ad libros alia tractantes, quàm quæ ad fidem, aut Religionem spe- 481.

ctant. Hos Galenus *tomo* 4. *lib. contra Iulianum*, optabat permitti iudicio Collegij alicuius litteratorum, vt eorum arbitrio starent, aut caderent. Sic enim differit Galenus. [Sicut in Ægypto olim artium inuentum vnumquodque à communi eruditorum consensu probatum columnis inscribebatur quibusdam, in sacris locis positis; eodem modo factum, apud nos oportere Collegium proborum simul, doctorúmque hominum, qui examinatis recentiorum scriptis, in publicum, quæ bona sint, exponant, mala verò quæcumque fuerint perdant. Nunc, & cum passim omnibus scribere liceat, & vnicuique sententiam ferre, apud vulgus audacissimus quisque maximè commendatur.] Optima propositio. An ex Platone hausta? Is sanè *lib.* 7. *de Repub.* libros omnes priusquam edantur, & vulgari sinantur, delectorum iudicum, (vtique peritorum,) sententiæ, subiiciendos legem figit. Id verò Platonem ex Hebræis hausisse, Eusebius autor est *lib.* 12. *de præp. c.* 6.

483. Quòd tamen nemo sumat sibi honorem, nec fas cuiquam sit, iniussu Rectorum arrogare sibi ius in alienos labores, liquet non posse huiusmodi potestatem, corpori vlli, vel cœtui, quantumuis eruditorum, conuenire; nisi datum illi fuerit desuper, hoc est, per publicam potestatem ciuilem. At hæc, vt adducatur ad huiusmodi Censorum collegium statuendum, ægrè speraudum video; nec fortassis consultum foret id vrgere; quia Censorum saliua diuersissima est; & qui liber vni displicet, futurúsque inutilis videtur, alteri vna saltem quapiam ex causa, videbitur non inutilis, ac permittendus. Eidem ciuili potestati, iure optimo subiacent libri mali, quatenus fidem, & sanam doctrinam reuelatam non spectant: vt famosi, & obscœni, aut quibus iura merè temporalia violari contingeret. Tales quippè libros, nemo censuræ, ac iudicio secularis potestatis per se, ac directè rem spectando, iure subduxerit.

EROTEMA III.

Quæ seruanda, quæ declinanda, vtrolibet modo configentibus alienos libros.

484. Siue censores, iure pruato, siue pro potestate de alienis lucubrationibus sint pronunciaturi, non habent solutam, & vsquequaque liberam pronunciandi facultatem: sed certis adstrictam legibus, quas nitidè omninò; ac sapienter proposuit Ludouicus Viues *sub finem libri quinti de tradendis disciplinis*; ex quo profecit Posseuinus *lib.* 1. *Bibl. c.* 50. Nos quæ in hac re videbuntur opportuniora, redigemus ad paucos canones.

Alienarum lucubrationum censores, liberi turbidis motibus sunto. Nullis auersis affectibus, odij præsertim, ac superbiæ, subiacento.

Nihil procliuius, quàm vt deprauata voluntas intellectum elucificet. Quare

ante

ante omnia curandum est, vt animi iudicium, (iuxta Tacitum,) citra damnum affectus proferatur. Deplorabat hanc iudicij peruersionem per affectum seducentem, Naz. *orat.* 14. *n.* 8. his præter cætera [hodie libidinosus, & scortator ibi est, qui hesterno die Ioseph erat; (huc enim vsque contentio progreditur, quasi flamma quædam per stipulam currens, ac finitima comprehendens.) Et Iudas hodie, vel Caïphas, qui heri Elias, aut Ioannes, aut alius quispiam ex his, qui ad Christum se adiunxerunt, & eadem zona accincti sunt, atque eodem, vel fusco, vel atro pallio contecti, quale vita sancta, & grauis, mea quidem lege, ac sententia prætendit. Quin etiam pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est, pallorem, aut compositam, & quietam loquendi rationem, aut incessus grauitatem cum mansuetudine coniunctam, heri Philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appellamus: atque tandem aduersùs malos spiritus, aut morbos potentiam, nunc Iesu, nunc Beelzebub adscribimus, & iniqua rerum harum regula, hoc est, contentione, & iracundia, vtimur; & quemadmodum eadem terra, sanis quidem, ac minimè læsis, fixa, & stabilis est, iis autem, qui circumaguntur, & vertigine laborant, mouetur; nimirum aspicientium vitio ad rem aspectam transeunte: aut, si mauis, quemadmodum idem columnarum interuallum, iis qui longiùs remoti sunt, minus videtur; aëre nempè ob interstitium velut surrepto, ac visu ea quæ crassiora sunt connectente: ad eundem nos quoque modum, ob inimicitiam facilè decipimur, nec de iisdem rebus eadem amantes, & non amantes iudicamus.] Suffragantur alij Patres.

485. S. Chrysostomus *hom.* 14. *in ad Ephes.* [Disceptantes habent inimicitias, non iudicantes veritatem. Et quomodo si sit amicitia, etiam falsa videntur vera, alia est mens, aliud iudicium; non ex æquo audiens, sed cum magna inclinatione, & in alteram partem propensione. Quomodo enim in libra plumbum additum, totum trahit; ita hîc etiam pondus inimicitiarum, cum sit plumbo grauius.]

S. Isidorus Pelus. *lib.* 1. *epist.* 310. quæ est ad S. Cyrillum Alexandrin. [Præposterus fauor haud acutè cernit; odium autem nihil omninò cernit. Quapropter si ab vtraque læma purus atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre, verùm illata crimina iusto, & integro iudicio committe; quandoquidem Deus etiam, qui omnia scit antequam oriantur, pro sua humanitate descendere, atque Sodomorum clamorem perspicere voluit: hinc videlicet nos ad res accuratè perscrutandas, ac peragendas erudiens.]

Ioannes Sarisberiensis *lib.* 5. *Polycrat. c.* 12. [Omnes carnis, & sanguinis, religio iudiciaria propellit affectus, euacuans iram, & odium, metum, & amicitiam; quia, vt ait Iulius Cæsar, haud facilè animus verum prouidet, vbi ista proficiunt. Hinc est illud prouerbium, autore Cicerone, apud antiquos celeberrimum, exuit personam iudicis, quisquis amicum induit; æquitas enim cui iudex obsequium debet, odij siniştram, aut amoris dexteram nescit. Nam à veritate non licet in iudiciis declinare.]

486. Omnes planè contentiones, ac turbas, atque adeò omnes hæreses, ac fidei lacerationes, ex vno hoc fonte profluere, tradit grauiter S. Hilarius, *initio libri* 10. *de Trinit.* Eum retuli, & hanc intellectus inflexionem per voluntatem, fusè illustraui *in mor. disp.* 2. *à num.* 201. & addendus est, qui de eadem inflexione iudicij per affectum egregiè disserit S. Cyrillus *hom.* 11. *Paschali*, & Lactant. *lib.* 7.

c. 1.

*c.*1. Obiter,sed concinnè Petrus Cellensis *epist.* 158.notans affectum quocunque suus illum pulsus tulerit, omnia ad se trahere, & suo nihilominus, siue sapore, siue colore intingere. Specialiter tamen in lectione libri, pro affectu lectoris, variè sapere, quod legitur, notauit egregiè Gulielmus Abbas S. Theodorici *ad fratres de monte Dei*, agens de lectione sacra cum fructu instituenda. Sic enim scribit. [Intentioni seruit lectio. Si verè in lectione Deum quærit, qui legit, omnia quæ legit, cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum; nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per grauem intellectum, non applicet vel malitiæ, vel vanitati. In omnibus enim Scripturis, legentis initium debet esse timor Domini, vt in eo primo solidetur intentio legentis; & ex eo ordinetur, & exurgat totius lectionis intellectus, & sensus.]

487. Hoc si de lectione sacra, quæ fit ad reficiendum spiritum, verè dicitur, quanto magis de ea lectione libri, quæ dirigitur ad censuram? Pro affectu namque censoris, siue in bonam, siue in malam partem obtorqueri solet iudicium. Sic amicus de amici opere, & multo magis autor ipse de suomet opere iudex inidoneus est. Optauerat sibi Symmachus, censorem Hysperium; timens verò sibi ab amicitia inter ipsos intercedente, [Amor mei, (inquit *lib.* 1. *epist.* 78.) stylum tuum coëgit in gratiam. Fit enim sæpè, vt iudicis seueritatem frangat affectio. & amicorum facta, dictaque, ea indulgentia censeamus, quâ plerumque singuli, etiam vitia nostra diligimus.] Habet sanè hìc locũ, quod S. Paulinus *initio epistolæ* 2. ad Seuerum scribit. [Te multa dilectio, vsque ad mendacij peccatum trahit.] Et mox. [In charitatem de charitate peccas.] Et quod ad eundem scribit *initio epist* 7. allegato conuitio illo in Apostolum intorto *Actor.* 26. multæ litteræ te ad insaniã perduxerunt; addit, [vnanimitatis licentia, quæ mihi tecum de vnanimitate fidei est arctior, vsurpabo, verbi, non animi similitudinem, vt dicam: Seuere, mi Seuere, multa te charitas penè delirum facit; & circa me, non ætate, sed sensu paruulum tuum, tanquam auus circa tenerum nepotem, nimia pietate, (quod tamen pace prudentiæ tuæ dixerim,) stultus efficeris.]

488. Ita planè plerosque, in rebus amicorum, charitas, & dilectio deliros facit. Erit qui opponat illud Hieronymi *epist. ad Pammachium*, contra errores Ioannis Hieros. [Non æquè inimici audiunt & amici. Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit: amicus praua quoque, recta iudicat. Scribunt sæculi literæ, amantium cœca esse iudicia, quas ne forsitan sacris voluminibus occupatus omninò neglexeris. Nunquam de amicorum iudicio glorieris. Illud verum est testimonium, quod ab inimica voce profertur. Alioqui si amicus pro te dixerit, non testis, aut iudex, sed fautor putabitur.] Videtur his verbis S. Hieronymus, hostis censuram approbare, amici reprobare; sed non ita est: sensus autem eius est, laudem ab inimico delatam, suspicione vacare; cùm è contrario laus delata ab amico, suspecta meritò esse soleat, quia amicitia voluntatem aliorsum facilè inflectit.

490. Hanc ipsam ob causam, nemo in sua causa est iudex idoneus, nec de suis libris, aut liberis rectè pronunciat. Iudicant pulcherrimum mater filium, tametsi deformior non fuerit Thersites. [Simias ferunt, (inquit Synesius *epist.* 1.) postquam peperierint, in fœtibus suis, tanquã simulachris obtutus defigere, pulchritudinem

dinem demirantes: adeò natura eius quod pepererit, amans est. Aliorum porrò inuicem vident id quod sunt, simiarum esse partus: quamobrem aliis permittenda in sobolem inquisitio est; fauor enim corrumpendis suffragiis efficacissimus est. Ob id Lysippus, Apellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lysippum.] Protogenem cùm nominare vellet, Lysippum scripsit incogitans; sed hæreo in re proposita. De ea, eiúsque erga fœtum suum exoculatione, Ambrosius similiter statuit *epist.* 40. quæ est ad Sabinum. Notauit id ipsum verbis illis Maximus *centur.* 3. *de charit. num.* 58. [Quemadmodum parentes corporum, compatiuntur natis ex se liberis; sic etiam animus naturaliter suis indulget rationibus, & cogitationibus. Et sicut parentibus illis, qui magis dediti fuerint affectibus, liberi sui, quanquam omnium, & per omnia fuerint ridiculosissimi, & turpissimi, omnium tamen videntur optimi, & formosissimi; sic etiam amanti animo, suæ cogitationes, & rationes, tametsi ex omnibus fuerint pessimæ, sapientissimæ tamen esse videntur.

Præiuerat his Patribus Arist. 9. *Ethic. cap.* 7. qui non secus affici Poetas ad 491.
libros suos, quàm parentes ad liberos, egregiè monuit. Idem Platoni sedit iudicium, qui *epist.* 7. eo chariores autoribus libros, quàm parentibus filios esse docet, quòd hi corporum, illi ingeniorum sint proles. Quod apud Clementem quoque Alexandrinum initio libri primi strom. legere licet, & apud Cassiodorum *in præfatione variarum, post medium.*

Quod prædicti circa suos, aut suorum libros, præ amore, vt par est, facere non possunt, multo ægrius, inimici affectu odij exoculantis præpediti, præstare erga hostium, quos exosos habent, lucubrationes valent. Quare tetrum hunc affectum à censoris pectore exulare, necessarium in primis est. Idque maxime conuenit curare Ecclesiasticos iudices, cuiusmodi ferè sunt, qui de libris pronunciant. Nam si seculi iuribus, qui odio flagrant aduersùs aliquem, à iudicando repelluntur; multo conuenientius est, idem seruari in Ecclesiastico quocumque iudicio, cuiusmodi est id in quo versamur, siue priuatum sit, siue publicum. Sanctus Damasus *epist.* 4. *num.* 6. exemplo secularium iudicum ad eliminandum odium vrgebat Ecclesiasticos quoscumque iudices, atque adeò etiam censores. [Docent enim, (inquit,) ex parte terrena, quæ sunt cælestia. Accusatores verò, & accusationes, quas sæculi leges non adsciscunt, nullatenus sunt in horum admittendæ causis; quia omne quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia, & hoc à maioribus definitum esse, propter prauorum hominum insidias, non dubitatur; decet enim Domini Sacerdotes, fratrum causas piè tractare, & venerabiliter intendere; atque eorum iudicia super sacrificia ordinare, nec proteruè, aut tyrannica dominatione, (vt de quibusdam refertur,) sed charitatiuè pro Deo, & fraterno amore cuncta peragere, & quod sibi quis fieri secundùm Dominicam vocem, non vult, alij inferre non præsumat; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.] Quod assumpsit Damasus de sæculi iudicibus, bellè expressit Theodoricus Rex apud Cassiodorum *epistol.* 10. *lib. quarti*, sic edicens. [Fœdum est inter iura publica priuatis odiis licentiam dare. Nec ad arbitrium proprium iudicandus est inconsultus feruor animorum. Iniquum quippè nimis est, quod delectat iratum. Furentes iusta non sentiunt; quia dum commoti animò in vindictam sæuiunt, rerum temperantiam non requirunt. Hinc est, quòd

legum reperta est sacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.]

492. Sunt qui malignitatem censuræ ex odio expromptæ, alia malignitate cumulant, admiscentes nimirum laudationem aliquam inter infigendum aculeum; quod maximè in censura priuata locum habet. Notauit hanc Vafritiem malignantium, Blesensis *epistol.* 91. verbis illis: [Si opuscula mea in manu æmuli quandoque siniſtro deuoluantur euentu, bona, (inquit,) hæc essent, si authoritates quas ipse adaptat, federent competentiùs, aut materiæ responderent: sic in scriptis veterum plerumque describitur inuidia,& venenosa malitia detractorum. *Felix & nato, Felix & coniuge Peleus, Et cui si demas iugulati crimina Phoci, omnia contigerant.* Et illud. Iulium Fortunatum, fateor virum fortem; qualiter tamen iudicium repetundarum euaserit, miror. Publius Antonius elegantissimè postularet,nisi quod præuaricatus est in causa Lucilij.Ecce quomodo inuidia, mel intoxicat; & dum aliena virtute torquetur, bonum quod apud se non inuenit, malitiosè deprauat. Opinionis enim alienæ dispendium, suæ famæ reputat lucrum, totúmque sibi detrahi credit, quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit.] En quid intenderet, & quò spectaret laus illa astuta. Non esse tamen hoc velamen malitiæ idoneum, monstratum est superiùs ex Petro Damiani, agendo de libellis famosis. Tantúmque abest, vt ea mellis admistio sit fellis expurgatio, vt potiùs sit aggestio, & cumulatio malignitatis,& odij.

493. Rectè ergo constitutum est, vbi affectus, & odia, iudices & censores occupant, nihil aliud, quàm iniquitatem iudicij expectandam esse. Sed Deus retribuet in tempore. Patuit id in iudicio de Sancto Chrysostomo, in quo, vt Photius ait *cod.* 59. Theophilus Alexandrinus, & socij, in sanctum virum coniurati. [Et testes, & accusatores, & iudices, & omnia erant.] Euentus docuit, quid ex malignitate in sanctum virum contigerit. Sed Deus vltor non defuit, vt habet notissima historia de Theophili agonia.

Ex ea porrò necessitate vacuitatis affectuum malignorum in censoribus, consequi videtur, minùs aptos ad pronunciandum de alienis libris esse, nisi Deum præ oculis intentissime habeant, quosuis in vnum corpus consertos, quàm cæteros ea multorum necessitudine liberos. Nihil enim procliuius est, quàm vt amor, aut odium, quo corpus erga aliud corpus, vel vnum ex eo aliquem flagrat; à censore eidem corpori conserto, ad librum authoris adamati, vel exosi transferatur; itavt quod habet Suidas *v. Bizantium*, de septem Bizantinis turribus, in quarum primam si inclames, omnes resonant, idem de quibusuis ad eundem cœtum pertinentibus valeat. Omnes iisdem odiis flagrant, & iisdem illaqueantur amoribus; præsertim si agi communis causa videatur, & cœtus honor periclitari existimetur. Itaque non aliter statuendum est in hoc negotio, quàm cùm de opinionibus, & placitis agitur. Vt enim monuit Maior *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 4. Religiosi eiusdem Ordinis, quantumuis multi, non habentur idonei ad conciliandam probabilitatem sententiæ, quia ob affectum, & communis honoris curam, fœderantur, nec habentur vt plures.

494. Quia verò Authore Aristotele, inuidia est odij particula, necessarium maximè est, eam abesse ab eo qui alterius censor sit futurus; quantumuis nihil

nihil sit frequentius, vt hoc ex capite scriptores vexationem sustineant; est enim id scriptorum maximè proprium, vt notauit Thomas Waldensis *tomo* 1. *in præludiis*, *post doctrinam* 10. Sanè doctrinam qua par est conspicuum esse scriptorem, rem esse omnium inuidiosissimam, rectè dixit Nazianz. *orat.* 20. *num.* 29. An ob excellentiam? Quod enim dixit Eunapius *in Oribasio.* [Vt sine crista, non est alauda; ita nec excellentia sine inuidia.] Vnde omnes semper sancti, & eminentes probitate viri, æmulos habent, & inuidia flagrant aliena; quia eminens quid est sanctimonia, vt Sanctus Hieronymus in S. Paulæ Epitaphio animaduertit. Similiter ergo, quia doctrina scriptoris, ex libro deprehensa, est aliquid excellens, ferit eam inuidia. *Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes, infrà se positas*, vt Flaccus *lib.* 2. *epistol.* 1. admonuit. Hunc inuidiæ stimulum, & aculeos sentiens, idem S. Hieronym. *præfatione in Esdram.* ad Domnionem, hastam propè abiiciebat, ægréque adducebatur, vt scriberet. Sic enim sensum hac in parte suum aperit, cur tamdiu detrectasset laborare circa Esdram, & Nehemiam. [Accedunt ad hoc inuidorum studia, qui omne, quod scribimus, reprehendendum putant, & interdum contra se conscientia repugnante publicè lacerant, quod occultè legunt: in tantum, vt clamare compellar, & dicere, *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Tertius annus est, quòd semper scribitis, atque rescribitis, Esdræ librum, & Hester vobis de Hebræo transferam: quasi non habeatis Græca, & Latina volumina, aut quicquid illud est, quòd à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit: frustrà autem, (vt ait quidam,) niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos, mi Domnion, & Rogatiane charissimi, vt priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicum: nec fastidiosis cibos ingeratis; vitetísque eorum supercilium, qui iudicare tantùm de aliis, & ipsi facere nihil nouerunt.]

Quanquam in fine illius epistolæ ad Domnionem, animum erigit aduersùs obiectas ab inuidia moles, sic scribens. [Itaque licèt hydra sibilet, victórque Sinon incendia iactet, nunquam meum, (iuuante Christo,) silebit eloquium, etiam præcisa lingua balbutiet, legant qui volunt, qui nolunt, abiiciant, euentiléntque apices: litteras calumnientur, magis vestra charitate prouocabor ad studium, quàm illorum detractione, & odio deterrebor.] Tamen minor animus facilè concidit, & linquitur; quæ non est exigua virulentia censuræ iniquæ, cùm scriptores idoneos à labore, & communis boni studio auertat. 495.

Affectus propositi, ex quibus peruerti censuram admonuimus, ferè sunt superbiæ genimina. Quare censorem, humilitatis studiosum esse necesse est, vt virulentæ illæ propagines exarescant. Carent hoc virtutum omnium gazophylacio, (provt S. Basilius *in constit. cap.* 16. humilitatem nominauit,) benè multi, qui de aliis censendi potestatem, qua carent, sibi arrogant, quod in Grunnio reprehendit S. Hieronymus verbis illis, admonens Rusticum. [Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus sæpè, quod facimus. Contra nosmetipsos diserti, in nostra vitia inuehimur, 496.

muti de eloquentibus iudicantes. Testudineo Grunnius incedebat ad loquendum gradu, & per interualla quædam, vix pauca verba carpebat, vt eum putares singultire, non proloqui; & tamen cùm mensa posita, librorum expositisset struem, adducto supercilio, contractísque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos prouocans: tum nugas meras fundere, & aduersùm singulos declamare. Creticum diceres esse Longinum, censorémque Romanæ facundiæ notare quem vellet, & de Senatu doctorum excludere.] Et *epist.* 75. [Tibi soli licet, τῷ σοφοπάτῳ κρανίῳ, de cunctis, & Græcis, & Latinis tractatoribus ferre sententiam, & quasi censoria virgula alios eiicere de bibliothecis, alios recipere: & cùm tibi placuerit, me vel Catholicum, vel hæreticum pronunciare.] Humilis censor, tantum abest, vt huiusmodi supercilio sit efferendus, vt potiùs quantum per res licet, de omnibus benignè, & cum laude pronunciare gaudeat; nisi cùm materiæ vitium, apertè, & quasi iniecta vi, aliud extorquet.

Lentè festinanto. Præcipitationem auersantor. Ne volentes quidem, ad configendum veniunto.

497. Vbique quidem festinandum lentè, quod monstro tradens subsidia prudentiæ *lib.* 2. *de virtut. num.* 108. Hîc tamen maximè necessarium est hoc monitum, ob graue discrimen, suam conscientiam, & alienam famam præpropera confixione fauciandi. Grauissimè in omnibus iudiciis cauendam Dei imitatione præcipitationem, confirmat Euaristus Papa *epistol.* 2. Valétque vbique illud Zozimi *epistol.* 3. qua excutit causam Cælestij in Africa damnati. [Magnum pondus examinis, magna desiderant: vt non sit rebus ipsis quæ geruntur, inferior libra iudicij.] Addit in eamdem sententiam, & præcocis, (vt notat,) immaturíque iudicij condemnationem, castigatæ verò cunctationis laudem, alia inferiùs. Et optimè rursus *epistol.* 4. verbis illis. [Doceat nos terrena moderatio, quæ secularibus arbitriis, & causis primùm de ipsis iudicibus eligendis, repudiandísque fit. Et quanta cunctatio, quot interpositæ dilationes? Quoties adhibita comperendinatio; etiam sub fine ipso certaminis ampliare iudicia cum innocenti reo? confugitur ad mare, & extra marina documenta, vt fides quæ in præsenti plerumque arctioribus strangulatur angustiis, saltem eminùs veniat. Hæc omnia, (mentior,) nisi in patrocinium tuendæ innocentiæ reperta sint. Tolerabilius est enim innocentem quemlibet tardiùs inueniri, quàm citò pro nocente damnari.]

498. Similiter S. Gregor. 19. *mor. cap.* 23. [Notandum video, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si authoris nostri subtiliùs facta pensamus. Ipse quippè, vt nos à præcipitatæ sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait, *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum, multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an*

an non est ita, vt sciam. Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem, quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare?] Scitè Sarisberiensis *lib. 5. polycrat. cap.* 12. [Iudicia festinata, pœnitentiam pariunt. Vnde, & Græci cùm vrgentur ad sententiam, antequam de causa liqueat, respondent, Patres suos solem apud Antipodas non vidisse, sed expectasse semper, donec & ipsis oriretur. Dicunt etiam præproperum esse viatorem, qui antequam Lucifer oriatur, crassis adhuc tenebris, lucéque remota, diætam aggreditur.]

Specialiter in iudicio de doctrina aliqua, aut libro, auersandam esse præcipitationem, inde liquet, quòd procliuius est in scripta, quàm in facta dictáve, infigere genuinum; hæc enim est illa ab omni æuo insita prurigo detrahendi, quam vitare non potest, nisi qui omninò nihil scribit, vt expostulat S. Hieron. *sub finem epistolæ ad Ctesiphontem, & in præfatione ad Chronicon Eusebij abs se versum.* Videndus etiam S. Chrysost. *hom. 15. in 1. ad Timoth.* ad illud, *maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Nam solemnis lacerabilitas laborantium in doctrina, de qua ibi Sanctus Chrysostomus, scriptoribus maximè propria est. Itaque plumbea hîc & matura admodùm progressione est opus. Iureque id in hac materia specialiter esse Lutetiæ cautum suo tempore, scribit Gerso *parte* 4. in protestatione quadam pro exclusione Schismatis, *pag. mihi* 270. Testatur enim quandoque in vnius dicti theologici discussione, priusquam ad censuram veniretur, impensum tempus solidi anni, quandoque biennij, aliquando verò post longam consultationem, & comperendinationem, nihil fuisse concluſum. Similiter Ioannes Maior, quanta maturitate post Gersonem procederent censores, testatum dedit *in 2. d. 2. quæst.* 8. scribens, discussionem fieri solitam. [Communiùs per 20. vel 24. deputatos, viros exercitatos, & promptos; ita quòd quilibet seriatim, motiua sua hinc inde, & quid sentiendum sit, demùm apponit, & secundus rationes primi, & tertius rationes duorum primorum, & sic ad nouissimum vsque inclusiuè examinat; & ab his concluſum, rursus in tota facultate versatur, & discutitur antequam aliquid concludatur.] En testudineam progressionem, & dignam maturitate censoria grauitatem. Est planè huiusmodi lentitudo necessaria, cùm de improbatione, & confixione agitur. Si verò de laudatione, & approbatione sermo esset, admonet Viues *lib. illo 5. de tradendis disciplinis*, non esse exigendam tantam circumspectionem, ac lentitudinem. Maiore quippe periculo erratur, damnando, & configendo, quàm laudando, & approbando. 499.

Vt autem lenta, & matura sit confixio, caueatúrque ea præcipitatio, propter quam censuræ, sannis, ac risui patent, veniúntque in contemptum, quod Bannes 1. *p. q. 1. artic. 8. dubio vltimo*, annotauit; necessarium est iuxta eundem Viuem, vt censor nequaquam vltrò, ac lubens ad configendum veniat, sed inuitus, ac renuens; ita vt, si per veritatem, ac bonum publicum liceret, mallet approbatorem, quàm damnatorem agere. Confixio enim per censorem facta, non aliter se habet, quàm immissio scalpelli in putre membrum per medicam manum. Bonus autem Medicus ægri, ad resciſſionem putris membri, ita adducitur, vt nisi ægri necessitas id poscceret, ea truncatione abstineret, quantum quidem esset ex propensione sua, & voluntate. Ea aliquorum ad improban- 500.

dum, & damnandum inclinatio, & propensio, sapit diabolicam malignitate m Nam damnatio censoris, est quædam veluti accusatio libri apud genus humanum. At Diabolus, vt S.Augustinus notauit *q.49.in Numer.*& S.Basil.*epist.75.* idcircò *Diabolus* dictus est, quòd amet accusare, & criminari mortales; non quòd non sit aliqua sancta, & iusta accusatio, vt idem S. Augustinus ibi expendit, sed quòd [Satan amet accusare, inuidentiæ stimulis agitatus; quale illi in Apocalypsi testimonium perhibetur.] Aduertat ergo quo spiritu agatur, qui suffigere amat.

Optimum porrò retinaculum præcipitationis in hoc genere, esse debet illud Sancti Hieronymi *epist. 61.* quæ est censura Ioannis Hierosolymitani, *initio.* [Si iuxta Paulum Apostolum, quod sentimus orare non possumus,ac propriæ mentis cogitationem sermo non explicat; quanto magis periculosum est, de alterius animo iudicare, & singulorum dictorum, atque verborum inuestigare, atque proferre rationem.]

Inauditum neminem damnanto. Damnationis causam ne celanto. Purgationis tempus, ac facultatem concedunto.

501. Damnari aliquem inauditum, summa iniustitia est, si quidem audiri possit, & noxa non sit adeò explorata & euidens,vt necessitatem discussionis excludat, periculum verò sit in mora. Cur has limitationes adhibeam,non est obscurum. Si enim libri autor iam obierit, non est quòd eius sensus exquiratur, & audiri debeat priusquam feriatur.Si item errores, quibus liber apertè sordet, iam sint citra ambiguitatem damnati; itavt autor, ob anteriorem damnationem eorundem errorum habeatur contumax, non est, quòd putetur necessaria damnando monitio, quæ tantùm pertinet ad virandum iudicij errorem, ex non satis perspecta autoris mente, vt satis apertè colligitur ex Gelasio *in Commonitorio ad Faustum magistrum*; & disertè docet Durandus Leodiensis *epistola ad Henricum Regem Francorum contra Berengarium.* Idque præsertim valebit, si cùm non sit ambiguus libri nævus confixione dignus, periculum tamen sit, ne procrastinatione creetur damnum, dum autor consulitur. In alia materia S. Leo IX. in Synodo, Gregorium Vercellensem tametsi absentem & inauditum, ob grauissima crimina, de quibus compertus erat, excommunicauit,atque damnauit, vt scribit Hermannus,& ex eo Baronius *anno* 1051.*n.*1.

502. At his sepositis,summa, (vt dixi,) iniustitia est,& omnibus iuribus repugnans, damnare aliquem inauditum. Quod hæc res magni omninò sit momenti, illustranda esset prolato circa eam sensu, ac consensu gentium omnium, Ethnicorum, Hebræorum, Christianorum: nisi id iam præstitissem integra lucubratione, cui titulus, *Gemitus columbæ de iudiciis sæculi*, quæ hîc iterare non videtur operæ pretium: sed generatim sufficit statuere, damnationem inauditi extra infrequentissimos euentus, qui per accidens aliquando contrarium vsum admitti sinunt, passim proscribi à Doctoribus quibuscumque tanquam pugnantem cum lege diuina scripta, & naturali, aut cum iure gentium deriuato ex principiis iuris naturalis, & in illis fundato. Nicodemus certè *Ioann.* 7. cùm

Iudæi

Iudæi inconditè, & tumultuosè in Christum furerent, & eius inauditi damnationem vrgerent, negauit legi Iudæorum consentaneum esse, sic iudicare. Varij Summi Pontifices, quos eadem lucubratione sigillatim appendo, damnationem inauditi inter iudiciorum, summas & maximè auersandas abusiones recensent. Idem tradunt varia Concilia eodem opere annumerata. Quod verò ad Patres attinet, res est explorata, conclamari passim ab eis in damnationem inauditorum. Videndi præsertim, qui causam Sancti Athanasij aduersùs Constantium susceperunt; quos inter, validissimè id prosequitur S. Lucifer Calaritanus. Sed & Theodoretus omninò multis epistolis, multus est in vrgenda iniustitia, quæ damnatione inauditi admittitur. Quod enim se grauatum iudicio Ephesino contra inauditum lato, (vt ipse quidem contendebat,) expostularet; creber ac fortis est in exagitatione illius iniustitiæ; quam etiam D. Chrysostomus *epistola* 1. *ad Innocentium Romanum Pontificem*, vltrà Sauromatas, & glacialem Oceanum ablegat, contestans neminem vnquam Gentilium, quantumuis Barbarorum, de quopiam inaudito iudicasse. Denique iuris vtriusque periti, citationem rei, & eius auditionem, substantialem esse iudicio agnoscunt; ac proindo, per se loquendo, semper esse præmittendam decernunt pronunciationi de reo, & impacta ei accusatione. Cùm igitur reorum admonitio sit substantialis & intrinseca iudicio, non est cur à iudicio de libris exulare debeat; nisi si, (vt præmisi,) errores citra omnem ambiguitatem iam damnatos contineant; nec sit dubia, sed explorata mens autoris; in quo euentu anterior damnatio potest monitionis, & citationis locum tenere. Sicut DD. Canonum tradunt, excommunicationem à iure, non egere monitione præuia, eo quòd legis violatæ mutus clamor, satis supérque interpellarit criminosum. In re igitur nostra extra euentum propositum, libri author priusquam suffigatur, audiendus est, & in quo eius doctrina displiceat, admonendus.

Neque tamen volo, quæ dixi, obstare impeditioni malorum quæ ex libri re- 503.
probi libera per quoscunque tractatione possent existere, dum causa proscribendi libri agitatur. Si enim insit libro quod meritò reprehensioni pateat, vel etiam iustæ nec planè leui suspicioni, consultum planè fuerit, vel etiam necessarium, obstare principiis, & libri, (vt ita dicam,) cursum impedire, donec adhibita sententia definitiua, planè liqueat vel de libri nitore, vel de inquinatione periculosa. Simile est quòd circa noxiorum personas præstari videmus in omni benè constituto tribunali. Ex quo enim reus, insimulatus est sceleris, priusquam compertus eius habeatur; & letho, alterive graui supplicio adiudicetur, vel labis purus pronuncietur; persona capitur & loco tuto constituitur, idque sine eius iniuria, ne ad iudicij instituendi horrorem diffugiat, & postmodùm sceleris ritè conuicta, pœnas commeritas malè declinet: Exoluenda & innocens vitæ declaranda, si causa discussa, talis appareat. Idem igitur de libro dico, proportione seruata, ac proinde quæ adducebam de non damnando opere priusquam audiantur quæ pro se allegare potest autor, spectant damnationem definitiuam.

Quia verò perinde est non admonere, ac generatim tantùm denunciare, esse 504.
in libro aliquid, quod displiceat, nihil determinatè designando, propter quod liber improbetur, idcircò necessarium est significare distinctè, & determinatè, quid sit illud, quod reprehensioni pateat. Rem à simili in negotio

non

non admodùm abiuncto , subiicio ob oculos , nec est euentus confictus.

Nemo certò non censuit barbaram , & tyrannicæ affinem , illam agendi rationem , iis tantùm probandam , apud quos Hetæriarchia degenerauit in Eretarchiam ; nimirum,vt quos falsò , & per calumniam vellent opprimere, dicerent , certis grauari accusationibus , quæ tamen ipsis reis detegi nequeant , ne criminatores deprehendant. Qua calumniandi , (non enim regendi ,) impotentia,nihil truculentius , vel iniustius fingere liceat. Meritóque eum de ea est auditum , viri sapientissimi , & grauissimi , ita cohorruerunt,vt cum naturæ lumine pugnantem , belluinam , tyrannicam pronunciauerint. Nihil sanè possit, vel calumniatoribus accidere opportunius , vel impotentis iræ præfecto commodiùs ad explendam perdendi eum quem exosum habuerit,libidinem , quàm si barbara illa agendi ratio teneatur , & generatim tantùm significetur, esse grauia quædam , quorum quis sit insimulatus , & quorum causa vexationem sustineat ; non tamen posse aperiri quæ illa sint,ne qui noxium detulere,deprehendantur à criminoso. Cedo quàm optimum , quàm irreprehensibilem , & sanctum voles hominem ; nego posse illum aduersùs hanc agendi rationem tegere innocentiam. Quis enim excuset , aut purget , quod nescit ? Quos verò maledicentiæ suæ limites ponet calumniator , cui securitatem præstat ea indignissima agendi ratio ?

Hæc obiter contra Eretarchiam proposita sunt commemorata , vt appareat, quanto iure hic ipse modus agendi , in ea quam agitamus causa, improbetur; & quàm meritò deposcamus, vt autor cuius liber damnandus est , audiat quorsum damnetur. Et ita planè postulat præter iustitiam, charitas, quæ spectare debet fratris ab errore liberationem , & curationem. Quomodo autem admouebitur curatio,si morbus latea? Vel quomodo dedocebitur quis errorem quem nescit? Plus satis liquet , crescere hinc posse licentiam feriendi innoxios , si aliqui inuenirentur censores minùs integri : & quantumuis labis puros statuamus esse censores , hauddubiè obstricti ad seruandum quod poscimus , fient magis attenti ad pronunciandum de aliis. Nam quia constabit quas ob causas liber notatus , & autor damnatus sit , viri docti,& æstu inconditorum affectuum liberi , iudicarent de iudicibus , si quid præter ius fasque admitti ab eis contingeret. Qui igitur exponere renuerent quorsum librum damnarent, impunitatem censerentur captare , vt prærogatiua muneris , iure damnasse videantur : dum autem quorsum damnent non produnt , à iusta peritorum reprehensione immunes labeant ; quo nihil dici potest incongruentius , remotiúsque ab æquitate.

505. Nec suffiecit , ipsos inter se censores , aut iudices , causam damnationis proponere , sed ipsi quoque authori , cuius liber damnatur , patefacienda est ; sicut in iudicio iusto , non solis iudicibus liquet , quam ob causam criminosus patibulo addicatur , sed ipsi etiam reo exponitur causa damnationis , & mortis irrogandæ. Quinimò vt punitionis illatæ fructus debitus extaret , viderétque populus quid in aliis plecteretur, quid ipse vitare deberet , palàm prostare causam damnationis , etiam inter Ethnicos , receptum vsu fuit iam olim, sic enim titulus damnandis adhibebatur , qui causam supplicij exprimeret. Dico in hanc rem omnino multa , citata tractatione de iudiciis sæculi. Videsis etiam Baronium

nium *ad martyrol. Rom.* 20. *Ianuarij*, Gretserum *lib.* 1. *de Cruce c.* 27. & Malonium *ad c.* 6. *Palæoti de sacra sindone, num.* 4. qui considerant hoc vsu receptum esse, vt constaret, iudices non suoptè nutu, sed adactos à rei iniquitate, pœnam irrogasse. Eámque ipsam ob causam Deus in extremo iudicio non celabit damnatos damnationis suæ causam, sed liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur. Idem ergo, vt notat Cardin. Tuschus *litera D, conclus.* 803. *num.* 2. & *litera M, conclus.* 403. *num.* 2. æquum est seruari ab omnibus æquis iudicibus in quacumque demum damnatione; ac proinde etiam in libri suffixione, quæ simul est autoris damnatio. Alioqui quis fructus manabit ad alios ex libri damnatione? Quomodo discent, quam doctrinam probent, quam improbent iudices? Sanè non ita pridem, cùm libri Michaël s Baij, damnati sunt per Pium V. & Gregorium XIII. exhibitæ sunt authori, propositiones nouem supra septuaginta, quæ improbabantur. Idem quoad libros Lutheri seruarat Leo X. *in Extrauag. Exurge Domine*, excerpens 40. & vnum articulos, ex Lutheri libris. Item Conc. Constantiense *sess.* 8. recensens articulos 45. ex libris Wiclefi, & triginta ex libris Hussi, & idem fecere alij plerique Pontifices.

Non potest in contrarium obtendi illud Seuecæ *epist.* 94. [Non probo, quòd Platonis legibus adiecta principia sunt; legem enim breuem esse oportet, quo faciliùs ab imperitis teneatur; velut emissa diuinitus vox sit, iubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quamdiu me velis fecisse. Non disco, sed pareo.] Et hac in parte dissentire à Possidonio, profitetur Seneca, quòd Possidonius leges non tantùm imperare vellet, sed & docere. 506.

Hoc nego posse contra ea obtendi, quæ de prodenda damnationis causa præmisimus: quasi quia legis non est disputare, & causas cur feratur assignare, possit quoque damnationis causa prætermitti; est enim longè dispar ratio, legis, & damnationis. Lex voluntatem Principis edicit, & quid iuris deinceps sit futurum proponit; qua in parte plerumque est pro ratione voluntas. Et vt ratio non deesset, sæpè par est eam premi, tum quòd ita poscat publicum bonum, tum quòd plerique eam non satis peruaderent, aut idoneam agnoscerent. At sententia damnans, infert pœnam præter propensionem, & voluntatem iudicis, ob patratum à reo crimen; ac proinde necessarium est, vt extortæ pœnæ causam contineat, eámque ipsimet reo patefaciat.

Haudquaquam porrò satis esse debet æquis censoribus, causam damnandi operis patefeciſſe, sed tempus, ac facultatem ad purgationem, (si fortè suppetat,) autori negare non debent. Perinde enim esset, indicta causa, & inauditum damnari, at non data purgandi sui facultate, notare. Sanè S. Damasus *epist.* 4. quæ est ad Stephanum Mauritaniæ Archiepiscopum, & Africana Concilia, tradens legitimam rationem instituendi Ecclesiastici iudicij, inducias congruentes ad purgandum, vel defendendum, reo esse concedendas, decernit; & probat ex secularibus iudiciis, in quibus ex legum præscripto, ea forma seruatur. Grauis S. Ambrosij sententia, huc bellè cadit *epistola* 19. *in fine*. [Difficile quidem imbuti animi infidelitatis venenis, abolere possunt impietatis suæ glutinum; si tamen in iis virus infaustum inoleuerit. Nec facilè iis credendum putes. Nerui enim sunt, & quidam artus sapientiæ, non temerè credere, maximè 507.

in causa fidei, quæ rarò perfecta est in hominibus. Tamen si quis est, qui licèt suspectæ sit infirmitatis, & mutantis affectus, purgare habitam de se opinionem velit, permitte, vt satisfeciſſe se putet: indulge aliquantulum. Cuius enim excluditur satisfactio, auertitur animus: nam etiam medendi periti, cùm vident notas ægritudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant, nec deserunt inualidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt palpant delinimentis; ne aut intermissa ægritudo desperatione animi graueſcat, aut crudior medicinam respuat, eo quòd ad maturitatem peruenire nequeat, si indigestè insolens rerum huiusmodi, medicas habeat manus; siquidem, & pomum cùm immaturum exagitatur, citò deperit.]

508. Optimè item huc faciunt illa Alphonsi Tostati *in præfatione primæ partis defensorij*, cùm aduersarij defensionis facultatem ei præcludi curarent. [Ecce, (inquit,) quanta iniquitas, en quanta diuini ac humani iuris confusio; en ipsius naturæ iura violata, vt constituto iustitiæ Tribunali, ipsi reo defensionum copia denegetur, quam tamen sæpè clamosis, & opportunis, atque importunis vocibus, teste, (vt ita dicam,) tota Ecclesia, expoposcerat. In quo etsi iniustissimè, astutè tamen ipsa iniquitas procedebat. Præteritorum namque sibi conscia, ipsa æmulorum prauitas sperabat, indubiè omnes suas tendiculas destruendas: omniáque non sibi compacta molimina leui concussione dirui, nec ad destinatam conceptionem esse possibile peruenire, si defensionum copia publicè præstaretur. Licèt ergo apertissima iniquitas, denegans, quod ipsa æquissima iura naturæ, etiam damnatissimis omnium hominum, etiam in notorio crimine benignè concedunt, incircumfusæ multitudinis conspectu erubuit; tamen nihilominus denegauit.]

Iusti nimium ne sunto, seueritatem benignitate, (quantum licuerit,) condiunto.

509. Non debent censores esse nimium iusti in configendis aliorum defectibus. Qui enim hoc faciunt, eradicant cum tribulis simul & triticum, & cum spinis spinas quoque incendunt, quod legislator *Exodi* 22. prohibuit, & ad librorum censores egregiè translatum est à S. Cyrillo *lib. 7. de adorat. in ipso fine*, verbis illis: [An non hæreticorum scripta, & Græcanicorum dogmatum præstigia, meritò comparentur spinis, in montibus, & agris nascentibus? Quænam inde humanis animis vtilitas prouenit? Imò potiùs quale non damnum, iis qui ad ea animum adiiciunt? Ignis itaque solius pabulum est, spina. Accendunt autem etiam nobis ignem in æternum vana errantium dogmata, & aniles idololatrarum fabulæ. Spica autem, & frumentum suauissimus cibus, quo homines vescuntur, necessariáque ad vsum; vitam enim sustentant. Typus autem sunt veritatis dogmatum, per quæ credentes, veluti pane viuente, nutrimur, ac vero Christo. Est autem Scriptura sacra, iis qui rectè ambulare in ea norunt, tanquam planus quidam, & apertus campus; omnia enim conspicua accedentibus secundùm Scripturam, & recta inuenientibus notitiam. Quocirca spina, impura, ac profana est eorum, qui peruersi, ac deprauati sunt, dicacitas: frumentum autem, & spica veritatis animam iuuans, atque nutriens, planus autem campus,

campus, Scriptura sacra. Quando igitur veluti flamma, atque ignis hæreticorum diuersa sentientium, & Græcorum præstigias sanctorum Doctorum sermones inuaserint, veritatis dogmatibus patrocinantes, per solas, (inquit,) spinas incedant, & tanquam inutilem, atque agrestem materiam depascantur; ea nimirum quæ ab iis scripta sunt. Ne verò simul frumentum, & spicam lædant, hoc est, in hoc animi studio incumbant sacrorum mysteriorum Interpretes, ne quid mutilent ex dogmatibus veritatis: aut sciat, (inquit,) is qui securè facere nequiuerit, quod si contigerit vnâ cum malis comburi aliquid eorum, quæ necessaria sunt ad vtilitatem, negligentiæ suæ pœnas eum subiturum.]

Quod ergo inter innocentiæ regulas valdè commendat Ferrandus Diaconus, vt iustitiæ nimietas caueatur, ne iustitia in oppressionem, & seueritas in crudelitatem degeneret, hîc locum habere apud æquos iudices debet. Collaudat ex hoc capite Adriani Florentij, qui postea summus Pontifex fuit, facilitatem, & sapientiam, Ludouicus Viues *lib. 5. de tradendis disciplinis, ferè in fine*, quod cùm Louanienſis Academiæ Decanum ageret, omnia quorumuis Catholicorum dicta, quantum fas esset, benigna soleret interpretatione condire, & damnatione abstineret quantum posset, & causa pateretur. 510.

Circa iam conuictos hæreseos, alia ratio est. Nam eorum fraus non sinit, vt qua simplicitate Catholicorum dicta agnoscimus sana, similiter cum eis agamus, vt S. Athanas. *orat. 4. contra Arrianos, sub finem*, admonuit, relata quadam propositione Arrianorum. [Hoc, (inquit,) si quis ex Orthodoxis, simpliciter diceret, nihil esset, quod malè suspicareris de hoc dicto, quippè vbi bona mens superaret simpliciorem loquendi modum. Nunc quia hæreticorum ea vox, omniáque hæreticorum verba suspecta sunt, &, vt scriptum est, impij insidias tendunt, dictáque impiorum dolosa, etiamsi vel solum innuant, non tamen id faciunt sine peruersitate animi.] De Catholicis, alia, (vt dixi,) est ratio. Nam quoad eos, valere debet regula iuris in 6. [Cùm sunt partium iura obscura, reo potiùs fauendum.] Quis enim ferat, vt iudex æquus, pœnam certam, & infamiam claram, pro labe incerta, & probro dubio decernat? Sanè ita se gerere, esset nimiùm iustum esse, quod diuina sapientia vetat.

Esset porrò iniustitia nimia, nec seueritas modò, sed & crudelitas, damnare, non conuictum; & errorem cuius liber, & auctor reuictus non sit, ei affingere. Sanctus Basilius *epist. 77.* alloquens Sanctum Damasum, & Episcopos transmarinos, id grauissimè damnat, & in sua causa non omitti, deposcit verbis illis. [Hoc tantùm oramus, vt si quos admiseritis, qui nos traducant, ac vituperent, in conspectum nostrum coram vestra pietate constituantur; nos enim si conuincamur, peccatum nostrum agnoscemus, & vobis post eam reprehensionem à Domino non imputabitur, si communionem nostram tanquam peccatorum declinaueritis: deinde & præmium habebitis, si nos reprehenderitis, vt qui occultam nostram malitiam patefeceritis. Si verò antequam conuincamur, nos condemnaueritis, nos quidem nihil inde dispendij accipiemus: propterea quòd omnium pretiosissimum bonum nostrum, (charitas videlicet qua erga vos perditi sumus, lædi nequit; vos autem, & hoc ipsum nobis amissis patiemini, & Euangelio repugnare videbimini, dicenti: *Num lex nostra iudicat hominem, nisi primùm audierit, cognouerítque quid faciat?* Qui verò 511.

calumnias nobis quidem offundit, non autem quæ dicit probat, profectò videbitur sibiipsi mali nominis accersere appellationem, ex eo quòd verbis iniquè, & absurdè vtitur. Quo namque alio nomine, delatorem vocare conuenit, quàm ea appellatione, quam ex re ipsa, cui studet, sibi ipse imponit? Neque igitur qui nos vituperat Diabolus sit, sed accusator; imò neque accusatoris nomen accipiat, sed frater sit, in dilectione nos admonens, & ad emendationem, reprehensionem nostri inducens. Nec vos auditores sitis conuitiorum, sed redargutionum probatores, & examinatores; neque nos sine remedio relinquamur, nondum patefacto nobis quid deliquerimus.]

In alienis dictis, ne tricantor, anfractus ad nocendum dimittunto.

512. Sunt quibus autor exosus est, cúmque siue benè, siue malè scripserit, volunt videri lapsum. Itaque in plano quærunt salebras, nec modò si aliquid vlcerosum, aut morbosum appareat, accurrunt illicò velut muscæ ad vlcus, aut tuber, vt de Iudæis obseruauit Iustinus *in Dialogo cum Tryphone*, & de quibusuis inuidis S. Basilius *hom. de inuidia*; sed etiam cùm nihil occurrit, quod rem rationabiliter attendendo, damnationem mereatur, ita obtorquent, & ad extraneos, ac inauditos sensus inuertunt sententiam quampiam, vt criminationi, & damnationi iustæ patere aliqua tandem ratione videatur; & quod ab hæreticis erga Ecclesiam seruari, notauit S. Gregorius VI. *mor. c.* 17. omne rectum, ad vitium tortitudinis inflectunt. Verbis catholicis, sensum pessimum substernebat Agapius apud Photium *cod.* 179. Quòd ille ex astutia in scriptis suis, vt virus suum tegeret; hoc in aliorum libris subdolè efficiunt alij, vt illos suffigant. Id erga esse seruatum à malignis Gregorius Nyssenus *initio libri de Trinitate*, ita describit. [Visi sunt igitur mihi, qui nulla de causa, nullóve prætextu aduersùs nos odium susceperunt, haud diuersum facere ab eo, quod est in Æsopica fabula. Nam ille fingit lupum dum puderet eum, nimirum si absque iusta causa videretur occidere eum, à quo nunquam iniuria lacessitus esset, crimina quædam obiicere Agnello, atque illo omnem facilè calumniosè illatam criminationem diluente, nihilo magis impetum remittere lupinum; sed iure quidem vinci, dentibus verò superare. Itidem illi qui odium nostri quasi aliquam bonam rem expetiuerunt. Erubescentes enim fortasse, si absque causa odisse videantur, causas aduersùm nos, & crimina fingunt, nec in vllis suis dictis vsquequaque manent, sed nunc hoc, mox illud, rursus aliud, inimicitiarum aduersùm nos causam esse dicunt, vt nusquam firmiter consistit eorum malitia: sed cùm ab vno aliquo crimine repulsi fuerint, alteri adhærent, & ab illo rursus aliud arripiunt; etsi omnia crimina dissoluta fuerint, odisse non desistunt.]

513. Eadem habentur apud Basilium *epist.* 80. Faciunt huc illa sancti Hilarij *lib.* 2. *de Trinit.* [Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quàm imponat; & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri, dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.] Nec illa prætereunda ex *lib.* 2. *eiusdem operis*. [De intelligentia, hæresis non de Scriptura est: & sensus, non sermo, fit crimen.] Nulla enim sunt verba adeò clara, & expedita, quin eis possit sensus falsus, & hæreticus inædificari. Itaque

que cùm plana & clara est mens autoris, vt quid putorem subodorari in sana, & incorrupta materia velis? Hoc est tricari, & artificiosè malignum esse, quæ est duplex iniquitas, indigna Christiano pectore, & multo magis Christiano iudice. Hæc à nobis gratis non confingi, quotidiana exempla abundè confirmant. Sed omittamus sanè illud antiquum de opere Marcelli Ancyrani, quod Baro. *anno* 336. *num.* 5. prodidit, nempè damnatum fuisse, quod per obtorsionem æquè ridiculam, ac malignam, quæ author quærendo proposuerat, vt ex eius mente asserta, essent accepta.

Exemplum illustre est, quod de libro exercitiorum spiritualium sancti Ignatij scriptis prodidit Nicolaus Orlandinus *lib.* 13. *histor. à num.* 33. Probauerat præmissa seria, & matura per eruditos Præsules discussione, eum librum Paulus III. Summus Pontifex, anno 1548. confecto in eam rem diplomate, cuius est initium, *Pastoralis officij cura.* Eo rescripto Pontifex, quanta accuratione libellus ille iussu suo discussus esset, testatum facit; quantos etiam fructus, vsurpata eius doctrina, & precandi ratio intulisset in Ecclesiam, non tacet. Commendat insuper Apostolica authoritate eum librum, & vt ex eo tanquam sanctitate, & pietate pleno, exerceantur fideles, cupidè hortatur. Inuenti nihilominus sunt, qui multis pòst annis, nimirum anno 1553. eum librum non allatrarent modò, sed & morderent, Thomas quidam Pedrouius, alienæ ea in re voluntatis administer, & Melchior Canus, cuius sugillationes, & obelos, cum Paschali Mantio Ord. Prædicatorum, Complutensi Theologo primario, exhibuisset Ioannes Siliceus Præsul Toletanus, qui librum illum cupiebat ab eo improbari, responsum retulit, nihil esse in sic dispuncto libro damnatione dignum, præter Cani dispunctiones, & sugillationes, vt ad illum annum recitat Orlandinus, addito pergraui Bartholomæi Torres, postea Canariensis Præsulis elogio eorumdem exercitiorum. Obsecro, si in libro à tot censoribus tanta diligentia, & cura discusso, & quod caput est, Apostolica authoritate communito, cuius omnes apices spirare sanctitatem, quotidianus piorum omni doctrinæ genere excultissimorum sensus testatur, homines maleuolentiæ felle suffusi, tricando, & obtorquendo quæ simpliciter dicta erant, potuerunt inuenire, quæ sugillare, & configere se posse existimarent; quis liber erit adeò nitens, & sanus, vt per maleuolorum censorum obfirmatam nocendi voluntatem, & tricandi prurigine, vocari non possit in inuidiam, & auctor aspergi infamia? 514.

Michaëlis Rabardæi opusculum aduersùs Optatum Gallum, damnatum est *propter multas & manifestas hæreses*, vt erat in syngrapha criminatoria, inimici simul & vltoris, qui quamuis calamum contra Sedem Apostolicam strinxisset, quod tamen contra Rabardæum ageret, à testimonio non est repulsus. Earum multarum & manifestarum hæresum, quæ teterrima, & censoribus immedicabilis visa est, ea fuit, quòd sub libri finem dubitasset Rabardæus, an Salomon esset Scriptor Canonicus, vt collegere censores ex illis Rabardæi verbis, *Salomon opinor, Scriptor Canonicus.* Vir doctissimus, quod absque stupore non refero, hoc censorum iudicium firmauit; & cùm instarem, eum modum loquendi, esse potiùs maximè asseuerantis, surdo cecini. Hac sanè ratione S. Paulus cùm dixit, *Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam*, dicendus esset dubitasse, an Christus in eo loqueretur. Nec dissimiliter qui diceret, *Sole*

luce·te, opinor dies est, censendus esset dubitare an dies sit lucente Sole, cùm tamen ea loquendi ratio, potiùs ferat firmitatem assertionis. Itaque sit hoc quoque exemplum ·rication·is in censendo. Nam quicquid sit de aliis capitibus ob quæ liber ille & accus·tioni & damnationi patere potuerit, (qua de re meum non est agere,) ex eo tamen capite quod Autor opinari se dixisset, Salomonem esse scriptorem Canonicum, innoxius fuit; nec nisi tricando accusari potuit.

515. Sed vt appareat quantoperè progredi possit, ni coërceatur hæc librorum à Catholicis Scriptoribus editorum in vanos sensus distractio, vt à sana doctrina alieni, & damnabiles appareant; placet non omittere paradigma huiusmodi ineptarum censurarum, in quo condendo ingenium his ipsis diebus exercuit vir eruditissimus, & Catholicissimus. Monstrauit enim eadem configendi, & circa Catholicorum scripta tricandi licentia, fas fore Symbolum ipsum Apostolorum, fidei nostræ regulam configere. Notauerat ille quidem, ad cuiusuis articuli censuram, in margine, loca varia censurarum similium aduersùs libros scriptorum Catholicorum inflictarum, ad quarum ipse ad amussim Articuli Symboli censuram conformasset: sed quod libri illi non sint ad manum, & perierit memoria eorum cum sonitu, non est, quod ἀλληλουϊάριον illam adscribamus. Censura Symboli ad instar pruriginosarum illarum censurarum confecta, sic habet.

Censura Symboli Apostolorum ad instar nuperrimæ censuræ quarumdam propositionum.

Articvlvs I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ.

516. PRimus iste articulus, si intelligatur quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & creator; Filius autem, & Spiritus sanctus solùm creaturæ sint; ideóque nec Filius verè, ac substantialiter dici possit Deus, & omnipotens, & creator; similitérque Spiritus sanctus; propositio est impia, blasphema, individuæ Trinitatis destructiua, & pridem in sacro & OEcumenico Nicæno Concilio trecentorum decem & octo Episcoporum, aduersùs Arrij impietatem, damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, noua est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ, Patrum, ac Theologorum omnium sensum probata; cùm hactenus receptum sit tanquam inuiolabile decretum, omnes Trinitatis actiones ad extra, esse indiuisibiliter toti Trinitati communes.

Articvlvs

ARTICVLVS II.

Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum, Dominum nostrum.

Tota hæc propositio captiosa est, & fallax. Primò in quantum omittit, Iesum Christum, Filium esse naturalem, & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est, & doctrinam inducit hæreticam, sæpiùs ab Ecclesia in Concilis Niceno, Ephesino, & Francofordiensi, præsente Carolo Magno damnatam. Secundò ratione particulæ *vnicum*, omissa præsertim voce *consubstantialis*, aut *naturalis*. Sic enim quatenus propositio etiam extenditur ad filios adoptiuos, de quibus ipse Dominus *Psalm.* 81. ait. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* & Apostolus ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, Et si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, falsa est, piarum aurium offensiua, & iustis omnibus, ac Sanctis iniuriosa. Tertiò quatenus *esse Dominum*, quod indiuisa proprietate tribus diuinis personis æqualiter conuenit, soli filio attribuit; obliquè insinuans vnicam esse diuinam personam, quæ modò Patris, modò Filij, modò Spiritus sancti appellatione significetur. Hoc iam pridem aduersùs Sabellium, vniuersa Ecclesia tanquam impium, atque hæreticum damnauit. 517.

ARTICVLVS III.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex MARIA virgine.

Tota hæc propositio æquiuocatione laborat, quæ inducere potest in hæresim, propter ambiguas particulas *de*, & *ex*. Et quia ordinariè *de* habitudinem importat principij componentis; iuxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum verè dici posse Patrem Christi; ideò propositio in hoc sensu falsa est, scandalosa, hæretica, & diuinarum originum confusionem, atque euersionem inducens. Similiter quoniam tam particula *de*, quàm particula *ex*, consueto more loquendi, habitudinem prioris, & posterioris includit, & eatenus insinuare videtur, Christum posteriorem esse Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse; quod pridem aduersùs Nestorium, tanquam falsum, & hæreticum, damnatum est; ideò propositio hoc sensu intellecta, hæretica est. Denique si ita Christus dicitur natus ex Maria virgine, vt quicquid in Christo est, ex ea natum statuatur, quasi Beata Virgo etiam verè dici possit *Mater diuinitatis*, in hoc sensu propositio falsa, atque hæretica est, & in consequentia, valdè periculosa. 518.

ARTICVLVS

ARTICVLVS IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

519. Hæc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica. Nam cùm propriè in cæteris rebus, actiones, & passiones sint suppositorum, vt etiam naturæ cuius propria est hypostasis, attribuantur; & ob hanc causam mortua, vel abscissa manu, non rectè propterea homo mortuus dicatur, nisi ipsa natura humana dissoluatur; ideò periculosa est propositio, & iuxta obuium illum sensum intellecta, quasi diuinitas aliquid passa, aut mortua fuerit; non solùm hæretica est, sed etiam impia, & blasphema.

ARTICVLVS V.

Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

520. In hac propositione, quatenus verbum *descendit* relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque diuinitatem ad Inferos descendisse, cùm tamen diuinitas propter immensitatem vbique existens, moueri non possit à loco in locum, ac proinde non ascendere in cælum, nec ad Inferos descendere; ideo periculosa est, & inducere potest in errorem. Intellecta verò de Anima Christi, si sensus etiam sit, animam Christi ad pœnas Inferni descendisse, & eas reipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiua, & ex Caluini doctrina *lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10.* desumpta.

ARTICVLVS VI.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

521. Ista quoque propositio, intellecta de Ascensione Christi in cælum, secundùm diuinitatem, perinde, ac superior, falsa, & erronea est. Quatenus autem asserit, Christum sedere, & indefinitè, ac proinde etiam vniuersaliter, id pro omni tempore statuere videtur: ideò si ita intelligatur, Christum semper sedere, vt neque stet vnquam, neque etiam aliquando de loco in locum moueatur, cùm & *Actor 7. 55.* Stephanus stantem eum in cælo viderit, & Ioannes *in Apocal. cap. 14. vers. 4.* de virginibus dicat, eas Agnum perpetuò

perpetuò sequi quocumque ipse ierit; propositio sic intellecta, temeraria est, & expresso Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio, Deo Patri etiam dexteram attribuit, Anthropomorphitarum hæresim redolet, & in eorum errorem inducit.

Articvlvs VII.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ista propositio, quatenus ita asserit Christum iudicaturum esse viuos & mortuos, vt negare videatur Patrem, & Spiritum sanctum esse iudicaturos, cùm hæc actio suprema, atque adeò diuinæ autoritatis sit, cáque externa, ac proinde toti Trinitati communis. Ideóque propositio, hac ratione ad solam personam Christi, multóque magis ad solam eius naturam humanam limitata, falsa, temeraria, & erronea est. Quatenus autem eadem quoque propositio asserit Christum iudicaturum esse, non solùm mortuos, sed etiam viuos, ambigua est, & fallax. Vnde si sensus est quosdam homines non esse morituros, eósque non priùs vita defunctos ad iudicium esse perducendos, propositio noua est, temeraria, falsa, & erronea, necnon verbo Dei, & communi Patrum, totiúsque Ecclesiæ sensui contraria. 522.

Articvlvs VIII.

Credo in Spiritum sanctum.

Hæc propositio malignè proposita est, & ex affectata breuitate, meritò suspecta haberi potest. Subdolè enim Spiritus sancti diuinitatem, eiusque à Patre & Filio processionem, tacet. Proinde Arrianam hæresim redolet schismati Græcorum obliquè fauet, indiuiduámque Trinitatem dissoluit. Denique tota explicatio diuinæ atque indiuiduæ Trinitatis, octo istis articulis comprehensa, manca, & periculosa est, auertítque fidelem populum à cultu, & reuerentia tribus diuinis personis indiuisè, atque inseparabiliter debita. Et sub prætextu breuitatis, & non necessariæ explicationis, subdolè totum Trinitatis mysterium euertit, cùm tamen perfecta eius, & explicita fides, medium sit ad salutem necessarium, víxque tota hæc doctrina excusari potest à dolo, quòd nullam de Filij, & Spiritus sancti diuinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, sed contrarium de Filio in articulo 3. insinuet. 523.

Articvlvs IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.

Propositio hæc, multiplici periculosa æquiuocatione, & affectata obscuritate, errorem tegit. Inprimis enim ambiguum, & obscurum est, quid sit credere *sanctam Ecclesiam Catholicam*. Et si sensus est, adhibendam esse fidem defi- 524.

nitionibus Ecclesiæ, cum exclusione definitionum quæ fieri possent à solo eius capite, quasi Papa extra Concilium nihil definire possit, quod sit de fide; propositio est temeraria, scandalosa, & Summo Pontifici vehementer iniuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ecclesiam dicat esse *sanctam*. Et si sensus sit, in Ecclesia solos Sanctos, & non multos malos contineri, propositio falsa est, hæretica, & verbo Dei, communique Patrum sensui contraria. Eodemque modo reiiciendum est, quod de Sanctorum communione adiungitur, si inter solos Sanctos bonorum spiritualium communio admittatur: in cùm fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos, quàm malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione vniri. Ac si per *communionem Sanctorum*, non tantùm bonorum spiritualium, sed quorumcunque etiam aliorum communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide, & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

Articvlvs X.

Remissionem peccatorum.

525. Ista quoque propositio, sub his generalibus terminis concepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfecta, & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione, iam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata, hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiua.

Articvlvs XI.

Carnis resurrectionem.

526. Si intelligatur de resurrectione quasi iam facta, ita vt amplius non sit futura, propositio hæretica est; iam olim ab Hymenæo, & Phileto asserta, & ab ipso Apostolo Paulo 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 18. damnata. Intellecta verò de resurrectione futura, sed de carne animali, hoc est, quæ iisdem animalibus, desideriis, operationibus, ac necessitatibus subiecta sit. propositio falsa atque erronea est, & Mahometis impietatem sapit, contra expressam Verbi diuini authoritatem 1. *Corinth.* 15. *vers.* 42. *& sequentibus.*

Articvlvs XII.

Vitam æternam.

527. Hæc propositio quatenus indefinitè proponitur, atque ita' vniuersaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem, qua iniusti puniuntur, falsa, scandalosa, & hæretica est, ianuámque vitiis omnibus aperit, & Deistarum huius temporis impietatem, atque insaniam sapit.

Compellat in fine, censor symboli, lectorem suum in hæc verba. [Hoc debes censuræ, (Christiane lector,) quod possis certissimos Symboli articulos diuinæ

diuinæ fidei regulas, in prauos, & hæreticos sensus facilè detorquere. Eâdem enim methodo, iisdem sententiis, imò etiam vtplurimum verbis, propositiones Apostolicas, temeritatis, erroris, & hæresis damnauimus, quibus noui censores Catholicorum librorum pronunciata confixerunt. Quòd si in ista Symboli censura, non probas, talium censorum senatui ne subscribito. Vale.] Hactenus ille.

Non existimo posse conuenientiùs, ac fortiùs impugnari eam tricandi circa alienos libros pruriginem, & per anfractus, ac obtorsiones verborum autoris, ad iustæ censuræ aliquam speciem perueniendi sollicitudinem, quàm monstrando, (vt hactenus fecimus,) nihil esse adeò innoxium, & labis expers, quin ea agendi, & damnandi malignitate, notari, & configi possit. Non me later, nuper Petrum Aurelium in hanc scriptionem vomuisse pleraque virulenta, quasi id sit illudere verbo Dei. Sed hæc est planè friuola criminatio; huiusmodi enim ad hominem recriminationes à vitis piis in non dissimili materia sunt adhibitæ. Sic cùm Lutherani scripturis ad suas nugas aptatis luderent, Cocherus in actis Lutheri anno 1527. se librum ex Scripturis malè consertis consarcinasse testatur, ad probandum, quòd Christus non sit Deus; addítque anno 1528. se item simili arte ac scopo, scripsisse de obedientia Diabolo debita à Deo, & de B. Virginis integritate violata. Vnde liquere volebat, nihil esse adeò sanctum, ad quod impugnandum non possent obtorqueri Scripturæ. Similiter ergo Autor censuræ Symboli Apostolorum, noluit eam fidei regulam conuellere: sed monstrare, quo possit progredi malignitas ineptiens. Eâdem quippè malignitate, quâ Symbolum Apostolorum ineptissimè, vt per se liquet, criminationi, patere posse vidimus, vniuersum Scripturarum corpus vocari in inuidiam posse, certum est. Pugnantibus in speciem variis Scripturæ locis, libros duos impleuit Iulianus Toletanus, monstrans non pugnare reipsa. Quid verò facilius fuerit, adhibita ea iudicij peruersitate, quam impugnamus, quàm vnum ex libris, quo alteruter locus cum alio se collidere visus continetur, improbare, atque damnare? Quare meritò concluditur, æquum censorem, illa anfructuum ad nocendum, & damnandum captatione, seriò abstenturum, nec tricis in censendo de alienis operibus daturum operam. 528.

De scriptoris mente, non ex plagulis detruncatis, sed ex textura scriptionis, pronuncianto.

Fixit hunc canonem S. Eulogius Alexandrinus *lib. contra Seuerianos, & Tritheitas*, referente Photio *cod. 225. initio*, cuius orationem, quod aliquid fortius, & potentius despondeam, placet adscribere. Sic enim de Eulogio Photius. [Constituit legem, & canonem, scripta diiudicare non oportere ex parte: neque fragmenta quædam sumendo, ex his de tota scriptoris mente iudicium ferendum. Hoc enim Propheta execratur: *Væ Prophetis, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Hanc legem, ac regulam, & Patrum nostrorum decreta confirmant. Etenim Eustathius Antiochenus Episcopus, sex aduersùs Arrianos libris, his verbis scribit. Sed Arrianæ scenæ sectatores peccatum fecisse Christum iactant. Et pòst non longè. Illud, *Deum in Christo mundum sibi conciliasse*, neque memoria tenent, nec linguæ organis conferunt. Sed veluti graues calum- 529.

niatores, & accusatores locum labefactantes, accusationis certamen instituunt. Deinde, & legis decretum. Oportet verò veritatis studio legitimè certantes, omnia abundè accipientes offerre. Sic Diuinus Basilius, ad hunc modum Sozopolitis scribens. Non recens opinionis hæc impietas, sed & olim ab absurdo insano Valentino inchoata, qui pauca Apostoli verba contrahens, impium sibi figmentum præparauit. Vt hæretici amentes solent partem aliquam Scripturæ arripere, & hanc deprauare; propter hanc cætera condemnate, & ab sacrarum lectionum calumniis, & diuisionibus, impium dogma conflare. Sic & Apostolorum Princeps ab impiis accusatus est. *Vt diuideret Emanuelem*, (inquit,) *Iesum Nazarenum quomodo vnxerit ipsum Deus sancto Spiritu, & virtute, qui venit benefacturus, & liberans omnes tyrannide oppressos Diaboli, quia Deus erat cum eo.* Et profectò Paulum Orbem terrarum pietatis præconio percurrentem, similibus iniuriis, & calumniis perstringit; in quibus concionatus Athenienssibus locutus est. *Annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, & viro, in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* De quibus iterum ad Hebræos scribens ait. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte.* Et princeps calumniator igitur proprij furti, & lacerationis iudicem seipsum constituens; non vt hominem dicentium supremum Dominum nostrum Iesum Christum cognosceret præcones ipsius. Sed non sic veritatis amicus. Et prædictis adiungens quæ ex alia parte de Saluatore à pietatis præcone denunciata sunt, extra omnem iniuriam pietatis magistros ostendit, & illud adiungit; *Patres ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula, Amen.* Certè, & illud, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ.* Hæcque primis accommodans, & Nestorium impium in his accusabit, & pietatem clariorem reddet. Et sic rursum diuinus Basilius, fieri de orationibus iudicium suadet, quibus ad Monachos ambiguè dicta perscribit, & obscurè dicta in aliquot sacræ Scripturæ locis visa, vt alia clarè dicta loca ostendunt. Non oportere per aliquot fragmenta & diuulsiones, scriptoris pietatem iudicare. Adeò clarum radium emittit veritas, vt Seuerum in his cæcutientem, & tamen consensum suasisse, scribit ad Iulianum Halicarnasseum. Oportet igitur præceptiones sanctorum sanctæ Ecclesiæ Doctorum, per occasionem perfectè legere, & de toto sensu non periculosè coniectare. Hoc in Apostolicis, atque Euangelicis scriptis, atque adeò in omni diuinitus inspirata Scriptura seruandum est, quando non in vna voce, scilicet epistolæ, vel operis collocanda est scriptoris pietas. Sic & veri canonis fulgur, Seuerum cæcum proprio fulgore tamen frui sinit. sed inexpugnabile legis robur cognoscere licuit; vti verò consueta sententia neglexit. Piæ enim memoriæ Beati Leonis librum, non lege quam prædicauit, sed contraria expendens lingua, & per fragmenta quædam, & pernicioſis sermonibus præfando, visus est de pietate piè scribere: ipse reus verè existens, eorum quæ aliis obiicere ausus est. Quis enim alius acutiùs telum in Nestorium impium torsit, quàm voce robusta Leo? Impatibilis Deus dignatus est homo fieri, & immortalis mortis parere legibus. Hæc sycophanta prætermittit; alia verò quædam dicta resecans, ad suum dogma rapit.]

530. Non soli SS. Basilius, & Eulogius, de ea peruersitate calumniandi scripta aliena,

aliena, ex truncatis, & à reliquo scriptionis corpore auulsis laciniis, expostularunt. Eadem aliorum quoque Patrum vox fuit. Origenes *lib. 2. contra Celsum*, tractans locum ex *Matth.26.* deprauatum à Celso Epicureo, sic habet. Euangelicum dictum incusando deprauat, quasi tragœdiam agat; & illa opponit, quæ minùs conscripta sunt. Non enim vspiam repetit, Iesum suum obitum deploraſſe. Corrumpit præterrea eius dicti, & irridet sententiam. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; hæc tamen illius in partem cùm pietatem, tum eius animi magnitudinem profert. Móxque, & illud quod ad scriptum est adiicit: *Non tamen vt ego volo, sed vt tu*, ne Iesu quidem, vt Patri placitum erat, ad ea quæ ipse perpessurus iam esset obtemperantiam simulat, hic se perlegisse, quam vtique cùm illud, inquit, significatur. *Si autem fieri non potest, vt transeat à me calix iste, fiat voluntas tua*, haud secus hic faciens, atque impij solent, quia peruersè intelligunt quæ litteris sacris sunt tradita, & iniustitias in excelsum loquuntur. Id namque, quod loquitur Deus, *ego interficiam*, audisse istos sat constat, & nobis quæ sepè obiiciunt; at vbi & *ego viuere faciam*, acceperunt, nihil prorsus de cætero dicti Domini reminiscuntur, significantis eos iri à Deo disperditum, quia ad omnem perniciem vitam hanc ducunt. Et sanè, quia prauè, & nequiter egerint, ab eo perduntur; quia verò peccato sunt mortui, gloria sempiterna donantur. Sic itaque illi *percutiam* illud, intellexerunt, *ego sanabo*. Quod vtique persimile est vsurpato Medicorum sermoni; qui affecta corpora, attrectando, vulnera quidem faciunt grauiora, vt ab his & noxia demant, & quæ sanitatem intercipiunt tollunt; cùm alioquin dolore medendo afficiant, nec vlcera dirimant, sed corpora curando sanitati restituunt, qualem animo iam destinauerant. Sic igitur, & Celsi Iudæus illud exponens, *Pater transeat à me calix iste*, nihil tamen explicat, quæ subsequuntur; & Iesu promptitudinem ad passionem confirmant, vel constantiam præferunt.]

S. Hilarius non multum ab initio libri de Synodis, [Oro vos per Domini misericordiam, vt quia nihil ad vos de diuinis, vt voluistis, rebus, & de fidei nostræ intemerata conscientia, erit per has litteras sermo, ne quisquam de me ante sermonis consummationem per literarum exordia existimet iudicandum. Iniquum est enim, nisi comperta vsque ad fidem ratione dictorum, prædicatam sententiam ex initiis, quorum causa adhuc ignoretur, afferre; cùm non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit iudicandum. Est enim mihi non de vobis, vt Dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam nimium apud se acutis, & prudentibus, metus: non intelligentibus per Beatum Apostolum sibi ne supersaperent præceptum, quos vereor nolle omnia ea, quorum absolutio à me in consummatione erit præstanda, cognosci; dum verum intelligi ex eis quæ absoluentur euitant; sed quisquis hæc legenda, & cognoscenda susceperit, modum sibi, atque mihi patientiæ fidelis indulgeat, & vsque ad absolutionem vniuersa percenseat.] 531.

Cassianus *lib. 7. de Incarn. cap.14.* Nestorium insequens, sic habet præter cætera. [Cùm id truncatum poneret, quod integrum scriptum est, non vidit reserata sacri voluminis serie, redargui impudens, atque apertum posse mendacium. O stulta blasphemiæ amentia, quæ dum ipsa non videt quid

sequi debeat, etiam illud non sapuit quid legi possit. Quasi verò, quia auferebat sibi intelligentiam, auferre posset omnibus lectionem: aut ideò perdituri omnes ad legendum oculos capitis sui essent, quia ipse iam mentis oculos perdidisset. Audi ergo hæretice, quod furatus es, audi plena, & integra, quæ debilia, ac truncata posuisti.]

532. Vigilius *lib.4. contra Eutychem*, pugnans pro sancto Leone, cuius scripta Eutychiani Nestorianismo sordere contendebant, longam aduersarij repulsionem sic concludit, sub libri medium. [Quæ cùm ita sint, inhonesto veteris officio; religiosis callidè insidiaris, vt superiora demendo, ac sequentia non addendo, ita media eligas; vt verba sententiis exuens, de eorum nuditate pro arbitrio ludas. Redde igitur suis omnia locis, & propria sententiis indumenta restituas; & noli insidiosis fraudibus calumnias innectere, & quod ad demonstrationem vtrarumque dictum est naturarum, ad dualitatem non referas personarum.]

533. Optimè, & ad rem præsentem opportunissimè Philippus Abbas *epistola 5.* [Et si aliquid (inquit) in libro inuenitur, quod per se consideratum debet forsitan accusari, potest, (nisi fallor,) consideratis præcedentibus, vel consequentibus excusari. Ad condemnandum quemuis librum, non est prætendenda duarum, vel vnius scrupulositas dictionis, sed consideranda totius seriei lectionis. Nusquam enim simul omnia possunt dici; & sunt nonnulla quibus singularibus potest meritò contradici, sed cùm omnia pariter attenduntur, quæ videbantur respuenda, plerumque præsidio circumiacentium muniuntur.]

Etiam Ethnici, indignitatem, quam exagitamus, intolerandam esse censuerunt. Apuleius enim sub Apologiæ finem *pag.* 532. æmulum, & criminatorem suum, eam ob causam sic impugnat. [Totam sodes epistolam, cedo. Sine omnia inspiciam, à principio ad finem perlegam. Multa sunt, quæ sola prolata, calumniæ possint videri obnoxia. Cuiauis oratio insimulari potest, si ea, quæ ex prioribus nexa sunt, principio sui defraudentur. Si quædam ex ordine Scriptorum, ad libidinem supprimantur. Si quæ simulationis causa dicta sunt, adseuerantis pronunciatione potiùs, quàm exprobrantis, legantur.] Itaque mox post prolatam fraudem aduersarij, ob suppressionem nonnullorum in ea Epistola, iis tantùm prolatis, quibus grauari videbatur, subdit. [Oro te Maxime, si litteræ itavt partim vocales dicuntur, etiam propriam vocem vsurparent; si verba, itavt Poëtæ aiunt, pinnis apta vulgò volarent; nónne cùm primùm epistolam istam Ruffinus mala fide exceperit, pauca legeret, multa, & meliora sciens reticeret, nónne tunc cæteræ litteræ, sceleste se detineri proclamassent? Verba suppressa de Ruffini manibus foras euolassent? Totum forum tumultu complessent, se quoque à Pudentilla Missas, sibi etiam quæ dicerent mandata? Improbo, ac nefario homini, per alienas litteras falsum facere tentanti, ne auscultarent, sibi potiùs audirent; Apuleium magicæ non accusante à Pudentilla, sed accusante Ruffino absolutum.]

De alienis

De alienis sententiis, ne ex gustu suo, aut suorum, censento. Probabilitatem doctrinæ à qua ipsimet abhorreant, agnoscunto.

Sunt quædam adeò angusta pectora, vt quicquid extra sententias, quibus se addixerint, audire contigerit, improbandum putent. Duobus omninò modis id accidere, deprehensum est. Nam vel gentilitium, (vt sic dicam,) vitium est, quia scilicet totus cœtus, vel natio, vnam aliquam sententiam probat: vel certè peculiare, & priuatum; nimirum, quia ita ipsimet censori iam pridem visum. 535.

De labe priore, sapienter omninò statuit Alphonsus de Castro *lib. 1. contra hæres. cap. 7. ferè initio*, verbis illis. [Sunt plerique qui sic afficiuntur aliquorum hominum scripturis, vt si fortè quempiam viderint, qui vel digito transuerso, ab eorum sententia discedat, (oculatus testis loquor,) hæresim statim inclament.] Et paulo pòst, allegato S. Augustini loco ex *epistola 19.* quo profitetur, sua se scripta agnosci velle, tanquam ab homine scripta, subdit Castro. [Quare, (fateor,) me non posse cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum scriptis, vt impium autument, si vel in modica re quis ab eius sententia discedat. Volunt enim hominum scripta, velut Diuorum oracula recipi; illúmque honorem illis exhiberi, qui solis sacris literis debetur. Non enim iurauimus in verba hominis, sed in verba Dei. Ego enim miserrimam hanc dicerem seruitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, vt non liceat vllo modo illi repugnare. Qualem patiuntur ij, qui se tantùm Beati Thomæ, aut Scoti, aut Ochami dictis subiiciunt, vt ab eorum placitis, in quæ iurasse videntur, nomina sortiantur, quidam *Thomistæ*, alij *Scotistæ*, alij *Ochamistæ* appellati. Paulus quidem iussit, captiuare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis. Quo fit, vt hi, qui tam leuiter de hæresi pronunciant, non expendentes de qua re loquantur, sæpè suâ ipsorum feriantur sagittâ, incidántque in eam foueam, quam alij parabant. Nam velle humanas scripturas in diuinarum ordinem connumerare, hoc verius dixerim hæresim: quod faciunt hi, qui humanis scriptis dissentire, impium autumant, perinde ac diuinis. Quales ego vidi in tantam insaniam deuenisse, vt non sint veriti ad populum in publica Concione hoc effundere. [Quisquis à doctrina Beati Thomæ discesserit, suspectus de hæresi est censendus.] Sed & Minoritis, quod in verba Scoti iurasse videantur, non parcit Castro, paulo pòst; & vniuersim toto illo capite, monstrat fallacissimam esse rubricam, qua damnatur sententia aliqua, tantùm, quia est contra aliquem Doctorem quisquis tandem sit ille.

Præiuerat Alphonso Ochamus *tract de Corp. Christi c. 36.* verbis illis: [Detestanda est aliquorũ modernorũ præsumptio, qui se supra se extollentes, cupientes soli vocari Rabbi, omnẽ opinionẽ a suis dogmatibus dissentientem, agitati inuidia damnantes, quia per rationem nesciunt improbare, tanquam periculosam, & hæreticam, caninis latratibus lacerant incessanter.] Item Ioannes Maior multus est in refellendo sensu quorundam, qui quod Sancti Thomæ doctrinam, (vt loquebantur,) 536.

loquebantur,) canonizatam esse contenderent, iis elogiis, quibus à summis Pontificibus est exornata; tantùmnon habebat pro erronea, vel etiam hæretica, doctrinam quamcunque ab ea discrepantem. Versat eandem cum Maiore molam, Dermicius Thadæus *in Nitela Francisc.à pag.* 35. Prudentiores inter patricias familias, in quibus hic æstus viget, quantoperè hanc ingeniorum seruitutem, & mancipationem ad aliena sensa improbarent, non dissimularunt: Canus præsertim 7. *de locis cap.* 8. *& lib.* 8. *c.* 4. *& lib* 9. *c.* 7. *ac lib.* 10. *c.* 5. *& lib.* 12. *cap.* 4. subscribit Bannes 1. *p. q.* 1. *art.* 8. Dixi in hanc rem nonnulla, tractans quid censendum de libris refertis noua doctrina.

537. Aiebam esse alios adeò ieiunæ mentis, tantáque cordis inopia laborantes, vt nihil existiment probabile, nisi quod ipsimet tradiderint, aut probabile esse fuerint persuasi. In huius genij hominem quandoque incidi, qui cùm in illustri Academia, diu multúmque res theologicas in scholis versasset, nec aliquid tamen extra Neotericum quempiam legisset, adeò nihilominus tenax erat sensus sui, vt quicquid non tradidisset, duceret improbabile: censurarum autem etiam extremarum, quibus aliquid, vel erroris, vel hæreseos notatur, esset liberalissimus. Argumento sit, quod cùm eo loco, quo ipse studiis præerat, veteranus Professor tractans 2. 2. docuisset, non esse ex fide certum, Sanctos, qui ab Ecclesia in cœlitum numerum referuntur, reuera Sanctos esse; Aristarchus ille ineptus, & in superlatiuo gradu ridiculus, eam sententiam, quæ Sancti Thomæ, & omnium retrò antiquorum fuerat, & vt hominis immemoriam vellicemus, tradita disertè est à Suaresio, qui illi pro numine theologico, & cortina doctrinæ semper fuit 2. 2. *tract.* 1. *disp.* 5. *sect.* 8. *num* 8. tanquam suspectam erroris, & hæresi proximam explodere, ac latebris damnare conatus est. Qua ignorantia, (ni malis simplicitate,) vix video quid damnosius, quidve eam personam dedecentius proferri queat. Præsertim, quia bonus hic Gamaliel, cùm aliquando manus conferere in ea causa voluisset, adeò languidè, ne dicam miserè rem egit, vt appareret aliud esse de alienis sententiis ex gustu tantùm suo pronunciare, aliud solidè, & validè contrarium euincere. Eiusdem genij videtur fuisse vnus quispiam censor, qui ex priuata persuasione ante annos aliquot Emanuelem Sa, plusquam centum confossum plagis, Deiphobum, exhibuit in Aphorismis Confessariorum. Henriquem verò Summæ Moralis authorem, planè proscripsit; quamuis vtriusque sententiæ, à censore confixa, essent multorum, & veterum, & recentiorum, haberentúrque planè probabiles. Itaque Hispanica, & Lusitanica Inquisitio, Henriquem planè habuit pro nitente, ac puro. In Emanuele autem, duo expungi voluit: vnum de absolutione per litteras, quod post eius obitum à Clemente VIII. fuerat definitum; alterum, quod ad Sacramentum Vnctionis pertinebat, cuius materiam omninò voluit esse ab Episcopo benedictam, contra quam senserat Manuel. In omnibus aliis nihil fuisse, quod censuram mereretur, pronunciatum est ab vtraque illa generali Inquisitione, de sententia tot Academiarum.

538. Quare prudens censor, qui nolit alienæ censuræ plurium, & peritorum patere, agnoscat probabilitatem sententiarum, quæ verè sunt probabiles; nec eam, vel ex suorum, vel ex suo proprio sensu metiatur. Ac proinde ne sit vnius & alterius quantumuis grauis autoris lectione contentus; sed varios, ac si fieri possit, eruditos omnes scriptores, peruoluat; priusquam de puncto quopiam durius

durius aliquid ſtatuat: meminerítque probabile aliquid eſſe re vera poſſe, quamuis nobis iuxta noſtra principia, & præconceptiones videatur falſum. At nullum eſt peruerſius iudicium, quàm quod ex præconceptionibus fertur, iuxta illud Ennodij *in Apologetico.* [Quiſquam ne, cauſarum ex præcognitione ſancit euentum, & rabidis terminum poſitura conflictibus ſic metitur, vt pernix deciſio, dum inquiſitione eſſe ſenior innoteſcit, fauorem cenſentis accuſet?]

Nihil non intimè, ac penitißimè per ipſoſmet peruaſum, configunto.

Miſerabile omninò, ac miſerandum eſt iudicium, quod ab eo fertur, qui 539.
rem de qua iudicat, non habet perſpectam. Scitè Franciſcus Picus *in Apolog. q* 4. *de Cabala, & magia naturali*; refert quemdam ex iis, qui acriùs in ipſius Pici operum cenſuram excanduerant, præſertímque ad nomen *Cabala* commouebatur, interrogatum, quid verò eſſet ea Cabala, quam in Pici lucubrationibus adeò exoſam haberet, reſponſum dediſſe, fuiſſe perfidum quemdam, & Diabolicum hominem, qui dictus eſt *Cabala*; & hunc multa contra Chriſtum ſcripſiſſe. Inde ſequaces eius, dictos *Cabaliſtas*. Audin' lamiæ turres, & pectines Solis? Non abſimili inſulſitate, plerique ea interdum improbant in alienis libris, quæ ſi rectè intelligerent, approbarent, damnatione certè abſtinerent. Quare cenſor neceſſe eſt, vt peruadat, quod damnat, niſi poſticæ ſannæ ſubiacere, & ludibrium peritis debere velit; imò Deo ipſi, ac æquitati, & iuſtitiæ infenſus ſit qui ſecus faxit.

Ipſi Gentiles, noſtris in hac re exemplo eſſe poſſent, iuxta illud Clementis 540.
Romani *lib. 2. conſtit. c. 52. aliàs* 46. [Contemplamini, (inquit,) iudicia ſæcularia, quorum poteſtate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, ſepulchrorum violatores, latrones; hi enim ſtatim vt ab iis, qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipſo, an ita ſe res habeat. Ille verò ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium; immò pluribus diebus cum multa deliberatione, ac conſultatione, & interiecto velo, inquiritur in eum. Poſtremò, qui ſuffragium de capite contra eum locutus eſt, ſublatis manibus ſolem teſtatur, innocentem ſe eſſe, ac mundum à ſanguine hominis illius. Itaque iſti quamuis Gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque ſciunt vindicari à Deo, eos qui innocenter condemnati ſunt, tamen cauent.] Idem egregiè firmat S. Baſilius *epiſt.* 79. [Qui rerum, (inquit,) in hoc mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertiſſimos quoque ad cauſæ tractationem aduocant, multúmque temporis inſumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem ſuſpicientes, multúmque ingemiſcentes, ac iudicandi neceſſitatem deplorantes; nemini non manifeſtum faciunt, quod non ex propria libidine, ſed ex neceſſario legis miniſterio, condemnationis inferant ſententiam.] Ex Platone idem confirmo *in Morali diſt.* 4. *num.* 476. Itaque peruadenda omninò eſt cauſa, de qua eſt pronunciandum, & eius diſcuſſioni, ac introſpectioni, diligenter inſiſtendum.

Nec verò peruadere quis cenſetur, quod aliena duntaxat teſtificatione com- 541.

pertum habet. Quare necesse est, vt censor, oculatus, non auritus sit iudex Ipse Deus, quod egregiè monuit Philo *de confus. ling.* descendit, vt videret, priusquam condemnatione percelleret. [Vt doceamur, moneamúrque, ne quis homo de absentibus rebus, & incertis putet se posse certam coniecturam facere; sed potiùs introspecto negotio diligenter, testis adhibendus est. Quapropter in optimè constituta Republica, lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio; quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus. Apud Mosem quoque inter vetita legitur, *non admittes auditionem vanam.* Vbi non tantùm interdicit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus; sed docet, quòd ad manifestam veritatis perceptionem longè minus, quàm visus, idoneus habeatur auditus, cùm sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam, cur descendisse Deus dicatur, vt ciuitatem, ac turrim viseret.] Idem *lib. de Officio iudicis*, expendens præceptum legis de purgatione aurium iudicis, [Ne scilicet, (inquit,) iudex rei cuipiam aures temerè præbeat, significatur. Qui animum attendit testimonio eorum, qui rem solùm auditione acceperint, non prudenter quidem & sana mente, sed temerè, & inconsultò attendit. Siquidem oculi cùm in rebus gestis defigantur, eas ipsas res quodammodo contingunt, & subsidio lucis, qua omnia colluστrantur, aperiunturque, penitus comprehendunt. Auribus autem, (vt quidam ex veteribus scriptoribus appositè dixit,) minus fidei est adhibendum, quàm oculis: quippè cùm rebus non interfint illæ quidem, sed sermonibus, qui sunt rerum interpretes, quique verum dicere non semper solent, in omnes partes rapiuntur. Qua propter quidam ex Græcis legumlatoribus, qui è sacratis legis Mosaicæ tabulis idem ipsum transferebant, præclarè videntur præcipere, ne aures testes adhibeantur; perinde ac si oporteat ea quæ quispiam viderit, certa iudicare, quæ autem audiuerit, incerta.] Effusè subsannandos se propinarunt, annis superioribus iudices quidam, quod ex nuda duorum vagorum, (quorum etiam vnus Religiosi status defertor erat,) testificatione, adduci se passi essent, vt libros in oris procul dissitis vernacula orarum illarum lingua conscriptos, quorum ne vnam quidem vocem censores huiusmodi agnoscebant, censuris suis confixos voluissent. In re adhuc propè calente, tempero pluribus.

542. Quare vt hanc de necessariis censori dotibus disputationem concludam, meminerint censores, quàm arduum sit munus iudicare, séque iudicandos non dubitent, & omni virtute muniant pectus, si ritè obire hoc munus volunt. Philo optimè *initio libri de Iudice*, [Absurdum fuerit, eos in culpa hærere, qui iura præscribunt aliis, quandoquidem ab his potissimùm, exemplum vitæ petendum est. Sicut enim ignis quæcumque admouentur calefaciens, ipse primùm innata sibi vi calet; nix contrà, suapte natura frigida, infrigidat & alia; sic iudex ipse debet esse plenus iustitia si aliis ius administraturus est, à quo seu fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia sitientibus iustitiam. Id ita demum fiet, si qui ad iudicandum ascendit Tribunal, iudicari se non minùs, quàm iudicare cogitet, & vnâ cum potestate, assumat prudentiam, ne decipiat; iustitiam vt suum cuique reddat; fortitudinem ne flectatur precibus, aut misericordia, quo minùs animaduertat in conuictos sceleris.]

543. Congruit item huic loco illud Ioannis Sarisberiensis *lib. 5. polycrat. cap. 12.* postquam præmisit de iudicum sacramento, quo alligantur, ritè; & ex iuris,

non

non ex affectus proprij, vel alienæ voluntatis amussi, ferre iudicium. [Ipso iure cautum est, vt sacrorum Euangeliorum Scripturæ terribiles, ante sedem iudicialem deponantur, ibique ab initio litium, ad finem vsque permaneant; nec amoueantur, nisi sententia recitata, quo totius Consistorij latitudo, Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas Scripturas, metum incutiat, & reuerentiam; & ab inquisitione veritatis, omnis iniquitas propulsetur.] Codex SS. Euangeliorum exhibet Christum, quod vel ex illo exemplo constat, quo in sacris Conciliis, codex Euangeliorum throno impositus, in media Concilij Basilica statuebatur, vt Christus Concilij Præses agnoscereturQui igitur iudicant, meminerint se iudicandos, & præsentem iudicij incorruptissimi super eos intuitum extimescentes, ne statuant oculos suos declinare in terram.

EROTEMA IV.

Quod alienos libros malè configentium, peccatum.

OMninò grauem esse culpam eius, qui alienum librum immeritò configit, intelligi potest ex damnis, quæ inde in libri autorem, & alios redundant. 544.

Ad damnum me restringo, vt tuissam faciam charitatis violationem, quam apertè infert indebita in alienum fœtum grassatio, qualem admitteret, qui in liberos alicuius sæuiret. Neque enim, vt est apud Synesium, aliter erga libros suos quisque afficitur, quàm parentes erga liberos, suntque hi, mentales veluti fœtus. Eam item ob causam me ad damna restrinxi, vt missam facerem ingratitudinem, quæ certè insignis est erga libri scriptorem. Hic enim velut communis quidam Orbis terrarum Magister, (prout Themistium, Constantius de eo agens appellauit, & scriptores Seneca *epist.* 64.) eadem gratitudine, & obseruantia colendus fuerat, qua Magistri à Discipulis coluntur, aut coli debent: quam esse debere longè maximam, & eximiam, ostensum est in tractatione *de obseruantia*. Pro ea autem gratitudine, per ingratitudinem non leuem, configitur, damnatúrque. Et quidem, quod acerbius est, sine causa, & pro bonis tot, ac tantis, quæ ab idoneo scriptore manant, vt videre est apud Laurentium Iustinianum in præfatione ad librum suum *de casto connubio Verbi, & Animæ*, retribuuntur ei mala.

Mala libri confixio, iniustè lædit Autoris famam: hæc ex bono libro, cuiusmodi.

DImissis ergo his maculis queis confixio iniusta sordet, constat interuenire in eo facto, veram aduersùs libri Autorem iniuriam, contra verum, & proprium ius famæ, quod libri confixione violatur. Nam & ipsa fama directè tollitur, & nigro theta deformatur, proscinditúrque: & ne augescat, (quod 545.

libro bono si indemnis abiisset, præstandum erat,) malignè impeditur. Et labes quidem inusta famæ autoris, tamdiu durabit, quamdiu memoria confixionis superstes erit; quod plerumque, præsertim apud aliquos, est valdè diuturnum. Impeditio autem famæ à bono libro obuenturæ autori, quantum sit damnosa, non potest melius deprehendi, quàm si consideremus, quantum decus, quámque longæuum, autori obtingat ex libro bono. Graues sanè scriptores, hoc decus tanquam æternum celebrant, cùm profani, tum nostri, Plinius *lib.* 1. *epist.* 3. *in fine*, Caninium Ruffum, sic hortatur ad scribendum. [Quin tu, (tempus enim,) humiles & sordidas curas aliis mandas, & ipse te in alto isto, pinguique secessu studiis asseris? Hoc sit negotium tuum, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur: effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum. Nam reliqua rerum tuarum, post te, alium atque alium dominum sortientur. Hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit.] Et *lib.* 2. *epist.* 10. sic affatur Octauium. [Habe ante oculos mortalitatem, à qua asserere te, hoc vno monimento potes. Nam cætera fragilia, & caduca, non minus quàm ipsi homines occidunt, desinúntque.]

Martialis *lib.* 10. *Epigram.* 2.

Lector; opes nostræ, quas cùm mihi Roma dedisset,
Nihil tibi quod demus, maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos.
At chartis nec fata nocent, nec sæcula præsunt:
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Ex Nasone, Horatio, Lucano, Tibullo, Tullio, & Anthologiæ sertis, id ibi egregiè illustrat, præstans in paucis interpres Matthæus Raderus.

546. Christiani, eam scriptionis bonæ perennitatem æquè agnoscunt. Autor libri *de operibus Christi cardinalibus, in præfatione*, per scripta, viuacem autorum famam, & gloriam indelebilem perseuerare docet; & secula transcendere. Possidius in calce vitæ Sancti Augustini, eius perpetuam fore memoriam ob libros conscriptos, haud falsus vates confirmauit, adducto etiam hoc secularis Poëtæ de se loquentis epitaphio, quod tumulo suo adscribi voluit.

Viuere post obitum vatem, vis nosse, viator?
Quod legis, ecce loquor, vox tua nempe mea est.

547. Petrus Blesensis *epist.* 77. [Nostra etiam scripta, quæ se diffundunt & publicant circumquaque, nec inundatio, nec incendium, nec ruina, nec multiplex seculorum excursus poterit abolere. Sola scripta sunt, quæ mortales quadam famæ immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quos tradunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem.

Ore legar populi, pérque omnia secula fama.
Si quid habent veri vatum præsagia viuam;

dicit Ouidius. Cum Antonius linguam Ciceronis abscinderet, quia in ipsum dictauerat inuectiuas, dicitur ei Cicero respondisse:

Nil

Nil agis Antoni, scripta diserta manent.

Quis hodie Lucilium cognouisset, nisi eum Seneca suis epistolis illustrasset? Plus Cæsaris laudibus addiderunt scripta Virgilij, & Lucani, quàm omnes diuitiæ, quas de diuersis mundi Prouinciis adunauit. Prudentia Ithaci, & Pelidæ virtus, sub tenebris ignorantiæ vsque hodie latuissent, nisi eas diuina Homeri mens, carmine publicasset. Ideò Principibus terræ, & his qui res arduas mundi gerunt, nihil ad laudis acquisitionem posset commodius inueniri, quàm eos familiares,& amicos habere, qui scribendo scirent, & possent res gestas ad posteros deriuare.]

Eadem confixio aliter Autori iniuriosa, imò Orbi vniuerso, ob restinctum inde scribendi studium.

Hactenus de prima, & parentissima iniuria aduersùs scriptorem in libro suo iniustè confixum. Et potest quoque alterius generis vera iniuria contra Autorem admitti, si ob confixionem lucro sperato excidat, aut imminutionem subeat fortunarum, non refusis expensis, quas ab eo circa librum confixum factas fuisse contigerit. Ea verò iniuria, frequentiùs, (apud nos quidem,) Bibliopolis inuritur, cùm ob confixionem librorum magnis sumptibus editorum, diuenditione prohibentur. In quemcunque verò cadat, iniuria est vt plurimum grauis. 548.

Sed latiùs peruagatur iniuria per malignam confixionem,nec in vnius modò, vel alterius, sed in vniuersi planè orbis incommodum vertitur. Quàm enim hominum vniuersitati conducat, libros conscribi, me tacente, res ipsa loquitur. Et intelligi potest ex illis, quæ Gerso latè disputat integro libro de laude scriptorum, hoc est, *exscriptorum*, siue amanuensium, qui alienos libros describentes, perpetuam faciunt disciplinarum transmissionem; quod nondum tunc inuecto, aut vulgato calcographiæ vsu, eximiis laudibus celebrat Gerso, negans esse seruile opus, in festis vetitum. Dignum fuisse visum Constantino Magno in illius curam laboris inuigilare, refert Eusebius *lib.*4. *de vita Constantini cap.* 36. Quin etiam insigni miraculo comprobatum, quantoperè Deus eum laborem circa bonos libros impensum, habeat acceptum, iam olim in Riccardo Anglo Præmonstratensi, confirmatum prodit Cæsarius *lib.* 12. *cap.* 42.

Cassiodorus verò in Scriptorum laudes adeò concitatur, vt videri possit nimius. Placet locum eius adscribere ex *lib. diu. lect. cap.* 30. quia multo magis facit pro scriptoribus. [Ego fateor, (inquit,) votum meum. Inter vos quæcumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum mihi studia, si tamen veraciter scribant, non immeritò forsitan plus placere; quod & mentem suam relegendo, Scripturas diuinas salutariter instituunt, & Domini præcepta scribendo, longè latéque disseminant. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contra Diaboli surreptiones illicitas, calamo, atramentóque pugnare; tot enim vulnera Satanas accipit, quot antiquarius, Domini verba describit; vno itaque loco situs,operis sui dissemination e,per diuersas Prouincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius. Audiunt populi vnde 549.

se à praua voluntate conuertant, & Domino pura mente deseruiant. Operatur absens de opere suo. Neque dicere vicissitudinem illam de Doctorum bonis nos posse percipere; si tamen non cupiditatis ambitu, sed recto iudicio talia noscatur efficere. Verba cælestia multiplicat homo, & quadam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus sanctæ Trinitatis effatur. O spectaculum benè considerantibus glorioſum, arundine currente verba cælestia describuntur, vt vnde Diabolus caput Domini in passione fecit percuti, inde eius calliditas possit extingui. Accedit etiam laudibus eorum, quòd factum Domini aliquo modo videntur imitari, qui legem suam, (licèt figuraliter sit dictum,) omnipotentis digiti operatione conscripsit.] Rabanus *carm.* 28. Scriptores collaudat, & præfert pictoribus. Exornauit etiam eosdem cumulatè Brouuerus *lib.* 1. *antiq. Fuldens.* necnon Trithemius *libro integro*, qui inter opera eius spiritualia legitur.

550. Hæc sunt librariorum, siue exscriptorum encomia. Et tamen sæpè malè describunt, omniáque erratis farciunt. Sanctus Anastasius Sinaita in procœmio ὁδηγῦ, queritur, exscriptores tomum suum implesse blasphemiis. S. Hieron. *epist.* 28. de eorum erroribus pinguibus expostulat, & epistola ad Domnionem idem queritur. Et Chronico Eusebij à se translato adiurationem præfixit, qua scriptores vrgeret ad exscribendum fideliter, imitatus S. Irenæum, qui per Christi nomen, & tremendum iudicium, adiurat exscriptores in calce operis de Ogdoade, quem librum Eusebius suæ historiæ inseruit, & habetur inter noua fragmenta. S. Gaudentius *in Operis præfatione ad Beniuolum*, de suis tractatibus corruptissimè exscriptis conqueritur. Latè item Petrarcha *lib.* 1. *de remediis cap.* 43. de librariorum flagitiis, & oscitantia in libris exscribendis expostulat; idémque facit Hostiensis *in summæ procœmio.* Ex Ethnicis damnant negligentiæ librarios, Symmachus *lib.* 1. *epist.* 24. & 18. ac Dio *orat.* 42. *in fine*, ac Palladius Rutilius *in præfatione libri de insitione.* Ipse Cicero Attico fatetur, nescisse se quo se verteret præ tanta librariorum in libris exscribendis mendositate. Si ergo librarij, & exscriptores, tametsi tam multa peccantes, omni laude digni sunt visi, & tantam vtilitatem generi humano creare sunt existimati sapientum iudicio; quanto maior vtilitas ab iis deriuari censenda est, qui libros ipsimet conficiunt, & suo labore, ac vigiliis, alienorum ingeniorum culturam promouent?

551. At huic cupiditati alios librorum conscriptione iuuandi, frigida affunditur bonis ingeniis, cùm patere se, tam præposteris iudiciis, vel etiam inuidiæ, & calumniæ videnr. Itaque satius ducunt sibi viuere, & pingui otio frui, quàm per alienam animi impotentiam, iugibus molestiis compleri, & nouam subindè famæ cladem subire: quod extremæ insaniæ, damnat Sanctus Hieronymus *in præfatione ad Domnionem.* Vnáque præfocatur, legendi, ac studendi voluntas. Nam Sancti Damasi iudicio, lectionem sine stylo, somnum esse, S. Hieronymus ad eumdem Pontificem scribens, est Autor. Hoc quamuis semper valuerit, at nunc quàm maximè. Nam, vt monuit Luysius Legionensis *præfatione sua in Cantica*, tam multi nunc excubant in carpenda, quæ benè ab aliis scripta fuerint, vt scriptio nec aliis sit admodùm vtilis, nec Scriptoribus vacua periculo euadat. Quòd si priuatorum morsus, eáque præposteta de alienis scriptionibus iudicia, liberorum ingeniorum nulla ad id fal-

torum

torum legitima potestate, plerisque scriptoribus oblocutionum fastidia veritis, idoneam feriandi causam præstare sunt visa, vt Viues notauit *lib.* 5. *de tradendis disciplinis*; multò magis idem poterit esse eorum sensus, qui confixos se aliquando ab iis viderint, quorum censendi acritudinem armet potestas; præsertim non arrogata, quæ faciliùs flocci fit, sed legitima, exerta illegitimè: id est, contra ius, fasque, & cùm nulla supperetet idonea configendi occasio. Et is quidem, qui sine potestate librum damnat, aut lacerat, iniustè agit; qui verò iudicis partes obiens idem præstat, multo iniustiùs se gerit, iuxta præclaram Isidori Pelusiotæ doctrinam *lib* 4 *epist.* 83.

Suffixiones Catholicorum per Catholicos, scandalo hæreticis.

Non est præterea dissimulandum, damnum, quod ex huiusmodi iniustis maligníque confixionibus iudiciariis oritur, spectatis iis, qui à fide alieni extra Ecclesiæ caulas oberrant. Quod est in hanc rem, validum sanè Pamphili, vel potiùs Eusebij, argumentum, in Apologia. Dissimulo gaudium, quod eis ex nostris contentionibus, ac rixis aduenit; itaut in nos ipsi retorqueant, hac ex causa, quod SS. plerosque PP. hæreticis obiecisse nouimus, Cyprianum, Epiphanium, (optimè *hæresi* 30. exemplo Aspidogorgonis,) Augustinum 18. *ciuit. cap.* 51. Irenæum *lib.* 1. *cap.* 5. *& lib.* 4. *cap.* 69. Vigilium *lib.* 2. *&* 4. contra Eutychem, & alios: perpetuas, inquam, & inconciliabiles inter eos animorum abiunctiones & dissidia, dum alij in alios grassantur, ac sæuiunt. Non inaudita, aut hîc insolita referre in hoc genere possem quamplurima, nisi refricare huiusmodi sordes, & iniucundum, & ab hoc loco alienum ducerem. Gebennæ in Spelæo iniquitatis, & meretricis Caluinianæ lupanari, vix vlla in Catholicos à Catholicis censura stringitur Romæ, Parisiis, & apud extremos Hispanos, quin mox ab eis recusa in hunc finem, vbique spargatur, vt animorum consensionem, (sicut ipsi malignè interpretantur,) inter Catholicos nullam esse, palàm faciant: impletúrque verbum Hieronymi ad Augustinum, [Æmuli, & maximè hæretici, si diuersas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere.] Nec minùs miserandum est, quod eo nomine apud suos, (præsertim scripturientes,) id assequuntur, vt persuadeant in Ecclesia Catholica plusquam carnificinam, & lanienam bonis ingeniis admoueri; dum vix quicquam scribunt, quantumuis mollitu, & interpretatu non difficile, quod vngues, vel dentes effugiat eorum, quos potestatem legitimè sanctéque collatam, vel imprudenter, vel pro affectu administrate, criminantur. Quod summum est hac in parte damnum, eleuetur ea ratione fama optimorum authorum, omninò benè de Ecclesia meritorum, ac corporum, quibus eorum plerique sunt conserti; & inefficaces redduntur labores vtrorumque, in hæreticorum conuersionem, dum eis ab iniquitatis Magistris opponitur, quo loco sit apud ipsos Catholicos censores, & Magistratus, doctrina quam tradunt, & libri, quos conscribunt; vt dicant, & ipsi, *Inimici nostri, sunt iudices.* Extat Geneuæ recusus, Index expurgatorius Hispanicus: ibi digitalibus literis exhibent damnationem operis Hieronymi Plati, eo

532.

quòd

quòd ad marginem libri iubeatur apponendum *cautè lege*; & locus est, quo de periculis Cleri secularis disputat præ S. Bernardo, & Petro Blesensi, admodùm ieiunè.

Grauitas culpæ mali censoris, eruitur.

553. Hæc quisquis vel tenuiter pensauerit, non dubium, quin mortalis culpæ damnaturus sit, censorem qui vel vt iniuriam ab Authore quopiam cœtúve cui is conferitur, irrogatam vleiscatur, vel vt tempori seruiat, aut vt alceri eam abs se gratiam exposcenti velificetur, librum innoxium, quæsitis prætextibus iniuriâ confixerit. Materia enim grauis est, & damnum, quod infertur autori, est longè maximum. Alia item pleraque capita proximè tacta, culpam illam inter minutas referri non sinunt. Damnantur ergo, qui damnant, nisi eam noxam per pœnitentiam eluant; agnoscitúrque verissimum, quod dixit Adrianus I. *Canon. 66. ex 72.* pro Ingelramno collectis. [Maius periculum est iudicantis, quàm eius, qui iudicatur. Vnde vnicuique prouidendum est, ne aliquem iniustè iudicet, aut puniat.]

Quid peculiariter Pontificiis Censoribus timendum.

554. In Romanis confixionibus per Pontificios ministros latis, ea specialis macula cernitur, si indebitè fiant, quod iniusta confixio in Sedis Apostolicæ iniuriam, & vilipensionem aliquam apud improuidos redundat. Omnia enim, quæ à delectis Pontificia authoritate censoribus perpetrantur, eadem authoritate quasi perspersa transmittuntur per orbem, vbi nunc mortales (heu!) decussa veteri simplicitate, & succiso obedientiæ vigore, homines plus iusto plerumque oculari, de censuris alienis censuram facilè ferunt, & iudicia etiam cùm sunt iusta, ita librant, vt in partem sinistram facilè detorqueant, quæ iure ac meritò fuerint constituta. Inde ergo efficitur, vt multo magis nihili fiat confixio, cùm iniusta fuerit; (quod ob eruditionem, quæ alibi potest esse, non minor, latere nequit;) ísque malè latæ suffixionis despectus, in contemptionem Pontificiæ autoritatis, qua huiusmodi censores constituti sunt malè vertitur, sed tamen vertitur. Experti sanè sumus non semel, confixiones Romanas neglectui à plerisque Transalpinis haberi, illiúsque neglectus partem aliquam (quod dolendum, imò & auersandum est,) refundi in autoritatem, cuius portio est, censoria, quam administri exerunt. Hoc si in censuris ritè ac iure latis, quales omnes Romanas haberi par est, non semel deprehendimus; quanto faciliùs consequeretur, si vitio miuistrorum, qui creditam sibi potestatem in maleuolentiæ suæ arma verterent, liber innoxius, iniusta confixione percelleretur, ita vt autor verè, ac iure posset illud Erasmi sub initium Apologiæ contra Stunicam vsurpare? [Aliqui per fumos autoritatis Pontificiæ, sibi tyrannidem vsurpant in omnes; nihilque eis non licet impunè.] Quanto iure hoc Erasmus dixerit, meum non est inquirere, & volo hoc eum immeritò dixisse. Dixit tamen, nec dubium quàm exulcerata pectora in easdem voces, possint erumpere, nec absque oblæsione famæ quam integram seruari interfuerat, talia damnatoribus suis ingerere. Videsis insuper Cauellum *in vita Scoti c. 5.* vbi de arrogata in quosdam Autores tyrannide, intrepidè expostulat.

Quare

Quare meritò Gerſo *tom.1.tract.de examinat.doctrin.p.2. conſideratione* 5. poſcebat, vt curia Summi Pontificis haberet Doctores Theologos, ac cenſores, (de his namque agebat,) [*Non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos, aut inuidos, non poteſtati ſæculari, non ſpirituali plus quàm veritati fauentes; alioqui tolerabilius eſſet nullos habere, quàm tales pati.*] Addere æquè poterat, quos ex illa ſublimi, & præcelſa veritatis ſpecula deligi ad cenſendum de aliis conrigerit, non præcipites, non procliues ad ſuffigendum, ſed veluti per vim ad id adigi, oportere. Qua in parte habent Romani cenſores, quam imitentur, Apoſtolicam Sedem. Eam enim in notandis, & hæreſeos erroriſve inſimulandis quibuſvis, maturitate ac tarditate ſumma ſemper proceſſiſſe, demonſtrat Heſſelius *lib.de perpetua Cathedræ Petri firmitate c.8. toto.* 555.

EROTEMA V.

Ad quid teneatur qui alienum librum malè confixit.

SEponamus cenſorem qui citra culpam omnem, opus alienum damnaſſet, admiſſà tantùm iniuria materiali. Id enim vel nunquam contingit, vel admodum infrequens eſt, ob cenſorum idoneorum peritiam, quæ ignorantiam depellendo, obſtruit viam illam auertendi culpam. Quòd ſi aliquando ita accidere ſupponamus, vt cenſura nonniſi materialiter inuſta feratur; eadem ferè iniicietur obligatio cenſori, ex quo ſoluta ignorantia, errorem ſuum, quo prîùs inculpabiliter laborabat, deprehendent; quæ cenſori formaliter iniuſto iniicitur; quia quamuis mitiùs cum eo ſit agendum ob culpæ formalis defectum, tamen tenetur ipſe quoque, & quidem iuſtitiæ titulo, (vt fert probabilior ſententia,) ad præſtandos indemnes quos læſit, vt ex dicendis intelligetur. 556.

Mala cenſura; inprimis reuocanda.

Sepoſito itaque huiuſmodi cenſore, agamus de eo, qui malè, & cum culpa damnarit. De hoc non eſt dubium, quin ad retractationem, & famæ, & honoris, damnorúmque omnium ex iniuſta confixione conſecutorum reſtitutionem teneatur; & quidem quamprimum, cùm iniuria irrogata non patiatur rem differri. Prorogatur enim, & continuatione fit maior, vt in ſimili dicitur circa furtum, & detractionem. Cumprimùm ergo ſuppetit facultas, adhibenda eſt inprimis reuocatio. Diſertiſſimè *cap. qualiter & quando, de accuſat.* Innoc. III. duobus Inquiſitoribus in hæc verba præcipit. [Ne inde naſcantur iniuriæ, vnde iura naſcuntur; mandamus quatenus ad conſcientiæ veſtræ iudicium recurrentes, ſi contra præſcriptum ordinem tanquam homines exceſſiſtis; non pudeat vos errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis, vt aliorum corrigatis errores; quoniam apud iudicem diſtrictum, in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.] 557.

Morem hunc esse Apostolicum habetur *cap.veniam 35.q.9.*vbi etiam additur: sicut sententia Romanæ Sedis in melius commutari valet, (cùm scilicet deprehenditur illapsus error facti;) sic cuiuslibet Ecclesiæ sententia, cùm per surreptionem data cognoscitur, rationabiliter reuocari potest. Addit ibidem Innocentius *epistola ad Episcopos Macedoniæ*, graue videri non debere, si cuiuscumque iudicium retractetur, & cùm agnoscitur per errorem lata sententia, (aut quod detestabilius esset, si per malitiam fuisset in eà peccatum,) reuocetur prior damnatio. Seuerè itaque Iuo *epistola 95.* alloquens Paschalem Papam, hortatur illum, vt ipsammet sententiam malè latam à nemine foris retractandam, immuret. Tunc enim, (inquit,) indecens est, sicut Apostolicis docemur exemplis, & scriptis, si aliquando sententiam mutet ipse Apostolicus in melius, cùm aliquid subreptum fuerit.]Hoc inprimis faciendum esse dicebam à quibusuis censoribus, ne iniuria semel illata, perpetuetur. Pleniùs id verso in opere *de honore Iudicis.*

Sarcienda ex obligatione, damna fortunarum, & iusti lucri præpeditio.

558. Iam quod attinet ad restitutionem damnorum illi iniuriæ adiunctorum, eius obligatio rata, & clara est, ex generalibus principiis de restitutionis necessitate, ei iniecta, qui damni alieni, volens & iniusta causa fuerit.

Sed cùm duplicis generis damna, per iniustam libri suffixionem irrogari possint, nempe alia contra famam & honorem Autoris, alia contra fortunas, & iustum lucrum, quod ex libri libera euulgatione sperari poterat, siue Autori, siue Bibliopolæ; de hac quidem posteriore iniuria, non est admodum operosa resolutio. Perspicuum enim est, eam esse integrè sarciendam ab iniusto irrogatore. Nimirum interdum autores, expensas non leues in opere conficiendo, aut exornando posuerunt, quas sibi operis publicatione, & libera diuenditione refundendas sperabant; qua spe ob inhibitam libri venditionem, miserè cadunt. Quicquid verò sit de autoribus, quos sordes in fœtuum suorum vēditione consectari, & rem suprà omne pretium, eruditionem inquam, atque doctrinam, lucello cuipiam captando venalem exponere, & pretio subiicere, probrosum est; certè Bibliopolæ non possunt expensas in libri editione non facere. Et porrò expensæ, & iustum lucrum quod insuper obuenturum erat, pereunt Bibliopolæ, si libro iam edito inhibeatur venditio eius, atque distractio, ob interpositam confixionem; ita vt liber qui carò vendendus erat, vel flammis voracibus absumatur, vel in scombrorum tunicas abeat, piperísque cucullos. Igitur cùm malignus censor sit horum damnorum causa, manifestissimum est, contrahi ab eo obligationem omnia illa dispendia reparandi; & indemnes præstandi quos maligna libri confixione violauerit.

Quid de obligatione sarciendi Autoris famam.

559. Maior difficultas est, de iniuria quo ad honorem, & famam; quæ duo, hîc secernere non sum sollicitus, cùm sit amborum, quo ad rem præsentem, par planè ratio: quamuis non sit dubium, quia rem exactè agitando, sint secernenda. Quod difficultatem circa eos facit in hoc negotio, est præsertim modus quo

sarciri

sarciri debet iniuria. Nam quòd sarciri debeat, non potest esse dubitatio; quandoquidem est vera iniuria, verámque infert cum alieno iure inæqualitatem, quam debita restitutione tolli, ac reparari, est necesse. Expendendum porrò est, eam restitutionem admetiendam esse ad intercluſam honoris & famæ prorogationem, autori ex libro obuenturam per multa sæcula, vt suprà consideraimus. Hoc enim autoris bonum, præcludit iniustè, qui librum malignè configit, proindéque non tantùm est ei cogitandum de restitutione famæ aliunde iam comparatæ, per dedecus illatum sauciatæ, & honoris perperam fœdati; sed etiam de restitutione famæ obuenturæ, & honoris in germine suo succisi, spectata probabilitate boni consecuturi, nisi iniustus obex fuisset appositus. Item, quia plerumque, autor cœtui alicui conseritur, v.g. quia est Religiosus; & dedecus ex nota membris huiusmodi corporum inusta, per iudiciorum humanorum deprauationem, in ipsa corpora transfertur; necessarium quoque est, vt malignus censor, de ea illuuie abstergenda cogitationem suscipiat. Nihil in hac vniuersa, quam deposcimus, honoris, & famæ restitutione ambiguum puto, cùm ius cui incommodatum iniustè fuit, sit verum ius: ac proinde ad inæqualitatem cum eo reducenda sint omnia, vt iustitiæ legibus fiat satis.

Malè tutum profugium ad non satisfaciendum, ex sublimitate censorum.

Tantùm posset euentus assignari, in quo censor iniquus putaret se restituendæ alienæ famæ, per malignam confixionem violatæ, onere liberatum; est enim grauium scriptorum sententia, Toleti *lib. 5. Instit. c. 70.* Couarruuiæ *ad leg. peccatum p. 1. n. 8. §. tertiò adultera.* Soti *lib. 4. de iustitia q. 6. art. 3. ad 4.* Cordubæ *lib. 1. q. 33. art. 2.* Lessij *lib. de iustitia c. 12. n. 138.* aliorúmque plurimorum; si restitutio famæ bonæ alteri malè ereptæ, non possit fieri absque damno famæ longè potioris, ac pretiosioris, posse restitutionem absque scelere omitti. Vt si vir illustris, ex infima plebe aliquem, cuius fama tanti non sit, respersérit infamia, nullo iure plebeius ad dispendium famæ suæ tollendum vrgere potest virum illustrem. Ea igitur esse poterit abiectio autoris, dispendium famæ per confixionem passi; & è contrario sublimitas censoris tanta, vt exsoluendus prorsus videri queat, obligatione restituendæ alienæ famæ, ne suam deterat, & exterminet, sarciendo alienam. Nec fortassis deerit, qui munus censuræ adeò sublime esse pronunciet, vt quando permagni interest, illum cui concreditur, esse in æstimatione apud omnes, vt cum autoritate, ac fructu munus adeò necessarium iobire valeat, non sit ab eo reposcenda restitutio alienæ famæ, cum damno propriæ: non modò si minutus, & obscurus sit autor, & liber famæ pertenuis ferax; sed etiam cùm autor non est proletarius duntaxat, & ex libro confixo accessionem nomini suo non exiguam sperare meritò poterat. 560.

Nolo circa euentum Metaphysicum tricari, vel probabilitatem sententiæ ex grauibus Doctoribus adductæ, labefactare, aut vocare in dubium: sed illis in præsentia dimissis, nego ordinarias confixionum malignitates, posse ad eum modum, censoribus abire liberas onere reducendi omnia ad æqualitatem, & restituendi famam; non modò in alio genere, puta pecuniaria compensatione, 561.

vel in eodem genere, sed indirectè; nimirum laudando, & celebrando, quem iniusta suffixione infamârint, (quibus modis autores prædicti grauarent in proposito euentu iniquum censorem; sed etiam in eodem genere, ac directè. Quæ enim tanta esse potest necessitas improbi censoris in concredito munere retinendi, vt Autori libri iniquè confixi, dispendium famæ sit idcircò subeundum? Quin potiùs deiiciatur de gradu minister nequam; ne armatus facultate qua malignè abutitur, in perniciem innoxiorum pergat securè, contra ius, fásque, & munus sanctum dehonestare, ac nouis se in dies criminum iaculis trãsfodere.

Etiam sublimissimi in Ecclesia apices, læsos leuare Autores refixa iniusta censura, iustum duxerunt.

562. Exempla habemus sublimissimorum supra omnem comparationem censorum, quibus cum censura non bona absque culpa excidisset, graue non est visum, indemnitati famæ alienæ consulere mutato iudicio. Sic enim Benedictus II. vt est apud Rodericum Toletanum *lib.3.c.13. histor.Hispan.* [Cùm librum Iuliani Toletani, (appendo Roderici verba,) minùs cautè tractando, indixisset reprobandum, audito postmodum Iuliani Apologetico, non se obfirmauit in sententia, sed librum ante confixum, dignè ac piè recipiens, cunctis legendum indixit, atque acclamando, *Laus tua Deus in fines terræ*, lectum sæpiùs notum fecit, & rescriptum Domino Iuliano per Legatos eius, cum gratiarum actione, & cum honore remisit; & omnia quæcumque scripsit, iusta & pia esse, deprompsit.] Ita locum Roderici legit Garsias Loaysa *in notis ad XV. Conc. Toletanum*; quamuis verba Roderici in exemplaribus vulgatis, non ferant Benedictum Romanum Pontificem, sed Romam recepisse Iuliani Apologeticum, & approbasse: quam varietatem quoad alia, in eo Roderici capite, ex MMSS. notauit Ambrosius Morales *lib.12. hist.Hispan. c.58.* irrepere quoque quoad Benedicti nomen potuisse, est verisimile; ipsúmque Benedictum approbasse Iuliani apologeticum, affirmat idem Morales, ac Vasquez *3.p.d.37.c.3.in fine.* Quod verò Baronius calumniæ dicam Roderico impingit anno 684. approbante Seuerino Brinio *in notis ad Benedict. IX. Concil. Tolet. XIV.* præfixam; cùm Benedictus, (vt aiunt isti,) non improbasset, sed tantùm explicari petiisset sub obscuras propositiones Iuliani, pace virorum grauissimorum, calumnia est in Rodericum. Nam Concil. Toletanum XV. in eo Apologetico pleniore, qui missus secundò est Romam sub Sergio Papa, disertè habet, [Capitula Iuliani incautè posita, visa fuisse Benedicto; eúmque incuriosa lectionis transcursione prætereuntem, existimasse, longè aliud voluisse Iulianum, quum reuera voluisset. [Rursúsque inferiùs idem Benedictus incuriosæ lectionis arguitur: & non explicationem popposcisse, sed librum erroris reprehendisse, satis apertè traditur. Itaque saluum manet quod dixerat Rodericus, Pontificem Benedictum, mutato iudicio, famæ Iuliani, quam improbato eius libro sauciauerat, prospexisse.

563. Quod humilitatis Christianæ, Pontifices quoque ipsos non dedecentis exemplum, æmulatus proximè est superioribus annis cœtus grauissimus, refixo post discussam vberiùs causam, decreto aduersùs Opus *de præceptis Ecclesiæ*, noti cuiusdam scriptoris. Cedo censorem, Romano Pontifice sublimiorem. Cedo, cuius famam plus interfit esse illibatam, & à specie, vel suspicione leuitatis immunem,

eo

eo cœtu quem designaui. Non tamen, (vt salua esset autorum immeritò per obreptionem confixorum fama,) indignum suo gradu, aut nomine censu erunt, latum sine culpa falsum iudicium reuocare. Nimirum, quia sapientis est, vel in rebus alios non attingentibus meréque speculatiuis, mutare mentem, comperta veritate: & vt iam olim est ab Augustino *lib.3. contra Cresconi. cap.3.* pronunciatum, [sententiam falsam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare.] Lege sis eundem Augustinum *epist.7.* & Cassianum *de Incarn. cap.4.* Quanto ergo magis idem præstandum sit, cùm id iustitia quoque vrget, & malè, ac cum culpa conscissum proximi nomen, exposcit? Ita verò contingit in euentu quem proposuimus.] Nunquam piguit in melius retorsisse iudicium,] ait Zozimus *epist.3.* confirmátque exemplo Iudæorum admonitorum à Daniele, qui iudicium improuidum retractarunt.

Effugij propositi præclusio firmatur.

Quare non est quod qui in alium malè configendo iniurius fuit, tergiuersetur, & suam ad restituendum obligationem eludi, vel elidi posse censeat, eo quem referebam prætextu: idque excusare, est sibi placere in iniustitia. Quod malum longè grauissimum, ita in quibusdam deplorat S. Cyprianus *epist.55.* in hos quoque meritò intorquendus. [Primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus delicta cognoscere; illic currit innocentia integra, & illibata quæ seruet; hîc succedit medela quæ sanet: quod vtrumque isti, offenso Deo perdiderunt.] Dicat potiùs censor improuidus cum S. Augustino *in prologo retract.* [quilibet eorum, nec quisquam, nisi imprudens, ideò quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit, sed si dicit non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit, & mecum facit, eorum quippè reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem; sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: vt qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse.] Integra lucubratione cui titulus, *de honore iudicis, num dum à retractandi obligatione eximat, vitio anterioris sententiæ deprehenso*, discussa est hæc in peccatis excusatio. 564.

Quid iniquo censori sarciendum, aut reparandum.

His ita constituris, reliqua est ea quam dicebam difficultas circa modum restituendi famam, mala iniustáque confixione violatam, & abolendi dedecus quod ea inhonorario irrogauit. Neque enim sufficere potest concessio vt liber sit publici iuris, & impunè teratur. Hoc quippè iam ab initio debitum fuit, quamuis nulla irrogata esset iniuria. Nunc igitur post eam illatam, & subsecutum damnum, simulque perseuerante antiquo illo iure qnod interposita iniuria violauit, non sustulit; non modò concessio iuri antiquo respondens tribuenda est, sed etiam pro reparanda in æqualitate inducta, per restitutionem commensam damno, & pro abolenda iniuria per condignam satisfactionem, est saragendum: quæ præstari non oportuisset, si iniusta confixio non interueniisset. Sanè qui mercatorem ingenti lucro prohibuisset iniustè, inter- 565.

cluso ei ad nundinas itinere per aliquot dies, non exequeretur quod iure tenetur, si tantùm dimitteret mercatorem liberum, eique permitteret aditum ad nundinas, per reliquum tempus quo durabunt. Astringitur enim insuper satisfacere pro iniuria irrogata per iniustam impeditionem iniectam; itémque damna consecuta sarcire. Non aliter ergo statuendum est in re nostra. Et damnorum quidem realium reparatio, quomodo facienda sit, non est perceptu difficile; est tamen executu difficillimum, cùm adeò carò stet librorum editio, & lucrum inde speratum non soleat esse exiguum. Famæ verò, & honoris reparationem adæquatam iniuriæ, constat præstari non posse, nisi syncera nequitiæ in autorem innoxium admissæ detestatio, quantum erit in reo, tantundem peruagetur, quantum disseminata fuerit confixio; vnáque probrum, & inhonoratio autoris. Quam mentem, vt suscipiat homo malignus, qui alienæ famæ dilapidationem, nihil antea fecerit, & honorem proximi adeò indignè protriuerit, difficillimum arbitror; & absque peculiari, & supra communem modum exaggerato diuini roris affluxu, ferè impossibile.

OPERIS CLAVSVLA.

Sicera mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt corde.

SIVE,

Autor cuius liber confixus fuerit, quibus verbis ac vocibus, hunc lenire dolorem possit.

5.66. DIstinctio hîc adhibenda est. Vel enim iusta fuit confixio, vel iniusta. Quamuis autem vtrolibet modo sit facta libri confixio, & Autoris dehonestatio, iustum, ac congruum sit, eum dolorem lenire; tamen pro eo duplici confixionis modo, várium leuamen est adhibendum.

Libro iustè damnato, vnde captanda autori patientia.

Si liber perspicuè noxius erat, & iure ac legitimè facta est confixio, ab iis qui poterant, & debebant, nec censores ius sibi quo non pollebant, arrogarunt; non est quòd autor nisi de leuitate sua, & præcipiti editione operis, vel non satis pressi ac discussi, vel omnino premendi, & nunquam publicandi, queratur; præsertim si quod non rarò contingit, censores ante editionem quæsisset, qui palparent, non rescinderent vulnera, & strumosa operis. Rari enim sunt, qui cum Blesensi dicant *epist.77.* [Libri mei prima pars, à Magistro Guilielmo fratre meo correcta est; quia timeo, ne sit indulgentior mihi, si quid in eo vitiosum inuenit, precor, vt ab initio totum diligentiore cura recurratis; quatenus nihil ibi resideat, quod lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non instruat, quod non sapiat honestatem.] Ausonius egregiè

egregiè idem poscit à Drepanio *in epistola metrica ludo. VII. Sapientum, præfixa.*

Mustei quorumdam libri, autoribus in cordolium.

Plerique in edendis libris sunt iusto celeriores, vt mirum non sit irrepere in eos quod configi debeat. *Musteos* libros vocat Plinius *lib.* 8. *epist.* 21 & Plinium æmulatus Sidonius *lib.*8. *epist.* 3. vterque huiusmodi subuentaneos fœtus improbans. Insaniam leuem, huiusmodi scriptionem vocat S. Hieron. *epist. ad Rusticum, de forma vitæ Monasticæ, sub finem*; & meritò, vt enim est apud Apuleium *lib. de Deo Socratis, sub initium.* [Nulla res potest esse eadem, festinata simul, & examinata: nec est quicquam omnium, quod habeat, & laudem diligentiæ simul, & gratiam celeritatis.] Rectè, & illud Hieron. 1. *in Iouin. ferè initio* [Basilista quanto plus retrahitur, tanto fortius mittit. Non est damnum dilatio, vbi certior fit ex dilatione victoria.] Itaque Poëta, nonum in annum premi volebat scripta, priusquam vulgarentur, sic monens *sub finem Artis Poëticæ*, postquam desiit, scribendi impetiginem, & multos corripiens cacoethetes. 567.

——*Si quid tamen olim*
Scripseris, in Metij descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras; nonúmque prematur in annum.
Membranis intus positis, delere licebit,
Quod non ederis. Nescit vox missa reuerti.

Ipsa natura docet nos, fœtum non cùm primùm conceptus, & formatus est, luci dare; sed formare per otium, priusquam exeat in apertum: sic formanda & fingenda sensim sunt, quæ ingenij vterus conceperit. Hoc pauci præstant, præproperos fœtus, & abortiuos eniti studentes. Et quamuis in tanta vitæ breuitate, non placeat Ludouico Viues *lib.* 5. *de tradendis disciplinis, in fine*, ea per Poëtam indicta nonum in annum operis suppressio, cùm partus humanus tantùm sit nonimestris; nimiámque limam iure improbet Plinius *lib.*9. *epist.* 35. nec alia verè possit in hoc statui regula, quàm ne partus abiiciatur immaturus, vt idem Viues rectè statuit: tamen præstat tarditate quàm præcipitatione peccare, certúmque est quod Quintilianus prudenter monebat, opus iam conscriptum aliquantisper seponendum esse, vt qui conscripsit ad illud postmodum refrigerato inuentionis ardore, tanquam ad alienum redeat, vt lector, non vt autor. Ex ea enim retardatione, limabitur & expolietur iudicium, carent eo commodo, qui opera informia fundunt. Patere ergo se, aliorum sannis ac confixionibus, ne mirentur. 568.

Pauci seruant in edendis libris suis, quod seruatum abs se profitetur Plinius *lib.*7. *epist.*17. [Nullum, (inquit,) emendandi genus, omitto. Ac primùm quæ scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus, aut tribus lego; mox aliis trado annotanda; notásque eorum, si dubito, cum vno tursus, aut altero pensito; nouissimè pluribus recito; ac si quid mihi credis, tunc acerrimè emendo. Nam tanto diligentiùs, quanto sollicitiùs intendo.] Et post multa in eandem sententiam, sic epistolam claudit. [Proinde non pœnitet me consuetudinis meæ, quam vtilissimam experior, adeóque non deterreor sermunculis 569.

culis istorum, vt vltrò te rogem, monstres aliquid quod his addam; nihil enim curæ meæ satis est. Cogito quàm sit magnum dare aliquid in manus hominum: nec persuadere mihi possum, non & cum multis, & sæpè tractandum, quod placere, & semper, & omnibus cupias.]

569. Similem curam qui prætermiserit, & libros fundere potiùs quàm tempori edere diu pressos, longáque lima expolitos laborarit, ac vt est apud Sanctum Hieronymum *epistola ad Desiderium*, fœtus suos euolare de nidulo siuerit, & temerario editionis honore vulgauerit; vel quod sectatores Prohæresij coram Proconsule ex Aristide vsurparunt, (vt refert Eunapius *pagina* 143.) audire neglexerint; Non sumus vomentum è numero, sed elaboratè aliquid enitentium; mirum non erit, si pro bono libro, fungum, (vt sic dicam,) emiserint, & pro approbatione confixionem, ac confutationem referant: nec ratò ab iis ipsis qui ad scribendum, & edendum adulando perpulerint, vel coram laudibus extulerint, sannas consequantur; quod Rustico Monacho hariolatur Sanctus Hieronymus, sic eum admonens; [ne ad scribendum, citò profilias, & leui ducaris insania, multo tempore disce quod doceas; ne credas laudatoribus tuis. Immò irrisoribus aurem ne libenter accommodes; qui cùm te adulationibus fouerint, & quodammodò impotem mentis effecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.]

Prurigo scribillandi, confixionem sæpè aduocat.

570. Quid quòd plerique, nec à doctrina, nec ab aliis necessariis scriptori dotibus satis instructi, temerè ad scribendum appulerint animum, intemperanter abutentes otio: de quo questum in Tusculani sui vestibulo Tullium nouimus; & latè etiam de eadem scribendi prurigine expostulat Petrarcha *libro* 1. *de remed. dialog.* 44. Symmachus item, breuissimè quidem, sed perpulchrè *libro* 1. *epistola* 70. [Natura rerum est, vt qui balbutiunt, plus loquantur: affectant enim copiam, pudore defectus. Hoc exemplum me expetit, cui magna scribendi impatientia est, cùm desit oratio.] Philippus Abbas *lib. de silentio Cleric. c.* 49. hanc scribendi pruriginem, & veterum, & recentiorum propriam, pulchrè describit exagitátque.

Ab huiusmodi scriptore, & ex se minùs habente, & per censores priusquam opera sua vulgaret, lenocinato ingenij sui abortionibus, quid expectari conuenieus, & non suffixione dignissimum potuit? Itaque est quod adamet impeditam progressionem malorum, quæ consecutura fuerant non suffixo libro, sed liberè vulgari, & diffundi permisso. Vnde & autor apud æquos æstimatores auctius probrum, & fortè auctior damnatio existere poterat.

Humilitas

Humilitas post iustam confixionem, tenenda.

Sed quod qualitas habet sæpè languentium, (iuxta Gelasium *epist.* 8.) absit 571.
vt Medicos accusent, hoc præstet æger de quo agimus. Absit, inquam, vt contra stimulum calcitrare, & impatientiùs excepta confixione obfirmari in errore, illúmque tutari, & calces censoribus illidere, inducat in animum. Quo in genere Michael Baïus, æternum quibusuis scriptoribus exemplum sapientiæ ac virtutis statuit, cum confixis à Francisco Toleto per Pontificem ad id delecto, nonnullis eius libris, oblatáque censura, an acquiesceret rogatus; *malle se* dixit *porcos pascere, quàm cuiuscunque per Ecclesiam delecti iudicio, de scriptionibus suis, peruicaciter oblectari.* Muniendus humilitate est animus, & exprimenda imitatione S. Augustini demissio; qua paratum se profitebatur, etiam ab indoctioribus corrigi. Quanto igitur magis paratum esse quemque oporteat, vt ab iis corrigatur, quibus ius sit, & qui meritò corrigere supponuntur?

Lenimen à tam multis libris deperditis, etiam Canonicis, & SS. Patrum.

Hoc quoque ad leuamen, in euentu de quo agimus, conferre non parum 572.
poterit; grauissimorum Scriptorum libros, edax æuum, aut incuria familiarium, aut casus inopinatus, posteris eripuit. Aristotelis voluminum propè immensam congeriem repræsentat Laërtius *lib. 6. cap.* 17. Varronis, qui *Polygraphotatos* dictus est, tam multorum &, teste D. Augustino, tam eruditorum voluminum, quàm minutæ superstant reliquiæ? Senecæ opera, quantam labem sint passa, Lipsius obseruauit *in Prolegom. ad Senecam cap.* 10. Ipsis libris Canonicis, & sacris, quanta vastitas illata? Fusè in hanc rem disserunt Hincmarus *in præfatione ad vitam S. Remigij*, Michaël Medina 6. *paræn. cap.* 5. & 6. Sherlogus *anteloq.* 7. *in Cant. sect.* 7. Serar. *in prolegom. Bibl. cap.* 8. *quæst.* 14. & 15. Sed breuiter audi Chrysostomum *hom.* 7. *in* 1. *ad Cor.* [Multi libri perierunt, & pauci sunt conseruati, etiam in priori captiuitate. Et hoc est perspicuum in his qui restant. Dicit enim Apostolus, à Samuele, & iis, qui deinceps fuerunt, Prophetis, omnes de ipso dixerunt. Non habentur autem hæc omnia. Paulum autem, vt qui legem didicisset, & loqueretur spiritu, est consentaneum omnia accuratè, & exactè sciuisse. Et quid dico de captiuitate? Etenim ante captiuitatem, multi libri erant aboliti, cùm Iudæi impegissent in extremam impietatem. Id autem est manifestum ex quarto libro Regum; nam Deuteronomium vix fuit inuentum, infossum in sterquilinio.] Non sum nescius, Salmeronem *tom.* 1. *prolegom.* 9. *can.* 4. negare librum vllum sacrum intercidisse. Sed vides contrarium disertè statui à S. Chrysostomo, latéque idem stabilit Pineda *lib.* 1. *de Salom. c.* 11. *à num.* 10. & Delrio *Adagio* 110. agens de libro bellorum Domini, qui sæpè in Scriptura citatur, nec vsquam comparet.

Eandem vastitatem passi sunt libri quidam sacri; excepere quoque Acta Sa- 573.
cra SS. Martyrum, vt latè persequitur Baron. *in præludiis ad Martyrol. cap.* 3.

Exceperunt quoque Patrum multorum variæ lucubrationes, Clementis Alexandrini, Origenis, Gregorij Nazianzeni, Basilij Magni, necnon S. Chrysostomi, cuius in vniuersum veteris, ac noui Testamenti Scripturam, lucubrationes repræsentat Cassiodorus *in præfatione ad diuinas Institut.* Quanta lacuna in tantis diuitiis sit facta, tam paucis tantorum virorum lucubrationibus residuis, perspicuum est. Testantúrque præterea Theophanes ac Cedrenus, Constantino, & Irene imperantibus, incenso Patriarchio Constantinopolitano, absumptam simul esse magnam partem scriptorum S. Chrysostomi, nunquam editam; ac proinde ab iis diuersorum, quæ Cassiodorus exhibuit. Atque vtinam verum esset, quod ait Isidorus Pelus. *lib.* 4. *epist.* 224. scripta S. Chrysostomi in Scripturam, extremos terræ, & maris terminos penetrasse. Heu de quàm paucis eius scriptis, præiis quæ sunt abolita, verum agnoscere vetamur, quod dixit S. Isidorus? Ex S. Ambrosio desideramus quamplurima: vt commentarios in Esaiam, memoratos à S. Augustino *lib.* 2. *contra Iulian. & lib.* 1. *de nupt. c.* 35. Libros de Philosophia, siue de Sacramento regenerationis, quos D. August. *lib.* 2. *contra Iulian.* allegat, videtúrque opus diuersum ab eo cuius meminit extrema *epist.* 35. aiens scriptum aduersùs eos, qui Christum è Platonis libris profecisse mentiebantur. Eiusdem Commentarios in omnes Prophetas, memorat Cassiod. *cap.* 3. *diu. lect.* vbi etiam *cap.* 5. adducit eius homilias *in Sapientiam.* Et *cap.* 2. allegat librum eius *de iudicio Salomonis.* Ac denique *cap.* 8. Commentarios *in Paulum*, ab Hilarianis quos habemus, diuersos Paulinus *in sancti viri vita*, institutionem eius ad Christianam fidem Fritigildi Marcommanorum Reginæ inscriptam, & alium librum de puerili institutione ad Panophium commemorat. Quæ & alia fœcundissimi & amœnissimi ingenij monimenta, interciderunt Nuper, (vt recens exemplum non omittam,) sapientissimus Pater Arnaldus Bohyræus, cùm in vniuersum Aristotelem luculentos commentarios edituras proximè esset, fœturam complurium annorum; tot laboribus iniecta malitiosè flamma spoliatus momento est.

Clades immensarum Bibliothecarum.

574. Sed quid paucorum voluminum iacturam persequor? Immensas Bibliothecas, quarum indices iusta volumina implerent, exhibent Lipsius *Syntagmate de Bibliothecis*, & Langius *lib.* 2. *epist. medicin. epist.* 3. Librorum illorum pars maxima prorsus periit. Leo Isaurus 12. Monachos, eorúmque Præfectum, præpositos bibliothecæ tricenorum, ac trium millium voluminum, constitutæ propè S. Sophiam, incendio cùm Bibliotheca absumpsit, quod Iconoclastis refragarentur, vt scribit Constant. Manasses *num.* 166. Quam multi apud Photium autores, ex solo Photij breuiculo noti sunt, operibus planè deperditis? Postea etiam quàm multorum opera, omnis generis, & omnis ætatis, nullo licèt interposito aduerso casu, vel confixione, perierunt? Nec ipsum arbitror mundum, capacem fore librorum, qui non dico aliquot ante Christum seculis, sed non ita multo ante nos, editi sunt. Euanuerunt quamplurimi, & leuarunt orbem. Eadem fors in dies plerisque obtingit. Scombris plerique tunicas dant molestas, & nigram citò rapti in culinam, Cordyllas madula tegunt papyro, vel thuris piperísque sunt cuculli. Autor cuiuslibet, iure, & meritò confixus

confixus fuerit, secum reputet, quod breui per se euenturum libro erat, tantisper ocyùs per confixionem accidisse: quandoquidem liberjiustè confixus, atque adeò non bonus fuisse supponitur.

In dubio de iustitia confixionis, censuræ acquiescendum.

Æquè patienter agendum est, si obscurior, nec planè aperta, (quanquam neque aperte, vel admodùm probabiliter nulla) fuerit confixionis iustitia. Præsumendum enim est pro potestate legitima, à qua suppono factam confixionem. Nostra quoque in rebus nostris cœcitas, aut visus certè suppressio, cogitanda: quia ad pronunciandum de rebus nostris inidonei admodùm sumus. Frequentissimum quippè est, vt ea nobis ad veritatem dicta videantur, quæ deferuescente æstu affectus in proprium inuentum, & lenocinante sibi semper rebúsque suis, amore nostri immoderato, appareant quod sunt; ideſt falsa, & improbanda. Aiebat de Suffeno Catullus, ad Varrum, 575.

Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,
Aut si quid hac re tristius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul Poëmata attigit. Neque idem vnquam.
Æquè est beatus, ac poëma cùm scribit:
Tam gaudet in se, támque se ipse miratur,
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis: suus cuique est attributus error,
Sed non videmus, manticæ quod in tergo est:

Quare aliis quos proprius amor, & natiuus affectus à syncero iudicio de alieno opere non prohibuit, illuxisse fortassis veritatem quam offuciis aliquibus nimius sui amor offuderit, non grauatè adducetur vt credat, quisquis ea qua par est temperatione, æstimare sua, & suo se modulo metiri didicerit.

Iniustæ quorumdam iure damnatorum querelæ.

In hoc euentu, querelæ reorum de iudicibus, vel accusatoribus, iniustæ sunt, & repellendæ. Tales apud aliquos, non iniuria confixos leguntur, Reuclinus, siue quia eius opus de Cabalisticis nugis iam improbatum erat, siue quia præsentiebat improbandum, indirectè, & quasi per occasionem alterius iniuria violati, ista in censores, vel actores fudit *lib. 1. de arte Cabalistria, pag. 758.* agens de Ioanne Pico Mirandulano. [Noui ipsum olim domo exulantem apud Gallos, & Allobrogas, pulsúmque patria, & fugatum acerrimè ab inuidis, quadam de stabili persecutione, propter eximia Philosophica studia sua, & nobile ingenium. Est adeò genus hominum, (vt ait Terentius,) qui esse primos se omnium rerum volunt, nec tamen sunt. Ex coruo fortè nati, quæ auis vsque ad Coronei annos, vt est in fabulis, vestita priùs albis plumis, posteriùs nigris, colorem indumenti eis præbet, candidi, & atri: vnde *fratres atrati* dicuntur; quippe volucris ea, ob im- 576.

piam delationem, semper odiosa Phœbo. Hi tunc fuerunt œstrum, hi Mastyges, hi canes, tam generosi, & tam eruditi Christiani, nostro seculo multa Hebræorum arcana dogmata Romanis auribus perquam doctè impertiti.] Cardanus in similibus expostulationibus, de iis per quos damnatus fuerat, vel quibus agentibus doctrina eius minùs plerumque sana, malè audierat, frequens est. Sed prospiciendum potiùs Cardano, Reuelino, ac similibus fuerat, ne improbanda scriberent. Ex quo autem Christianis, & Catholicis incongruenter, vulgarunt aliqua; peruersè efferantur in sacros excubitores, inuigilantes communi bono. Non plura de patienter, & æquo animo excipienda confixione, vel apertè, vel certè probabiliter, iusta: ac saltem, quam iniustè latam esse, non constet.

Vnde captanda animi delinitio, in indigna libri confixione.

577. At cùm confixio libri est apertè iniusta, si inde quidem prodierit, vbi nulla configendi potestas erat, calcanda est ac despuenda, liberè vsurpando illud Iuliani Imperatoris, de cynicis libris ac sententiis, sub initium Orationis sextæ. [Si est vt præ liguriendi cupiditate ac mollitie, aut vt vno verbo summatimque complectar, corporis voluptatibus irretiti, sermones istos contemnant, ac ludibrio habeant, quemadmodum ad scholarum, vel iudicialium Basilicarum fores, meiere canes assolent; Nihil, (vt est in prouerbio,) ista curat Hippoclides, vti neque catulos, dum ista committunt, magnoperè curamus.] Quin etiam amanda erit eiusmodi confixio, quod nitentibus de more in veritum hominibus, ad quos arrogatæ censuræ rumor permanebit, vendibilior ex ea fiet liber malè confixus. Præterquam quòd non desunt in Orbe eruditi, & affectu liberi viri, qui de huiusmodi iniustis laborum alienorum confixionibus, statuere ad veritatem possint, & soleant. Notatum hoc sæpè in variis iniquis librorum confixionibus; quarum probrum apud peritos, & probos, in capita ferentium recidit: ita vt euanescente sensim dedecore, & absterso post breue tempus infamia, libri pretium, & autoris gloria, emicuerit multo quàm ante luculentiùs; & mendaces ostensi sint, qui purum & nitentem maculauerant; completúmque sit quod de suo quodam opere scribit ad Demetriadem S. Hieronymus his verbis. [Ante annos circiter triginta, de virginitate seruanda edidi librum; in quo necesse fuit mihi ire contra vitia, & propter institutionem virginis, quam monebam, Diaboli insidias patefacere. Qui sermo offendit plurimos, dum vnusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audiuit; sed quasi criminatorem sui operis auersatus est. Veruntamen quid profuit armasse exercitum reclamantium, & vulnus conscientiæ dolore monstrasse? liber manet, homines præterierunt.] In eo porrò euentu, ius est cuique, respondendi stulto iuxta stultitiam suam, [nè deterioris præsumptionis excitet incentiua, vaga, & effrœnis impunitas,] vt loquitur Petrus Blesensis, ea lucubratione, qua iniustum operum suorum censorem, paulo vehementiùs, sed non vltra condignitatem flagitij, exagitauit.

578. Quod si inde prodierit iniusta libri confixio, vnde iusta prodire poterat, & expectari debebat; tunc autor læsus, gratuletur sibi beneficium diuinum in illius contemptionis perpessione: exhibeat se Philosophum, qualem Nazianz. *orat.* 27. *num.* 23.

*num.*23. his verbis exhibet. [Est quædam in fabulis arbor, quæ cùm cæditur, viret; & aduersùs ferrum certat, ac, (si de re noua nouo more loquendum est,) morte viuit,& sectione pullulat, atque cùm absumitur, crescit. Mihi verò huiusmodi quidam planè videtur esse Philosophus.] Censores quicquid tentauerint, & quocumque animo sint progressi, quem volo fuisse deterrimum, agnoscat, non vt hostes, sed vt præmiorum procuratores. Tales enim reuera sunt, qui in nos grassantur immeritò, (vt egregiè dixit S. Chrysostomus *homil.*22. *in ad Rom.*) seruiúntque nobis, cùm maximè obesse se censent, vt pulchrè docet D.Augustinus *serm.*78. *de temp.* In summa, quæcumque lenimenta ad patientem irrogati iniuria probri perpessionem commodare possunt, cuiusmodi multa protulimus in tractatione *de patientia lib.* 5. *de virtut. à num.*95. in hunc æquè locum cadunt.

Primarij quique Scriptores sacri, passi mastygas.

Gratuletur sibi præterea sortem Sanctorum, quos plerumque hac quoque in parte, improperio Christi participasse, compertum est. [Etiam magnorum virorum, cum ipsis autoribus nonnunquam scripta periclitantur, interpretantis arbitrio,] ait Zozimus Papa *epist.* 3. [Si Doctorum series, (ait Philippus Abbas *lib. de silentio Clericor. c.*49.) à modernis sursum versùs, vsque ad Apostolos reuoluatur, quorum innumera multitudo, & simul post inuicem fuisse memoretur, vix eorum quisquam, (vt æstimo,) poterit inueniri, tam fœlicem statum temporis habuisse, vt veraciter gauderet, se nullum detractorem, nullum æmulum pertulisse.] Vt Sanctum Thomam taceam, cuius scripta variis locis, malè animatus Episcopus Parisiensis, vel potiùs à Saranæ emissariis in fraudem actus, anathematis fulmine vibrato confixit, neenon Bellarmini opus controuersiarum, quod aliquando nonnisi, quia negauerat Pontifici dominium directum super omnia regna Christiana, Romæ est proscriptum, & in Indice librorum infamium repositum, vt habetur in eius vita *lib.* 2. *c.*7. paulo altiùs scandendum est. 579.

Sanctus Hieronymus ob scriptiones suas, variè vexatus.

Sancti Hieronymi libros, qui, & quàm multi non momorderint modò, sed & lacerauerint, ignorare non potest, qui in eius lectione versatus sit, saltem mediocriter. Videatur nominatim, initium vitæ Sancti Hilarionis; & epistola ad Pammachium pro libris suis contra Iouinianum, qua memorat coactum Pammachium amore autoris, libros illos subducere, ne laceratio, & odium in autorem, auctius semper, & auctius fieret. Sed appositissimè *præfatione in Esdram, & Nehemiam*, ad Domnionem & Rogationum loco iam superiùs prolato, sed hîc ex necessitate iterando. Inter causas enim feriandi à scriptione pro qua rogabatur, hanc profert præcipuam. [Accedunt ad hoc inuidorum studia, qui omne quod scribimus, reprehendendum putant: & interdum contra se conscientia repugnante, publicè lacerant, quod occultè legunt. In tantum vt clamare compellar, & dicere: *Domine libera animam meam à* 580.

labiis iniquis, & à lingua dolosa. Tertius annus est', quod semper scribitis, atque rescribitis, vt Esdræ librum, & Hester vobis de Hebræo trasferam, quasi non habeatis Græca & Latina volumina; aut quidquid illud est, quod à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustrà autem, (vt ait quidam) niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos, mi Domnion, & Rogatiane charissimi, vt priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicum; nec fastidiosis cibos ingeratis: veterisque supercilium eorum, qui iudicare tantùm de aliis, & ipsi facere nihil nouerunt.]

Et tamen is fuit Sanctus Hieronymus, vt eius in scribendo dotes, non dicam assequi, sed ex parte saltem aliqua, etiamsi minima, exprimere posse, ad fœlicitatem in hoc genere, sat esse posse videatur. Non illum eruditio, non iudicium, & quidem acre ac emunctum, non linguarum peritia, non eloquendi copia, non quidlibet euincendi facultas, defecit. [Hieronymus, (inquit Cassianus *lib.7. de Incarn.c.26.* (Catholicorum Magister, cuius scripta per vniuersum mundum quasi diuinæ lampades rutilant.] Et mox: [Hieronymus, vir sicut maximæ scientiæ, ita probatissimæ, puræque doctrinæ.] I nunc, & te confixum expostula, lacerato Hieronymo.

Procella in Sancti Augustini scriptiones.

581. Sanctus Augustinus, nomenclatore Ruperto *lib.7. de oper. Spiritus sancti c.19.* [columna, & firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei.] [Literarum omnium, (iuxta Cassiodorum, *Prologo in Psalter.*) egregius Magister, decurrens tanquam fons purissimus, nulla fœce pollutus. Totus Catholicus, totus Orthodoxus, & in Ecclesia Domini suauissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radians.] Cuius libros siliginem præ suo furfure, & delicioſum animorum pabulum appellat Sanctus Gregorius Magnus *lib.8.epist.37.* [Cuius doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & seruat Ecclesia,] ait Ioannes Papa *epist.ad Auienum.* [Hæc verè artificiosa apis Dei, construens fauos diuini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem;] Sic enim de eius libris sensit Seuerus *epist.37. inter Augustinianas.* Iustus liber eiusmodi elogiis D. Augustini, & scriptorum eius, contexi non difficile posset. Is tamen non ab Hæreticis modò proscissus, & fœdissimè laceratus est, quod D. Hieronymus ad ipsum scribens, summo planè honori vertendum statuit; sed etiam à Catholicis plerisque, atrocissimam occasione librorum quorumdam suorum, vexationem sustinuit: palsimque Prædestinatianus, & nouæ hæreseos concinnator audiuit, vt Apologiis plerisque, eam labem eluere necesse habuerit: quod docent, liber *de gratia & libero arbitr.* liber *de corrept. & gratia*, liber *de prædest. SS. & de dono perseuer.* & qui pro eo, nomine ipsius, librum ad articulos sibi falsò impositos edidit Prosper. Præter ea, quæ in eius, & defensionem, & laudem, habet idem Prosper *epistola ad Ruffinum, carm. de ingratis; & libro contra collatorem, ac epistola ad ipsum Augustinum contra Semipelagianos.* Vnde discimus, Hilarium Arelatensem, aliósque Gallicanos Episcopos, ac DD. in libros Augustini strinxisse censuram, quos Cœlestinus I. *epist. ad Episcopos Gallia,*

Galliæ, seuerè ac fortiter compescuit; & enubilata sensim caligine, quam liuor & æstus affectuum inimicorum obduxerat, verum esse apparuit, quod de Augustino dixit Facundus Hermian. *lib.9. pro tribus capitulis, in ipso fine*; [Augustinus vir Adamantinus, in quo omnes aduersariorum dentes franguntur.]

Libri Sancti Gregorij exagitati.

Nemo nescit quid Sancti Gregorij libris contigisse, prodat Ioannes Diaconus *lib.4.vitæ c.69.* Refert enim in eos igne sæuitum publicè, mox à morte sanctissimi Pontificis, nec nisi interueniente Petro Diacono, qui iureiurando firmauit, visum frequenter abs se columbæ specie super caput insidentis Spiritum sanctum, in argumentum edocti diuinitùs sancti Pontificis frænatam esse licentiam, ne cæteros eius libros, qui superstites sunt, æquè deleret. Non me latet, refragari huic narrationi Baronium *anno 664* causarum antiquiorum, Paterij, Isidori, Ildephonsi, de ea exustione silentium; & Sigeberti assertionem, qua disertè negat, opus vllum Sancti Pontificis in ea procella periisse, obstante, vt dictum est, Petro Diacono. Sed cùm idem Sigebertus *in opere de viris illustribus c.41. & 43.* secus tradat, argumentum autem à silentio cæterorum, sit ab autoritate negatiua, quod omnes agnoscunt esse insufficiens, & enerue; non video quomodo inde conuellatur narratio quam à maioribus haustam, scriptor vitæ Sancti Gregorij prodidit, præsertim cùm idem Ioannes *sequenti capite 70.* ex ipsiusmet Sancti Gregorij epist. ad Ioannem Rauennæ Subdiaconum, demonstret, pleroſque libros à Sancto Gregorio fuisse conscriptos, quorum nullibi extant vestigia; vt expositionis in Prouerbia, & in Prophetas, & in libros Regum, neque enim pauca quæ habemus *in 1. Regum, & Ezechielem*, mensuram implent titulorum illorum. Non addo Heptateuchum *ibidem* commemoratum, quod expressam eo nomine existimem, expositionem in 7. Psalmos Pœnitentiales, quæ extat. Est verò ad rem præsentem satis, quod vltrò admittit Baronius: nempe Sancti Pontificis lucubrationes, quamuis incendio exemptas, non leuiter tamen periclitatas à rabie eorum, qui opera patris sui molientes exequi; quem furorem in sanctum virum iam vita functum non poterant expromere, in eius scripta conuerterunt: nec id clam, aut furtim, sed palàm, & in foro medio eius vrbis, in qua viri sancti proximè cœlo illati, adhuc calebant vestigia; quam sapientiæ suæ, ac virtutum vbertate, tot annos compleuerat. Hæc fuit in ipsamet vrbe Romæ, sors Sancti Gregorij: qui si Sancto Ildephonso auscultamus *lib. de viris illustribus cap. 2.* [ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstrarit antiquitas, vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.] Non præsto me huius elogij vadem. Tantùm dico. Tam indigna, tam fœda, tam atrocia, horrendáque, in sanctissimi viri planè aureas & cœlesti spiritu refertissimas lucubrationes, ausam inuidiam, & maleuolentiam, quisquis acceperit; næ delicatus sit; si iniustam suffixionem gradu ipse tanto inferiore, 582.

inferiore, & parens Scriptorum præ S. Gregorij scriptis ne memorandorum quidem, impotenter excipiat.

Dionysij Exigui, & Ruperti, scriptiones allatratæ.

583. Neminem eruditorum latet, quàm magnus eruditione fuerit homo corpore exiguus, Dionysius, Abbas Romanus. Eum Beda *lib. de ratione temp. c.* 45. Sigebertus *in Catalog. illustr. Script. c.* 27. sed præ omnibus Cassiodorus *lib. diu. instit. c.* 23. celebrant à sapientia sacra, & profana; quódque est charisma melius, à sapientia, & exquisita pietate. Non defuisse tamen libris eius mures arrosores, idem Cassiodorus non prætermisit.

Rupertus, qui querelas de suis scriptionibus fœdè confixis sæpè ingeminat, tandem cum Sancto Hieronymo; concludit in hunc modum *lib.* 7. *in Matth.* [Veruntamen quomodocumque volunt, præsentes de nobis iudicent, futuri clementiùs iudicabunt: dum enim viuimus, (ait vir illustris Hieronymus,) & vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, & nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reuersa fuerit terra in terram suam, & tam nos qui scribimus, quàm eos, qui de nobis iudicant, pallida mors subtraxerit, & alia venerit generatio, primísque cadentibus foliis, virens sylua succreuerit; tunc sine nominum dignitate, sola iudicantur ingenia, nec considerat qui lecturus est, cuius, vel quale sit, quod lecturus est, siue ille Episcopus, siue sit laïcus; Imperator, & dominus; miles, & seruus, aut in purpura, aut serico, aut in vilissimo panno iaceat; non honorum diuersitate, sed operum merito iudicabitur.].

Spes mutandorum similiter circa se temporum, solatium Autoris malè damnati.

584. Hæc igitur sunto verba, & voces, quibus scriptor malè confixus, hunc lenire dolorem in præsentia possit. Aderit, si Ecclesiæ bonum, & diuina maior gloria ferat, aderit fortassis quandoque dies, quæ malignè negatam, aut ereptam gloriam, autori & operi cum fœnore refundat; vt circa Sanctorum prædictorum scripta, copiosè factum videmus. Quinetiam verbum est Ethnici, sed sæpè nostri, (vt Tertullianus *lib. de Anima* vocauit,) Senecam dico, *epist.* 79. [Gloria, vmbra virtutis est, etiam inuitos comitabitur; sed quemadmodum aliquando vmbra antecedit, aliquando sequitur; ita gloria aliquando ante nos est, visendámque se præbet, aliquando in auerso est, maiórque quo serior, vbi inuidia secessit. Quamdiu videbatur furere Democritus? Vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem ciuitas ignorauit? Respuit; nec intellexit, nisi cùm perdidit. Rutilij innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam; dum violatur effulsit. Numquid non sorti suæ gratias egit, & exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustrauit fortuna, dum vexat. Quàm multorum profectus, in notitiam euasere, post ipsos? Quàm multos fama non excepit, sed eruit? Vides Epicurum, quantoperè non tantùm

tùm eruditiores, sed hæc quoque imperitorum turba miretur? Hic ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro suo superstes, in quadam epistola, cùm amicitiam suam, & Metrodori, grata commemoratione ceciniſſet; hoc nouissimè adiecit, nihil sibi, & Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobiles Græcia non ignotos solùm habuisset, sed penè inauditos. Nunquid non opinio eius emicuit? Hoc Metrodorus quoque, in quadam epistola confitetur, se, & Epicurum, non satis emicuisse; sed pòst, se, & Epicurum, magnum præclarúmque nomen habituros, apud eos qui voluissent per eadem ire vestigia. Nulla virtus latet, & latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum superuenient. Ad illa respice. Etiam si omnibus tecum viuentibus silentium liuor indixerit, venient qui sine offensa, sine gratia iudicent; quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit.]

Hoc ipsum in præsenti negotio cogitemus, præsertim cùm idipsum circa Autores proximè memoratos contigisse deprehendamus. Veritas enim, vt benè admonet Lactant. *lib.* 3. *Instit. c.* 1. tametsi ad tempus aliquod offuciis subsit, tamen instar lucis corporeæ discutit denique affusas nebulas, & puro ac sereno veluti cœlo micat. [Benè, (alebat de Christianis falsò damnatis Ethnicos alloquens Tertullianus *c.* 7. *Apolog.*) benè quòd omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbiis atque sententiis, ex dispositione naturæ quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.] Quæ illa sint prouerbia Ethnicorum, quæ sententiæ, quibus latentis aliquandiu veritatis, etiam nec per famam dilatæ, hoc est, (iuxta Tertulliani ex Tacito phrasim,) dissipatæ, eruptio asseritur; Andreas Hoyus in Tertulliani prouerbialium elucidatione exposuit; prolato Seneca cuius illud est, Veritatem dies aperit; & Flacco qui sic ait:

Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas;
Defodiet, condétque nitentia.

His accedunt similia Græcorum effata. Χρόνος πάντων ἐξεταστής. omnia explorans ac retegens tempus. Et illud Plutarcho celebratum *lib. de oracul. cessat.* Χρόνος ὀφειλέτης. Tempus aliquando fidem suam liberans. Ex Sophocle nonnulla in hanc rem adducit Gellius *lib.* 12. *c. item* 12. vbi additur Philosophi cuiusdam pronunciatum, quòd veritas sit filia temporis; quia procedente tempore, occlusa priùs veritas retegitur. Quo Plutarchus *in Problem.* refert cur Saturno, (cui χρόνῳ, siue *tempori* nomen,) præter vsum erga cætera numina vigentem sacra fierent operto capite; quia scilicet veritas aliquandiu operta & contecta, denique aperitur, sicut caput nunc opertum pileo nunc apertum. Sícque verum comprobatur illud Christi oraculum Matth. 10. *Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.*

Quorsum hæc? Nimirum vt cuius doctrina iniustè confixa est, spem concipiat, veritatem prouidente Deo erupturam suo tempore, & famam malè violatam, cum fœnore restitutum iri. Sanè in nullius potestate est facere, vt doctrina speculatiua ex se vera aut probabilis, amittat veritatem & probabilitatem

ſuam, quacunque demum cenſura percellatur, & cuiuſcunque confixione proſcribatur. Itaque tametſi ad tempus opprimi poteſt veritas, & ſiue potentia configentis, ſiue malignitate & fraude planorum, videri poteſt indignè habita, & de gradu ſuo deiecta; tamen ſeriùs ocyùs emicabit; vt videmus factum circa inſignes illos ſcriptores, quos ludibrium debuiſſe calumniæ, ſuperiùs vidimus; ita vt etiam anathematum vibratione proſcriptæ fuerint eorum lucubrationes, quas poſteritas omni cum plauſu & approbatione excepit, mirata vel ignorantiam ſtuporémque, vel malignitatem anteriorum, à quibus tam à recto abhorrens tractatio manarat. Quídni ergo quilibet ſimilia paſſus, ſimilia ſibi & ſcriptionibus ſuis malè confixis ſperare poſſit? In ſpem contra ſpem credere, Abrahamicum eſt, & magno dignum pectore.

GEMITVS

GEMITVS COLVMBÆ,

DE IVDICIIS SECVLI.

Meditatio

De Iniuſtitia damnationis inauditi.

In gratiam Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D.D. HENRICI DE SOVRDIS, Archiepiſcopi Burdegalenſis,&c.

Cùm apud Cauares Inſulanos ad tempus degeret.

GEMITVS COLVMBÆ,

DE IVDICIIS SECVLI.

§. 1. *Columbæ mite animal nec nisi gemebundum.*

COLVMBA, *simplex animal, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum*; his enim coloribus hanc auem effingit S. Cyprianus *a*, & eum ex parte exprimens Philippus Abbas *b*:) Spiritus sancti in hoc rerum statu typus est, eiusque Sponsæ Ecclesiæ Dei, & animæ cuiusuis piæ, quæ sit Ecclesiæ membrum viuum, ac vitam ex Spiritus sancti informatione componens: nam Spiritum quidem sanctum per columbam exhiberi vel ex vno Christi baptismo compertum est, in quo Spiritus sanctus columbæ specie est demonstratus, vt præclarè versat S. Augustinus *c* de gemina Spiritus sancti imagine, primùm columbina, mox ignea, pro duplici modo quo nobiscum se gerit Spiritus sanctus, piè admodum ac vtiliter differens. Ecclesiam quoque columbæ imagine adumbrari, cùm alia innumera apud Patres & Doctores protrita docent, tum illud sacri Epithalamij *d*, *oculi tui columbarum*; quod ibi Honorius perpulchrè de Ecclesia interpretatur. Nec non illud eiusdem Cantici *e*. *Vna est perfecta mea, columba mea in foraminibus petræ*, quod S. Epiphanius *f* de primaria Christi sponsa siue Ecclesia dictum docet. Haud aliter de quocunque eiusdem Ecclesiæ membro viuo, siue de quacunque pia anima S. Gregorius ad illud *g*, *Surge, propera amica mea, columba mea*. Non insisto illis vel confirmandis vel illustrandis, quod recentiores Cantici Canticorum Interpretes, nominatim Delrio, Guislerius, Sherlogus, innumera in hanc rem congesserint, quæ nihil attinet huc conuerrere.

a lib. de vnit. Eccles.
b lib. 6. in Cantic. c. 3.
c tract. 6. in Ioan.
d cap. 4.
e cap. 2.
f hær. 35.
g Cant. 2.

§. 2. *Etiam columbæ mysticæ, gementes.*

Cùm verò & Spiritus sanctus, & Ecclesia, & anima quælibet pia possint cum columba componi penes varia capita, illud tamen est huic loco congruentissimum, quod ad huius auis simplicitatem, & mititatem ex Cypriano tactam consequitur, nec minùs in Scripturis quàm apud Patres est peruulgatum; nimirum quòd gemitus sit columbæ pro cantu; vnde Græci vocem eius exprimunt γογύζειν, quod est *gemere*, vt ex Polluce notauit Aldrouandus *h*. Latini dicunt *fritinnire*, quod querulos modos sonat iuxta Varronem apud Nonium querulos hirundinis pullos describentem: vulgatius tamen est verbum *gemendi*, eóque passim vsam videmus Scripturam, cùm columbarum incidit mentio; Nahum 2. *Minabantur gementes vt columbæ*; Isaiæ 59. *Quasi columba meditantes gememus.*

h lib. 5. Ornithol. c. 1. §. de voce columbæ.

gememus. Iungit gemitui meditationem, vel vt significetur gemitus ex imo pectore, vt Cornelius & Sanctius Isaiæ 38. notarunt, vel vt assiduitas & repetitio gemitus insinuetur, quæ est propria columbæ gemendi ratio, vt benè expendit Adamus Isaiæ 33. ad illud, *cor tuum meditabitur timorem.* Potest etiam ea gementis columbæ meditatio pro gemitu valido accipi, qualem insinuarent voces illæ repetitæ, *gementes gememus:* nam verbum meditandi in Scriptura, interdum accipi pro verbo *gemendi*, idque ferre vsum Hebræorum notauit Bartholomæus Vesthemerus *a.* Et videtur haberi ex Isaiæ 38. vbi Ezechias ait, *meditabor vt columba*, id est, lugebo, & gemam pro vsu ac more columbæ. Non nouit ergo columba aliam vocem aliúmve sonum quàm gemitum, nec arma vlla, quibus à natura inops est, in violatorem corripit, sed gemitu solo in pressuris quibusuis & incommodis vtitur, nunquam irascens, nunquam strepera, nunquam clamosa, sed gemebunda duntaxat, quo eam D. Augustinus *b* à coruo discriminat; *vox enim corui* (inquit) *clamosa est, non gemebunda:* non item vox columbæ, quæ alia non est quàm gemitus. Itaque Spiritus sanctus in hoc rerum statu, vt eodem loco egregiè expendit Augustinus, columbæ partes implet, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus, iuxta Apostolum *c*, tum quia nos in tot ærumnis docet gemere; tum quia pro ea magna reuerentia, qua disponit nos quandiu columbam agit, hoc est quandiu voluuntur lux & tenebræ, ac vicissitudo dierum & noctium superstite seculo prorogatur, non exerit furorem in eos à quibus violatur, vel tristitia afficitur, non vibrat fulmina, non imbres igneos quot diebus demittit, sed vasa iræ sustinet in multa patientia, veluti gemens pro exitio in quod sponte ruimus, donec accipiat tempus, & iustitias iudicet; iam non columba, sed ignis. Ecclesiæ quoque & membrorum eius viuorum, piarum inquam animarum, Spiritus sancti sponsi sui, ac informatoris optimi imitatione, in tot angustiis, & nunquam intermittentibus molestiis, vna & iugis functio est, gemere ad Deum. Faciunt hoc assiduè, & sine intermissione pij omnes. Gemunt assiduè, quia assiduè occurrit vnde gemant, idque præstant ex amore, in quo rursus columbam à coruo discriminat S. Augustinus *d*, obseruans optasse sibi Dauidem pennas sicut columbæ, *Non sicut coruo. Columba à molestiis quarit auolationem, sed non amittit dilectionem; Columba enim pro signo dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur. Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba, die noctúque gemit, tanquam hîc posita vbi gemendum est.*

a in phrasib. Scripturæ, v. *meditor.*

b tract. 6. in Ioan.

c Rom. 8.

d in Psalm. 54.

§. 3. *Quanta eis gemendi argumenta, maximè a iudiciis, iuxta S. Cyprianum.*

Et nobis igitur in tot ærumnis & calamitatibus, quibus vndique orbis diuexatur, vnum supereſt à gemitu leuamen, quod eò frequentiùs vsurpare par erit, quò sunt mala nostra & grauiora & protensiora. Nec est quod quis ad tot malorum prospectum, subduci è terra cum Donato per S. Cyprianum *e* expectet in præcelsum montis ardui verticem, vnde speculatus rerum infra se iacentium facies; & oculis in diuersa porrectis, sæculi miseretur, ad tristissimam rerum faciem attonitus, præsertímque ad lenocinans vitiis publicæ authoritatis malum iustissima admiratione defixus; quod sapientissimus ille Antistes, non minùs eruditionis ac pietatis, quàm vernantissimæ facundiæ laude insignis, graphicè exhibet, eáque dictionis florulentia, quæ S. Augustino *f* iudice, posset nimia videri, *nisi consultò id factum esset, vt sciretur à posteris*

e epist. 2. ad.

f lib. 4. de doctr. Christ. c. 15.

posteris, quam linguam doctrinæ Christianæ sanitas ab ea redundantia reuocauerit, & ad eloquentiam grauiorem modestioremque restrinxerit. Gemit ille ob multa quæ sigillatim eo loco exhibet lugendi gemendique argumenta : insidiosas vias, itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, madentem orbem totum sanguine, dispersas terra tota multiplices pugnas, spectacula vel cruenta, vel turpia, libidinum probra, vel lupanaribus prostituta, vel domesticis parietibus obsepta, quorum quo secretior culpa, maior est audacia. Perstrinxi cum ipsomet breuiter, quæ diffusiùs expassa præmiserat.

Sed ei maximè gemituum argumento insistit sancta illa columba quod à iudiciis suppeditatur. Audire eam in hac parte altè gementem iuuat. *Forum,* (inquit,) *fortasse videatur immune, quod ab iniuriis lacessentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte, plura illic quæ detesteris inuenies. magis oculos tuos inde diuertes. Incisæ sint leges duodecim tabulis, & publico ære pretioso iura præscripta sint. Inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur, innocentia nec illic vbi defenditur reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum; hasta illic & gladius, & carnifex præsto est, vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus vnum supplicia plura quàm membra sunt. Quis inter hæc vero subueniat? Patronus? Sed præuaricatur & decipit. Iudex? Sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex. Flagrant vbique delicta, & passim multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subiicit, ille falsum capitali fraude conscribit; hîc arcentur hæreditatibus liberi, illic bonis donantur alieni; inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, vtrobique grassatur in mendacium criminum prostitutæ vocis venalis audacia, cùm interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est; de quæstore, de iudice pauor nullus; quod potest redimi, non timetur: esse iam inter nocentes innoxium, crimen est; malos quisquis non imitatur, offendit: consensere iura peccatis, & cœpit esse licitum quod publicum est. Quis illic rerum pudor? quæ esse possit integritas? vbi qui damnent improbos, desunt, soli ibi qui damnentur, occurrunt.*

Non plura tibi, virorum sapientissime, iudiciorum probra pro quibus gemeres, occurrerunt, quia alia fortassis sæculum tuum ignorabat. Nobis hodierna seculi iudicia aliud suppeditant lugendi & gemendi argumentum, iis omnibus quæ recensuisti, reuera tetrius, & lugubribus modis ac questubus dignius. Hoc quid sit, supra sententiæ venditionem, supra fraudes capitales, supra prostitutas calumniantium voces horrens ac hispidum, ignorauit Sanctus Cyprianus, quia eius ætas talem iudiciorum peruersionem, & recti & veri profligationem non viderat : quæ enim ille suspiria duxisset si ad solam criminatoris accusationem, reum planè inauditum damnari vidisset? Quàm altè gemuisset, si Adelhardum virum sanctum, & illustrissimo cretum sanguine, quia non abstulerat Deus de ore eius verbum veritatis vsquequaque, & de ore luporum semesam prædam eruebat, subitario iudicio, (ac ne iudicio quidem, audientiâ non factâ,) bonis ac dignitate multatum, & solum vertere adactum vidisset? Quæ eidem mens, quis sensus fuisset, si Antistites Catholicos, quòd pro sanctuarij indemnitate generosè starent, procul à gregibus diuinitus concreditis extorres factos, pro se dicendi facultate negata, ac ne noxarum quidem,

§. 4. *Argumentum gemendi in iudiciis, Cypriano intactũ; damnatio inauditorũ.*

dem, quarum insimularentur, conscios intellexisset? Et hoc non agente Decio, non Valeriano, & Galieno Christianum nomen persequentibus, sed hominum Catholicorum, queis Antistitium in summa veneratione esse par fuerat, authoritate atque sententia? Dabit exemplum non vnum Gregorius Turonensis, in sua de Francis historia. Nuperrimè Sacerdos annosus ex cœtu Religioso non dubiæ in Dei Ecclesiam vtilitatis, à re literaria, & diuinis ac humanis studiis benè constitutus, alicuius certè inter suos nominis, captus vt latro, (nam media nocte tanquam ad latronem educta est, ad iacentem in lecto suo vniuersa cohors cum gladiis & fustibus,) in ædem publicam è mandra sua abductus, ibique magna cum infamia Catholici & Religiosi nominis apud Christianos ementita reformatione gloriantes, quorum gurgustia non aliis rumoribus diu sonuerunt; per semestre solidum tentus, insuperque per bimestre domi suæ hærere iussus, eo octimestri nunquam citatus, nunquam auditus, omnibus ad contestationes audientiam exposcentis aures occludentibus ac planè surdis, ad extremum eadem qua priùs taciturnitatis constantia, sibi permissus, de ea tam noua, tam insolita, quæ omnes meritò perculit, ratione agendi, gemere habuit, præterea nihil. Hæc in Sanctos, in Antistites, in Sacerdotes Religiosos, lectissimam profectò gregis Christi portionem, patrata per eos, qui in formam & exemplum cæterorum sunt constituti, si inaudisset Cyprianus, vt erat in rem Dei alacer & imperturbabilis constantiæ, putas stitisset in gemitibus, nec ex instructissima, quæ penes ipsum erat facundiæ & sacræ doctrinæ pharetra, depromptas aculeatorum verborum sagittas vibrasset, in hanc iudiciorum sæculi virulentiam, quà pars inaudita damnatur? Mihi in aperta hac clade omnium iurium, naturalis, inquam, diuini & humani cuiuscunque, hoc est tam eius, quod gentium dicitur, quàm Pontificij atque Ciuilis, nulla alia placet arma corripere, quàm columbarum. Liceat itaque pro huiusmodi corruptela iudiciorum sæculi, saltem gemere.

§. 5. *Vltra seculum progressa, huiusmodi iudiciorũ virulentia.*

Nec quod in iudicia seculi irrepsisse hanc iudicij virulentiam dico, arcto reuera illam ad eos qui pro vsu iam olim recepto, vt apud Saluianum *a*, & Hieronymum *b* videre est, dicuntur *seculares*, ac Religiosis aduersi, in cœtu Christianorum numerantur. Non stetit intra ea septa hæc iudiciorum euersio, sed vltra seculum sic sumptum peruasit, & claustra perrupit, ictu fluuij per omnium iurium repagula confracta aditum præbente. Quod enim ex quodam sapiente Narbodus apud Hildebertum *c* docet; *Flumen est, vbi cum potestate habitat iracundia.* Ipséque Spiritus sanctus per Siracidem *d*, rectionem violentam, rapidam, & truculentiæ plenam, *ictum fluuij e*, nominauit. Et congruentissimè profectò: sunt enim quidam Religiosarum familiarum præfecti, adeò impotentis dominatus, & tam vehementis ferociæ, vt cum fluuij incitatissimi impetu, quà vehementissimus labitur, componi meritò possint: nimirum sicut fluuius præceps & rapidus, omnia sternit, & nullo discrimine læta sata ac segetes in quas incurrit, vel prata ridentia, amœnos hortos, palatia, & quicquid denique lectum & dominis charum dixeris, euertit & abripit cœto impetu: sic isti effrenes nullo delectu æquant & in idem commune excidium conuoluunt omnia: sicut ictus fluuij, non plus subingressum improuidè Federicum Augustum reueritus est, quominus eum perderet, quàm si vilis lixa, vel vnus quispiam ex infima calonum fæce, permissus

a lib. 4. de prouid.
b epist. de suspecto contubern.
c epist. 80.
d cap. 4.
e Gall. *Le fil de l'eau.*

missus eius violentiæ atque ferociæ fuisset. Per huiusmodi ergo feroces ac vehementes, plenos immoderationis moderatores, cum ictu fluuij aptissimè compositos, quam diximus iudiciorum corruptelam damnandi inauditos, in ipsas Sanctorum mandras penetrasse gemendum est, protensis ad hos quoque iudices iis gemitibus, quos pro corruptis seculi iudiciis altè & contentè edendos dixi.

§. 6. *Damnatio inaudita repugnans vsui diuino, atque adeò mala.*

Gemendi ac flebiles modos ex imo pectore trahendi, vnde aptius initium ducam, quàm ex eo quod huiusmodi iudicia seculi non sint diuinis iudiciis consentientia; imò ab eis planè dissonent, quo nullus certior improbitatis Characterismus? nam sicut regula recti, & fontalis ac primordialis honestas Deus est, *Rationem substantialem* vocat Nilus *a*: rationem rationabilium creaturarum Gregorius Magnus *b*; rationem primam Gregorius Nissenus *c*:) ita quod cum ea regula non concordat, sed ei dissonum & repugnans est, necessariò est inhonestum, & hominibus recti & boni amantibus auersandum. Et verò, primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum: at Deus est Iudex supremus, ita vt in capite libri dicatur, Iudices creasse cœlum & terram. Varias Scripturas non vno loco expendit in hanc rem Iacobus de Valentia *d*. Idque optimè perspectum habens Rex Iosaphat *e* monebat Iudices vt meminissent se Dei opus agere, hoc est Dei vice fungi; Dei partes tenere, & munus obire planè diuinum. Idipsum Æthiopes facto expressere, sublimiorem omnibus in Senatu sedem relinquentes vacuam, tanquam indicem sedentis in ea Dei, & in medio Deos sicut Iudices diiudicantis, ac toti iudicio præsidentis. Qua etiam ex causa in antiquis Conciliis, vt in Ephesino *f*, & in Chalcedonensi, codex Euangeliorum in sublimi sella, loco honoratissimo collocatus legitur, tanquam præsidentis Concilio Christi subsellio atque tribunali. Ex quibus aliisque innumeris quæ proferri in eam rem possent, perspicuum est Deum iudicem, esse Iudicum omnium analogatum primarium, cuius proinde iudicandi modo omnes Iudices conformari oporteat, si rectum iudicium iudicare velint, nec extra Iustitiæ orbitam peruersè oberrare.

a lib. de orat. c. 49.
b lib. 30. mor. c. 8.
c orat. de fer. repreh. initio.
d in Psal. 81. & 49.
e Paral. 19.
f tom. 2. Pelt c. 22.

§. 7. *Adam & Eua citati à Deo priusquam damnarentur,*

At in diuino iudicio neminem damnari inauditum, nec absque præuia causæ discussione, & agitatione vtrinque facta, est in diuinis Scripturis explicatissimè expressum: sic enim cùm Adam & Eua peccassent, non priùs à Deo damnati sunt, quàm citati essent & auditi *g*. *Vocauit*, (inquit Moses,) *Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?* Non fugiebat Deum vbi esset Adam, sed forma iudicij præscribebatur, ducto à rei citatione initio: sensúsque erat, iuxta Sanctum Ambrosium *h*, *Adam vbi es? Hoc est, quid eras antè? Vbi nunc esse cœpisti? Vbi te constitueram? Quo ipse transgressus es? Agnoscis esse te nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti. Folia sunt ista quibus nunc velare te queris. Repudiasti fructum: sub foliis legis latere cupis, sed proderis. Recedere à Domino Deo tuo propter vnam mulierem desiderasti, propterea fugis quem videre quærebas. Cum vna muliere te abscondere maluisti, relinquere speculum mundi, incolatum paradisi, gratiam Christi.* Erat ergo ista citatio Adami, quam etiam verbum *vocauit* apertè præfert, vt interrogatione rei præmissa, eoque audito damnatio iustè subsequeretur. Cúmque Adam excusasset factum suum, & culpam reiecisset in mulierem, vocata, siue citata est etiam mulier; subdi-

g Gen. 3.
h epist. ad sororem de Basilicis.

a Gen.3. tur enim *a* : *Et dixit Dominus Deus ad mulierem* : *Quare hoc fecisti ?* Scio Sanctum Ambrosium frequenter alibi eam Dei compellationem aliò detorquere, nempe ad exprimendam commiserationem ipsius Dei erga hominem miserè exturbatum. Sic in Psalm.39. agens de Deo fugientes requirente. *Ille,* (inquit,) *etiam fugientes requirit, & absconditos non vult perire, sed clamat dicens : Adam vbi es ? hoc est, homo vbi es ? Ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti ; denique in Paradiso, vbi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia*

b cap.4. *peccata tenebrosa sunt.* Et lib.de paradiso *b* post alia in eandem sententiam. *Quid est ergo,* Adam vbi es ? *id est, non in quo, sed in quibus es ? Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus,* (inquit,) *bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti ? Dereliquisti vitam æternam, & attumulatus es morti, consepultus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia confidentia ? Timor iste culpam fatetur, latebra præuaricationem. Vbi ergo es ? Hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu ? Quò te perduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem antè quærebas ?* Iuxta quam interpretationem locus ille Geneseos, non facit ad hoc institutum ; tamen genuinus sensus illorum verborum Dei ad Adamum, est, vrgeri Adamum vt culpam suam agnoscat, priusquam diuino iudicio percellatur, vt possit mitior esse punitio, quam peccati confessio valdè extenuat,

c cap.9. iuxta eiusdem S. Ambrosij doctrinam lib.2. de Cain *c* in expositione similis diuinæ interrogationis ad Cainum.

Argumentati sunt in rem nostram ex hoc loco sic intellecto varij Patres, ac nominatim Lucifer Calaritanus, agens contra Constantium, vt Sanctus Athana-

d lib.1.pro S.Athanasio,initio. sius inauditus damnaretur, vrgentem. Sic enim in eum insurgit Lucifer *d*, in Spiritu fortitudinis, & ardoris quem vbique spirat : *Quomodo arbitraris diuinitus permissum puniri inauditos, quando videas Adam & Euam principes nostri generis auditos, sententiâ percussos Dei ?* Et vocauit Deus Adam, & dixit ei, Adam vbi es ? Et dixit : Vocem tuam audiui Domine in Paradiso, & timui, quoniam nudus sum, & abscondi me. Et dixit illi Deus : Quis tibi indicauit quia nudus es, nisi quia de ligno de quo præceperam tibi de hoc solo ne manducares, de eo manducasti ? Et dixit Adam : Mulier quam dedisti mihi, ipsa dedit mihi de ligno, & manducaui. Et dixit Deus mulieri : quid hoc fecisti ? Et dixit mulier : Serpens persuasit mihi, & manducaui. *Cùm igitur huiusmodi formam iudicandi dedisse Deum aduertas, cùm à latebris euocatis, confessisq; Deum sententiam dedisse, de sacris Scripturarum collegeris fontibus; cuius fuisti, atque es impudentiæ; in-*

e hom. 17. in Genes. *dicandi Dei seruos eam dare formam, quæ non fuisset de lege veniens Domini ?* Chrysostomi *e*, exemplo Dei monstrantis reum inauditum non posse damnari, hæc est oratio : *Optimus & omnipotens Deus qui sua sapientia res nostras dispensat, videns Diaboli malignitatem, & hominis peccatum, per quod cum muliere deceptus in tantam incidit confusionem, mox assistit, & quasi mansuetus & misericors iudex, in tribunali terrore, & horrore pleno sedet, & examinat diligenter ; per hoc nos docendo, ne quem fratrem nostrum condemnaremus, nisi causa antea diligenter cognita.*

§. 2. *Cain vocatus priusquàm condemnaretur.* Quod cum Adamo & Eua seruatum à Deo vidimus, vt inauditi non damnarentur, seruatum item à Deo est cum Caino, vt Lucifer quoque obseruauit, alloquens his verbis Constantium. *Dedisti præcepta damnandum esse inauditum,*

auditum, absentem, negandámque audientiam, purgare posse se de crimine obiecto proclamatum. Abel interficitur iustus, & interrogatus Cain, sumit sententiam; & tu Domini inauditum vis punire Sacerdotem? Sumere sententiam Lucifero id ipsum est quod damnari & pœnas dare. Ex eo ergo quòd Cain non priùs à Deo damnatus sit, quàm citatus fuisset ac auditus; infert Lucifer improbum admodum fuisse Constantij præceptum, quo iusserat Sanctum Athanasium damnari ab Episcopis, negata ei audientia, tametsi proclamatus esset, quòd posset se purgare, & sufficienter depellere illata probra. Tilius verbum *proclamandi*, (quod Lucifero est deponens,) accipit pro verbo *appellandi*. Et appellauit sanè sæpè sæpiùs Sanctus Athanasius idoneos iudices, & nominatim supremum causarum Ecclesiasticarum definitorem, Romanum Pontificem. Planus tamen Luciferi sensus esse videtur, quo verbum *proclamandi*, non vsurpetur pro verbo *appellandi*, sed pro verbo *contestandi*: quo ferè sensu vsurpatur ea vox integro titulo *ff. de his quibus ad libertatem proclamare licet.* Vt proinde mens Luciferi sit, præcepisse Constantium damnari Athanasium inauditum, & absentem, ac contestatum quòd posset suam innocentiam purgare, quæ est aperta iustitiæ ac innocentiæ oppressio, dignior Massageta quàm Constantini Magni filio. Addit non sic feciſſe Deum, cùm homicida primus, & quidem fratris, nec nisi per inuidiæ virulentiam mactati, damnandus cœlesti sententia esset. Is quippe sceleratorum omnium primipilus, cuius malignitatem nullus satis vindictæ rigor æquaret, non est à Deo per potentiam oppressus, nec priusquam interrogaretur & audiretur damnatus est, sed post citationem & habitam de scelere admisso quæstionem, vt discerent Iudices mortalium exemplo Dei, neminem damnare inauditum. Sic habet Luciferi in rem nostram argumentatio, qui longam de more laciniam ex Scriptura attexit: eius verò laciniæ veluti limbus est: *Insurrexit Cain super Abel fratrem suum, & occidit eum: & dixit Deus ad Cain, Vbi est frater tuus? & dixit, Nescio, nunquid custos fratris mei sum ego. Et dixit Deus, Quid fecisti hoc? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunquid non licuerat Deo priusquam Cain conuocaret, atque interrogaret, punire? sed noluit, dans formam, quo genere inciperemus iudicare commissos nobis. Nobis, inquam, quibus per Ieremiam Prophetam dicit ad populos suæ maiestati dicatos: Et dabo vobis pastores secundùm cor meum, & pascent vos, pascentes cum disciplina. Damnate,* (inquis,) *eum quem ignoratis deliquisse. Cur? Nempe ad hoc, vt iam non Episcopi, sed mereremur nuncupari vesani, atque carnifices.* En quo loco habeat Lucifer eos qui damnant absentem & inauditum.

§. 9. *Structores turris Babel coram & de visu damnati.*

Alius locus eiusdem libri Geneseos, ex quo Patres diuinum morem nonnisi auditos damnandi colligunt, habetur c. 11. vbi cùm ageretur de consiliis impiorum turrim Babel ædificantium, Deus priusquam eos multaret, priùs sibi ad eos descendendum dixit, vt ἀνθρωποπαθῶς scripsit Moses, & optimè sic præter cætera expressit Philo *a. Ergo migratorij motus nomina nequaquam Deo conueniunt, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum, retrorsum; nec tale quicquam intelligitur de illo qui locum non mutat, nihilominus dicitur descendens visere, quia omnia priùs etiam quàm fiant, præuidet manifestissimè, vt doceamur, moneamúrque,*

a lib. de confus. lin-guar.

múrque, ne quis homo de absentibus rebus & incertis putet se posse certam coniecturam facere; sed propiùs introspecto negotio diligenter cuncta perlustret: visus enim certus, potiùs quàm fallax auditus testis adhibendus est. Quapropter in optimè constituta republica lege cautum est, ne quis auditu dicat pro testimonio, quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus. Apud Mosem quoque inter vetita legitur, Non admittes auditionem vanam; *vbi non tantùm interdicit ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus, sed docet quod ad manifestam veritatis perceptionem, longè minùs quàm visus, idoneus habeatur auditus, cùm sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam cur descendisse dicatur Deus.*

§. 10. *Nec non terrimi mortalium Sodomitæ.*

Est & alius Geneseos locus præcedenti affinis, è quo item solemne est Patribus inferre non esse ex solis rumoribus quantumlibet peruulgatis damnandum absentem, sed Iudicis æqui esse coram inspicere omnia, & reum sibi sistere, nec nisi eo audito pronunciare: cùm enim pessimi mortalium Sodomitæ perdendi diuinitus essent; professus est Deus, ne inauditos damnaret, descendendum sibi ad eos esse, vt causam reorum cominus discuteret ante sententiæ lationem. Iungit in hanc rem hunc locum cum præcedenti Rupertus *a*. Seorsim verò ex isto loco argumentantur varij, quorum nonnullos appendo. Petrus Cellensis *b*. *Neque subitaneus, neque repentinus soleo res magnas disponere, sed multa maturi consilij deliberatione, finis causarum appensione. Inde est, amice carissime, quod non statim credo omni spiritui, propter illum qui transfigurat se in Angelum lucis, & sub pallio consultationis, offert sæpè venenum deceptionis. Vitium autem est omnibus credere, & nulli. Exemplo igitur illius, qui omnia nouit antequam fiant, & tamen descendit per Angelos probare, vtrum clamor Sodomorum, qui ascenderat ad cœlum, opere compleretur, an non, diu substitit acquiescere rumoribus quotidianis.*

a lib. 4 in Genes. c. 41.

b epist. 121.

c hom. 42. in Genes.

Chrysostomus *c* tractans illum Dei descensum; *Docens omne hominum genus, quòd licèt magna valdè & confessa sint peccata, non antea tamen pronunciandam sententiam, quàm manifestæ demonstrationes fiant, inquit: Cùm descenderim aut videro vtrum iuxta clamorem suum, qui ad me venit, perfecerint, vel non, vt sciam. Quid sibi vult quòd sermonem suum ita attemperat,* cùm descenderim, (*inquit*,) videbo. *Nunquid de loco in locum transit vniuersorum Dominus? Absit. Non hoc dicit, sed, vt dixi, per verbum crassius docere nos vult, quòd opus sit magna diligentia, & non auditu solo peccatores condemnandi sint, neque sententiæ ferendæ, nisi comprobatio præcedat. Audiamus hæc omnes: non enim solùm ij qui pro tribunali sedent, obseruare hanc legem debent, sed & nullus vnquam ob nudam accusationem proximum condemnet: idcirco enim & post hæc beatus Moyses Spiritu sancto afflatus admonet, dicens: Auditum vanum ne accipias.*

d epist. 119.

Theodoretus *d* expostulans de Ephesino, contra se inauditum iudicio: *Crudelissimè & contra leges omnes tum diuinas, tum humanas, propria membra iugularunt. Enimuerò effractores, in scelere deprehensos, iudicant primùm, tum deinde puniunt Iudices; eodémque modo & homicidas, & sepulchrorum effussores, & aliena coniugia violantes, agunt priùs in iudicium, & arctiores accusatores actionem intendere iubent, & testium*

mentem

mentem explorant, an testimonium in accusatorum gratiam dicant, an infenso in reos sint animo: & post hæc responderi accusationibus iubent. Atque hoc, bis, terue, interdum etiam quater faciunt; ac tum demum indagata ex vtrorumque verbis veritate, sententiam promunt. Isti verò quemadmodum de aliis iudicarint, non dicam, ne nimis diligens & curiosus videar in alienis: de me vno, iniusta impellente vexatione, dicere cogor: Nam cùm me domi lex regia coërceret, atque extra mihi ciuitatis fines egredi vetaret, iudicium aduersum me constituerunt, & triginta quinque mansionibus dissitum condemnarunt. Et Deus quidem vniuersorum ad Patriarcham Abraham de Sodomis & Gomorrha loquens, Clamor (*ait*) Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est ad me, & peccata eorum magna valdè. Descendam igitur, & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me opere compleant, *Sin minus, vt sciam etsi perfectam habebat hominum illorum nequitiam, attamen descendam* (inquit,) & videbo, *docens nos rerum experientiam operiri. At isti nos nec in iudicium vocantes, nec vocem nostram audientes, nec ex nobis quid sentiamus cognoscere laborantes, veritatis hostium furori iugulandos nos prodiderunt.*

S. Gregorius *a* tractans illud Iobi, *Causam quam ignorabam diligentissimè inuestigabam*, eundem diuinum vsum cum Pentapolitanis, ostentat humanis iudicibus. *Notandum video,* (inquit,) *ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensamus. Ipse quippe vt nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius, tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait*, Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo vtrùm clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. *Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare? Et ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit.* Probare idem hîc est quod inquirere. Itaque probatio quam S. Gregorius ait à Deo adhibitam, & quam ab hominibus iudicantibus adhibendam esse contendit, non credendo rumoribus, inuoluit reorum interrogationem, & auditionem eorum per Iudices. Idque ipsum est, Iudices descendere & videre, vt adhibita criminosi discussione, perfectè explorent negotium, & ferant æquam sententiam. Præmiserat porrò S. Gregorius *b* bonos & æquos Iudices debere *in se transferre proximi personam, & sollicitè attendere, quid sibi si ita essent, fieri iustè voluissent.* Id verò negligere, (vt alio loco *c* ait,) est habere in iudicando pondus & pondus, quod est apud Deum abominatio. Si igitur iudex de aliis iudicare debet, sicut vellet de se iudicari, si reus esset, non potest non audire reum; sed priùs debet quærere quàm iudicet; quis enim velit damnari inauditus, si contingat reum constitui?

Eodem denique modo Iudices ex loco Geneseos in quo versamur, admonent audientiæ vtrique parti præstandæ, Concilium Lateranense I. & Tiburiense, quorum suffragium infrà proferemus.

Pœnam blasphemo diuinitus indictam Leuit. 24. benè in rem nostram sic expendit Saluianus *d*: *Vnus qui blasphemarat morte mulctatur: sic enim scriptum est:*

a lib. 19. mor. c. 23.

b ibid. cap. 18.

c hom. 4. in Ezechiel. §. 11.

Alia ex scripturis pro vsu Dei in audiendis reis ante damnationem.

d lib. 1. de prouid.

Ecce autem filius mulieris Israëlitis, quem pepererat de viro Ægyptio, inter filios Israël iurgatus est in castris cum viro Israëlite, cúmque blasphemasset nomen Domini & maledixisset ei, adductus est ad Moysem. *Et paulo pòst:* Miserunt, (inquit,) eum in carcerem, donec viderent quid iuberet Dominus, qui locutus est ad Moysem dicens: Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus. *Nunquid non præsens Dei est manifestúmque iudicium, & prolata quasi humani ad examinis formam, cœlesti disceptatione sententia? Primùm, qui peccauerat comprehensus est: Secundò, quasi ad tribunal adductus: Tertiò, accusatus, deinde in carcerem missus, postremò cœlestis iudicij authoritate punitus. Porrò autem, non punitus tantùm, sed punitus sub testimonio, vt damnare scilicet videretur reum, iustitia, non potestas.* Eadem paulo pòst habet circa Mariam Aaronis coniugem: non enim germanam, vt vulgus putat, improbante Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 152.

Tandem diuinum morem non nisi auditos iudicandi atque damnandi, perspicuè patefacit vsus Dei, quo sæpè disceptare paratus est cum peccatoribus, paratum se profitens stare iustæ sententiæ, audita vtraque parte ferendæ, vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm iudicatur. Expendit hoc luculenter S. Chrysostomus *a* his præter cætera. *Vbique Prophetæ eiusmodi sermonibus pleni sunt, vbique iudicia Dei cum hominibus audiuntur. Sæpè ipsi, qui iniustè egerant, ad iudicium vocantur; sæpè etiam ad manifestandam iudiciorum euidentiam creaturas considere facit: neque ipsum aduersarium, neque creaturas insensatas in iudicio audire refugit Deus qui mos noster est, cùm maximè iustas nostras esse causas confidimus.* Audite valles & fundamenta terræ, quia iudicium Domino. Et iterum: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia Dominus loquutus est. *Sæpè autem illos ipsos citat:* Populemeus quid feci tibi, vel in quo iniuria te affeci? *Et Hieremias.* Quid inuenerunt in me Patres vestri negligentiæ? *Neque solùm ita agit cum ciuitatibus & gentibus, sed & cum priuatis quibusdam hominibus. Cum Dauide per Prophetam disceptat. Ionæ qui prædicare Niniuitis renuerat, per Colochyntidas respondet.* Si tu parcis propter Colochyntidas, ego non parcam propter Niniuem? *Plenas inuenies talibus Scripturas.*

a Orat. 4. de fato.

Quis credat etiam cœcos vidisse quod dico? Omnino ratum apud ipsos Ethnicos fuit, Deum de nemine inaudito iudicare, & hunc esse eius morem, causam priùs vtrimque agitare atque discutere, (saltem accusantibus se inuicem ac defendentibus cogitationibus,) priusquam sententiam vltoriam ferat. Docent hoc illa ex Apolokynthosi Claudij Cæsaris apud Senecam: cùm enim de referendo inter Deos Claudio ageretur, & multis eius probris recensitis, nihilominus Claudius sententia vincere videretur, assurgens Augustus in Deorum consistorio, sic Iouem, sic ipsum Claudium affatur. [Videris Iupiter, an in causa mala, certè in tua, si hic inter nos futurus est. Dic mihi Diue Claudi, quare quemquam ex his quos quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires damnasti? Hoc fieri solet in cœlo? Non fit.] Rectè dicit, non fieri in cœlo quod lutum illud sanguine maceratum in terris fecerat. Et cœleste præiudicium secutus est in Inferis Æacus: nam Claudius intra diem tertium iussus est è cœlo excedere, tractusque à Cyllenio obtorto collo, & capite obuoluto ductus est ad Inferos subiturus Æaci iudicis integerrimi & incorruptissimi

iudicium.

iudicium. Eo namque cum discessisset à Pedone Pompeio quem Claudius inauditum neci dederat, ad Æacum manu conserta adductus est, vt quod præposterum iudicium viuenti Pedoni iniustè inliserat, mortuus ipse experiretur. Æacus audita Pedonis accusatione Claudium negata defensione condemnat, audita tantùm parte altera; præter morem quidem, sed tamen consentaneè ad truculenta Claudij olim de inauditis iudicia. [Postulat aduocationem (ait Seneca de Petronio vetere Claudij conuictore:) Non datur. Accusat Pedo Pompeius magnis clamoribus. Incipit patronus velle respondere. Æacus homo iustissimus vetat. Illum, tantùm altera parte audita, condemnat, & ait, εἶχε πάθος τἀλλ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο. Ingens silentium factum est. Stupebant omnes nouitate rei attoniti. Negabant hoc vnquam factum. Claudio iniquum magis videbatur, quam nouum.] Nempe quia ipse solitus erat facere, vt illi Augustus in cœli proscenio exprobrarat. Cæteris autem res stupore digna visa est, quod nunquam dij siue in cœlo, siue subtus terram, inauditum quempiam ad eam diem iudicassent. Huc item facit fabula de Ioue non aurito, sed foratis aurium meatibus, vt vndecunque commodiùs audiret, tam eos qui ponè essent, quàm qui anteriùs obseruarentur. Hoc Iouis apud Cretenses simulachrum Plutarcho teste *a*. Eodem porrò recidit quod è contrario Lacedæmonij Ioui aures quatuor appingebant, significantes eum vndecunque audire omnes. Liquet igitur Ethnicos ipsos perspexisse abhorrere à moribus diuinis vt aliquem iudicet quis inauditum.

Diuinum hunc morem in ferendo iudicio, tanquam sapientiæ suæ & iustitiæ radium, ac, vt Psaltes appellat, *lumen vultus Dei, signauit* Dominus *super nos*, & iudicatorio velut insculpsit, docens omnes naturæ lumine iniquum esse iudicare de homine inaudito; nec posse legitimè damnari nisi qui priùs affuerit, & interrogatus causam dixerit. Hinc illa communissima omnium mortalium in hanc veritatem consensio, & admiratio, cùm tale quid per improbitatem & violentiam attentatum auditur. Et disertè id agnoscunt Doctores benè multi qui dare reo defensionis locum, atque adeò ipsum ante damnationem audire, aiunt esse iuris naturalis. Ita *b* Simancas *c*, Sebastianus Vantius tractans nullitates sententiarum, & *d* Farinacius, ac *e* Ludouicus Peguera *f*, & Azor, ac *g* Petrus Toletanus *h*, Sayrus in claui regia *i*, Petrus de Aragon *k*, Luisius Turrianus, & alij quos profert & sequitur *l* Diana.

Huc referri potest naturale conscientiæ iudicium, cogitationibus inter se inuicem accusantibus ac defendentibus initum, vt Apostolus loquitur Rom. 2. Ad quem locum ita Origenes. [Rectum iudicium Dei quis dubitet esse vbi accusatores & defensores adhibentur, & testes? Et quidem de hoc iusto iudicio Dei nos homines exemplum capiamus, nec putemus vnquam sine accusante & defendente & testibus iustum haberi posse iudicium.] Egregiè hoc iudicium explicat, & accusationem & defensionem ad illud interuenire docet S. Fulgentius serm. in dictum Micheæ *m*. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium.* Inquirens enim quid sit *facere iudicium*, sic habet, [Iudicium dicitur conuentus, vbi accusatio & defensio cuiuslibet hominis agitatur; vnde necesse est vt adiudicatus exeat, qui fuerit reus, & victor abscedat qui probatur innoxius, Reuertere igitur ad te, homo, in te quære accusationem; in te quære defensionem; in te quære iudicium; imò tu esto

a lib. de Isid. §. 12. *Naturæ lumen diuinitus impressum pro eodem more.*
b in Catthol. inst. tit. 26. n. 1. & 2.
c c. de nullit. ex defectu citat.
d l. 2 qq. crimin. q. 39. n. 18.
e in praxi crim. c. 12. §. 6.
f t. 2. l. 11. c. 7.
g lib. 2. de restit. c. 3. n. 182. & 197.
h l. 12. c. 8. n. 22. & 25.
i 2. 2. q. 67. art. 2.
k t. 2. in 2. 2. d. 48. dub. 4.
l in addition. ad 3. p. ref. 29.
m cap. 3. init.

esto & accusator & defensor & iudex : Intra in secretarium cordis tui, vbi soli te vident oculi Domini Dei tui ; ibi te accusa, vt valeas accusatione defendi ; ibi te conuince, vt victoriam possis adipisci ; ibi te condemna, vt merearis absolui ; ibi te puni, si vis abæternæ damnationis supplicio liberari. Fac in te, Christiane, verum rectúmque iudicium, sollicitè secreta cordis tui attende, facta tua mala tibi antè oculos tuos pone : quæcunque deleueras in intimo libro tuæ recordationis recense frequenter ac telege ; sine conniuentia teipsum discutè tuipse, & cogitationum tormentis afflige ; tu in te iustam sententiam prome. Quicquid mali feceras peccando, puni veraciter pœnitendo ; & iudex effectus peccatorum tuorum, quod solent facere Iudices capitalibus reis, hoc ipse fac iniquitatibus tuis. Noli accipere personam tuam cùm iudicas causam tuam, sed cum seueritate mala tua discute, cum vigore in peccata tua condemnationis sententiam prome ; & peccata quæ in te condemnas, occide.] En totum progressum iudicij conscientiæ à causæ discussione, & latione sententiæ ad executionem vsque. Sicut ergo iudicium conscientiæ, quod nisi se defendente, atque audito reo initur, est iudicium naturale, & insculptum à natura hominum mentibus ; ita similis forma iudicij in rebus humanis, videtur esse iuris naturalis. Et
a n. 51. ita agnoscit Maldonatus Ioan. 7. *a* Quod enim ibi ait Nicodemus ; *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso & cognouerit quid faciat ?* Non putat Maldonatus ex aliquo Scripturæ loco petitum (verè an secus nunc non moror ;) putat ergo id à Nicodemo prolatum esse ex lege naturali, quæ planè fert neminem damnari inauditum. Confirmatur oprimè hæc sententia, quia iudex iure naturali obstringitur adhibere omnia quæ necessaria sunt ad ferendum rectum iudicium : id enim, vel si silerent omnia iura positiua, deposceretur vi iudiciarij muneris susceptí, atque adeò ex natura rei. At absque partis vtriusque auditione impossibile est instituí rectum iudicium : quomodo enim in tanta rerum nostrarum tenebricositate, & intentionum caligine constare aliter de culpa queat, de qua pronunciandum est extra paucos euentus, in quibus facti euidentia supplere auditionem potest, vt infrà dicam ? Itaque auditio eius de quo iudicium ferendum est, videtur esse iuris naturalis.

§. 13. *Damnatio inauditi cõtra ius gentium.* Verùm quia non desunt qui censeant obligationem audiendi reum priusquam damnetur, esse duntaxat iuris gentium, inter quos Lessius *b*, & Filliucius *c* non placet inutiliter tricari in re purè scholastica, & veréne ea obligatio in iure naturali fundetur, an meliùs iuri gentium adscribatur, considerare, quod absque discussione iuris gentium, & discriminis inter illud ac ius naturæ intercedentis præstari solidè non potest. Hìc autem ea discussio extra locum adhiberetur. Esto igitur ea obligatio reum audiendi sit iuris gentium, quod omnium gentium vnanimi consensione firmatum, ex naturæ principiis tanquam riuus è fonte promanat. Quid magis absurdum quàm contra generis humani vniuersi torrentem niti ? & quod inter omnes homines sacrum semper ac sartum fuit velle conuellere ? Argumentemur à simili. Immunitas Legatorum dicitur esse iuris gentium, quia omnes gentes satis perspexerunt nisi ea immunitas rata esset, bella semel excitata fore immortalia, futurúmque vt non posset de publicis negotiis tranfigi, præsertim cum hostibus. Hoc ius vniuersale quisquis infringeret, haberetur humano commercio indignus, censeretúrque ad feras extra humanam societatem ablegandus. Si igitur æquè iuris gentium est auditio reorum priusquam dam-

b lib. 2. de virt. n. 99.
c tract. 40. c. 6. n. 576.

nentur

nentur, admodum deforme fuerit & incurrens in principia naturali lumine certa, è quibus huiusmodi ius erutum est, damnare inauditum. Esse porrò iuris gentium eam reorum auditionem ante damnationem, tametsi vltrò datur, éstque minimum, in quo Doctores consentiunt, vt monstratum est, tamen obiter illustrandum videtur tacto vsu gentium quarumcunque, Hebrææ nimirum, Ethnicæ, ac Christianæ.

Priusquam tamen ad id accingor, vt monstrem omnes gentes in hunc vsum reos ante damnationem audiendi consensisse, admoneo sermonem hîc duntaxat fore de gentibus apud quas locum habuere mores compositi, & quæ non ita se gesserunt, vt obbrutuisse videri possent: sicut enim in illis ipsis quæ, de omnium Doctorom sententia, sunt iuris gentium, notatæ sunt aliquorum populorum ab humanitate abhorrentium prolapsiones; neque tamen idcirco negatur ea esse iuris gentium, ita in hoc negotio contigit aliquando, tametsi infrequenter, nec nisi apud paucos, qui præ morum incompositione & immanitate, ritum ferinum induisse videri possunt. Sic Clageros populos refert Bodinus *a*, si quis apud eos in admissi furti suspicionem veniat, primùm necari, tum de trucidato haberi quæstionem. Hunc morem Hunnis ac Gotthis acceptum ferunt. Sed quantum is vsus ab humanis moribus dissideat, & belluinam feritatem redoleat, nemo non videt. Itaque non est quod allegetur ad infringendum quod diximus iure gentium, (vtique compositarum, & non efferatarum,) reos priusquam damnentur esse audiendos. Multò minùs allegari potest belluinum factum aliquorum singularium inauditos pro libidine damnantium, quales Flaccus Iudææ præses, & Herodes. Illum Philo *b* inauditos, & indefensos damnantem his verbis refert. [Edictum proposuit, in quo nos appellabat inquilinos & exteros, nec causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed iniudicatos condemnans, quo quid posset esse magis tyrannicum? Ipse sibi vsurpabat partes delatoris, inimici, testis, iudicis, pœnarum exactoris.] Herodem Egesippus *c* de filiis inauditis & indefensis truculenta iudicia exercentem refert, obsignans rei gestæ descriptionem ea clausula. [Scenæ species erat, non iudicij disciplina, condemnare absentes, condemnare sine teste, sine iudice.] Quanquam enim nonnulli adhibiti erant, qui iudicum personam sustinerent, vt Sarurninus, Volumnius, aliíque ibidem recensiti, tamen non habuit Egesippus pro iudicibus qui inauditos iudicarent. Nec eam iudicij vanam imaginem habuit pro iudicio: præmiserat enim cùm institutam iudicij speciem retulisset, [Sed quæ iudicij species vbi rei adesse sibi non permittebantur, & absentes accusabantur.] Atque adeò vbi inauditi & indefensi damnabantur? Hæc dico vrgeri non posse aduersùs indictam iure gentium auditionem reorum ante damnationem; tum quia singularium personarum facta sunt, non gentis alicuius vniuersæ moribus recepta: tum quia planè inhumana sunt, & belluinam truculentiam præferentia, vt proinde absurdè sint alleganda aduersus vsum communi gentium benè moratarum consensione probatum, cuiusmodi esse vsum non damnandi inauditos, monstratum venio, ducto ab Hebræis initio.

a in methodo historica c. 5.

b l. in Flaccum.

c lib. de excidio Hierosol. c. 41.

§. 14. *Iudæis damnatio inauditi improbata iuxta legem.*

Inueteratum & perpetuum Iudæorum vsum audiendi reum priusquam damnaretur, produnt illa Nicodemi Ioan. 7. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso & cognouerit quid faciat?* Plerique enim è Iudæorum primoribus œstro malignitatis acti Christum inauditum damnabant. Repulit eos Nicodemus negans id esse legi consentaneum. Quibus verbis sunt qui putent eum

respexisse ad varia Instrumenti veteris loca, quibus iubetur audiri qui iudicium est subiturus. Eiusmodi est illud Deuteron. 2. ad iudices. *Audite illos & quod iustum est iudicate, siue sit ciuis ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum.* Affine est illud à Zozimo Papa in Pelagij causa prolatum : nam cùm Pelagius nondum tunc compertus hæreticus à quibusdam Præsulibus absens & inauditus damnatus esset, obstitit Zozimus proferens illud è veteri Instrumento ; *Non credas auditui vano.* Subdítque Zozimus ante adhibitum iudicium & auditum ac discussum reum, auditum fore vanum, & in Scriptura improbatum, quantuscunque sit aduersus reum rumor: idque ait à Sapiente moneri cùm ad illa anteriora verba subiecit, *non eris cum pluribus in malitia, & non accipies per eos peccatum.* Itaque de Scripturæ sententia iuxta Zozimum non sufficit alios aduersus reum audire, quod est ex solo auditu iudicare, sed oculi adhibendi sunt, qui fideliores sunt auribus. Hoc ex Philone tractante Dei descensum ad confundendos ædificatores turris Babel, est demonstratum. Et idem latè illustrat Conradus Ritershusius ad Oppiani Cynegeticum *a*.

a lib. 3. pag. 92.

Audiendus ergo coram est ipse reus & interrogandus, quod est ex visu & auditu immediato iudicare, quò Zozimus illud quoque refert ; *Quæ viderint oculi tui loquere.* Ante reum verò interrogatum, & ex visu siue coram exploratum, auditus de eo vanus est, & auersandus quantuscunque demum sit, improbatúrque iuxta Zozimum eo Scripturæ loco, *Ne credas auditui vano.*

Video alios quoque auditum illum vanum meritò improbatum sic accepisse. Ita enim Philo loco proximè annotato, itemque alibi *b* informans iudicem. [Ergo, (inquit,) ante omnia lex præcipit iudici, caueat ne vanam narrationem auribus accipiat, quasi dicat; Heus tu, cura vt aures perpurgatas habeas: purgabuntur autem, si sæpiùs eluantur doctis sermonibus, & excludas vanas, vulgò protritas damnatásque fabulas figmentorum poëticorum, scenicorúmque res nihili multis verbis exaggerantium ; quin & aliud quiddam idem præceptum admonet ab expositione peiore nihil discrepans. Qui auritos testes, inquit, accipit, vanè, non sanè accipit : nam oculi rebus ipsis interueniunt, & contrectant quodammodo negotia, totáque percipiunt, adiuuante luce per quam illustrantur, deprehenduntúrque omnia: aures autem, sicut rectè dicit quidam è veteribus, minùs fidei habent quàm oculi, vt quibus non cum rebus ipsis sit commercium, sed cum sermonibus rerum interpretibus non semper veritatem sectantibus ; quod legis caput mihi videntur quidam è Græcis Legislatoribus desumpsisse, è sacratissimis Mosis tabulis, interdixisséque ne ex auditu feratur testimonium, quòd quæ quis vidit certa iudicanda sunt, quæ verò audiuit non perinde firmæ fidei.]

b lib. de Iudice.

Eodem modo auditum illum vanum intellexit Theodoretus sic scribens *a*. [Ego illos obtestor, qui iactatis in nos mendaciis permoti sunt, vt reo alteram aurem seruent, nec ambas accusatori tradant: sic enim diuinam legem imp'ebunt quæ disertè clamat; *Non suscipies auditionem vanam*, &, *Iustum iudicium iudicate inter virum & proximum eius.* Propterea enim diuina lex præcipit non credere calumniis in absentes, sed præsentibus reis iudicare.]

c epist. 145. in fine.

Alius Scripturæ locus quem pro auditione reorum iudicio præmittenda adducit Zozimus, habetur c. 11. Ecclesiastici vbi Siracides sic loquitur; *Priusquàm interroges ne vituperes quemquam & cùm interrogaueris, corripe iustè.* S. Aug. *d* eum locum accepit in eundē sensum, & consonare legem naturalem, omnésq; Scripturas, his

d serm. 102. de tempore ad finem.

his verbis tradit. [Maxima pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur,cùm tamen non ita se velit ab aliis iudicari,quomodo vult alios iudicare.Propter hoc Scriptura diuina admonet, dicens; *priusquam interroges,ne vituperes quempiam,& cùm interrogaueris, corripe iustè.* Omnis homo priùs se vult interrogari,& postea si reus est, patienter tolerat reprehendi: & quod nobis omnes ab aliis volumus fieri,iustum est vt hoc in aliis studeamus implere. Prius eum cum patientia interrogemus,& solliciti simus, & cum aliquid certius agnouerimus,tunc aut si mala sunt reprehendere, aut si bona defendere valeamus:propter illud quod scriptum est;*Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Hæc est enim lex & Prophetæ.*]

Sequitur eodem loco apud Siracidem.*Priusquam audias,ne respondeas verbum.* Quem item locum ad rem præsentem facere docet Rabanus hanc glossam adhibens. [Qui iudicare proximorum facta, priusquam plenè causam vtriusque partis dignoscat,inordinatè festinat,se confusione dignum demonstrat,quia magis pertinacem quàm prudentem se esse probat.] Eodem modo locum illum accepit Nicolaus I. respondens consultis Bulgarorum *a* allegans S.Hieronymum, qui sacræ Scripturæ concordans,ait; [Priusquam audias,ne iudicaueris quemquam; atque ante probationem accusationis illatæ, neminem à tua communione suspendas; quia non statim qui accusatur reus est,sed qui conuincitur criminosus.] Præiuerat S.Damasus *b*, qui tametsi profitetur se allegare Salomonem, tamen reipsa adducit Iesum Sirach. Id quod æquè fecerunt benè multi Patres, quorum ad triginta adducit Cornelius in proœmio ad Ecclesiasticum *c*. Ortum id esse de quadam operum vtriusque similitudine affirmat S.Augustinus *d*. Itaque S.Damasus ita in rem præsentem disserit.[Eorum qui accusantur causas discutere liceat priùs,quàm per querelantium institutiones vocati canonicè ad Synodum veniant,& præsens per præsentem agnoscat veraciter, & intelligat quæ ei obiiciuntur. Quod benè & per sapientiam Salomonis dicitur; [Antequam scruteris ne reprehendas: intellige priùs, & tunc increpa: antequam audieris, ne respondeas.] Et licèt apertissima sit contrariorum reprehensio,veruntamen oportet his qui dati sunt ad eorum examinationem,ordinem seruari ab iis qui secundum Deum perscrutari deputati sunt, quatenus ita cum operatione cooperante inueniamus & confessorem Deum,qui dicit, *Vbi duo sunt vel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.* Consentit cum antedictis illud quoque ex Prouerb. 12. & æquè videri potest alludisse eò Nicodemus qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est. Corruptè aliqui legunt, *index iustitia*, putantque sensum esse,iustum & æquum iudicem non priùs loqui iudicium,quàm vtramque partem audiuerit,& causam diligentissimè inuestigarit. Ita Hugo ibi. Retenta tamen syncera lectione, qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est; verè iustitiam indicat & enunciat qui non nisi post rem benè perspectam, & vtramque partem auditam pronunciat de re quapiam,ac præsertim si in damnum tertij ita se gerat: idcirco enim Deus binas nobis aures concessit vtrimque locatas, vt pars vtraque audiri posset: κριτήριον verò & linguam iudicatorij naturalis interpretem tanquam lingulam bilancium,rem vtrimque æstimantium esse voluit,vt disceremus non vnam solùm partem audire, sed vtramque appendere in statera iusta,ac sic denique iudicium proferre.

a cap.71.

b epist.7.

c cap.2.

d lib. 2. doctr. Christ.c.8.

Alius Scripturæ locus ad rem noſtram à Lucifero Calaritano *a* accommoda-
a lib. 1. pro S. Athanaſio. tur, vt proinde in eum quoque ſpectare potuerit Nicodemus, negans legem Hebræorum de quoquam inaudito iudicare. Locus eſt ex 2. Paral. 19. vbi Ioſaphat iudicibus inculcat vt iudicent iudicium Domini. Sic igitur Conſtantium alloquitur Lucifer Ioſaphati monitum vrgens: [Nunquid negare poteris te dixiſſe, Damnate Athanaſium abſentem inauditum. Ioſaphat Deo dicatus rex Iudę dicit ſecundùm Domini iudicandum legem, & tu dicis in apoſtaſiam conuerſus Rex: Damnate inauditum. Pone interea Conſtanti hodie in corpore eſſe Ioſaphat regem & vtroſque vos dicere ad nos; ille quidem hæc, videte quid vos facietis; non enim homini indicabitis, ſed Domino, & vobiſcum eſt in verbo, & nunc ſit timor Domini ſuper vos, vt ſeruetis & faciatis: neque enim eſt cũ Domino Deo noſtro iniquitas, neque perſonæ acceptio; tu contrà, eſſe damnandum dicas inauditum.]

Quid ſi verò quis dicat Nicodemum reſpexiſſe grauem & fortem ad Iudices conteſtationem Pſal. 81. ferè integro comprehenſam, quam nonnulli Agellio teſte, vel Ioſaphati Regis Iudæ tempore editam, vel eius tempora prædicere cenſuerunt? Scopum ſiquidem illius Pſalmi Theodoretus & Bellarminus, præter cæteros, rectè dixerunt, eſſe, admonere, & ex perſona Dei iudicis ſupremi conteſtari iudices vt rectè iudicent, declinãdo iudicij iniquitatem, & omnia quibus iudicium vitiatur, cuiuſmodi eſt faciem peccatoris ſumere, pauperem & egenum de manu peccatoris non liberare, ſed maximè neque ſcire, neque intelligere de quo feratur iudicium, in tenebris ambulare, dũ abſque cauſæ diſcuſſione, & partis vtriuſque auditione ferunt ſententiam in gratiam potentis; vnde conſequitur turbatio &
b 2. Reg. 15. commotio orbis terræ, vt reuera contigit, cùm populus à Dauide defecit *b* perſuaſus arte Abſalonis, Dauidẽ cauſis ſubditorum cognoſcendis ac diſcutiendis operam non dare. Id verò indigniſſimum eſſe conteſtatur Pſalmi auctor ex perſona Dei: quia cùm iudices iudicium Domini iudicent, ideſt, Dei partes in eo munere obeant, & perſonam ſuſtineant, tamen adeò malè reſpondeant diuinæ erga ſe dignationi qua euecti ſunt in Dei ipſius vicarios, vt ſicut vnus primorũ hominum Deo ingratorũ iuſto Dei iudicio ſint feriendi, aut ſicut vnus de principibus Apoſtaticis caſuri ſint à ſummo ad imum, & à magna gloria ad ſummam infelicitatem deiiciendi. Obſignatur Pſalmus aduocatione diuini auxilij aduerſus iudicum iniquitates, eámque nominatim qua neſciunt neque intelligunt, cauſa videlicet indiſcuſſa, & vtraque parte nõ audita ferẽtes ſententiã. Quoniam igitur ipſe Deus hęres eſt vniuerſorũ, id eſt, verus & naturalis Dominus, prout ſonat ea phraſis Hebr. 1. rogatur vt dignetur oppreſſos ſubleuare, & iniquos iudices in gratiã diuitũ parte altera inaudita abutentes iudiciaria poteſtate Dei ipſius vicaria, coërcere atque comprimere.

Ad hæc aliáue eiuſmodi Scripturæ loca videri poteſt reſpexiſſe Nicodemus, cùm dixit legẽ Iudęorũ neminẽ iudicare, niſi priùs audierit ab ipſo & cognouerit quid faciat. Quãquã graues interpretes, & nominatim Maldonat. ac Tolet. negãt Nicodemum locũ vllũ legis ſcriptę proferre voluiſſe, ſed tãtùm, (quod ad rẽ noſtrã perinde eſt,) allegaſſe conſuetudinem, quæ apud Hebræos non tã ex ſcripta, quàm ex naturali lege vigebat neminẽ damnãdi priuſquã audiretur. Et hanc ob cauſam qui aliquãdo à receptiſſimo illo vſu deſciuerũt, malè apud Hebræos audierũt, nõ modò Flaccus & Herodes (vt ſuprà ex Philone & Egeſippo retulimus) homines truculẽti & belluini, ſed etiã vir cęteroqui optimus & Hebręis aliàs acceptiſſimus:

ceptissimus:Dauidē dico,quē sugillant iniustitiæ quòd Miphibosethum inauditū media bonorū parte multauerit,ad falsam Sibæ ingratissimi mancipij criminationē.Et Hebręos secuti Abul.*a* Caiet.atque Rikelius,Dauidē ea in parte grauis peccati nec vnius insimulare non sunt veriti. Quinetiam Hebræi, referente in traditionibus Hieronymo *b* ob tam crudele Dauidis iudicium erga Miphibosethum inauditum, & violatam fidem patri eius Ionathæ datam, asseruerunt regnum Dauidis sub Roboamo Dauidis nepote scissum fuisse. Quod nonnulli Rabbini firmatum volunt, voce de cœlo missa, itavt cum Dauid inaudito Miphibosetho eum damnauit,dicens; *Tu & Siba diuidite possessiones*, audita sit vox de cœlo dicens, *Roboam & Ieroboam regnum diuident.* Refert ista Abulensis *c*, quorum fidem non præsto; vt neque Dauidem probrorum quibus ab Hebræis oneratur reum facio, imò alibi defendo, & hac iniustitia eximo. Tantum itaque expendo sensum Hebræorum de damnatione rei ipso inaudito, qua labe Dauidem inspergunt, nec tenuem esse confirmant.

a 2.Reg.16. q.6 & c.19. q.29.
b in tradit. 2.Reg.19.
c 2.Reg.16. q.31.

§. 15. *Ethnicus damnatio inauditi, visa iniquissima.*

Transeo ad Ethnicos, quorum in hac re vsum prodit mos illis plerunque communis cum Iudæis, nimirum exercendi iudicia de die & ad vrbium portas. Nam quod attinet ad tempus, iudicium apud Romanos non poterat ferri in tenebris, itavt senatusconsulta quæ noctu fierent, irrita essent, vt Polletus *d* Bretúsque *e* notauit, & sententiam noctu latam non valere statutum est *l.* 2. §. *& quia ff. de orig. iur.* Oratoribus quidem aliquando facultas fiebat protrahendi actionem in noctem accensis funalibus, vt Theophanes apud Plinium in causa Bassi dixit in noctem & illatis lucernis: ordinariè tamen nox vt prælia, ita & actiones dirimebat, vt Plinius *f* de actione sua per tres horas & dimidiam producta loquitur. At sententia nullo modo valebat noctu lata.Idque est quod Ammianus Doryphorianum *g* arguit, eo quòd de Anepsia, & Aginatio noctu iudicium instituisset. Et vt plenè discussa esset nox, vetitum fuisse iudicia exercere ante primam diei horam,Dio *h* confirmat,& lege constitutum demonstrat. Et quod Suetonius Augustum nonnunquam ius noctu dixisse ait, extra morem de absoluta potentia Principis omnibus legibus soluti factum, non est ad alios iudices trahendum. Areopagitas apud Græcos noctu iudicia habuisse,vt per eas tenebras nullius se personam respicere testarentur, proditum est. Hoc tamen vt alia nonnulla prærer communem vsum,singulare illis fuit: passim enim cæteri Ethnici iudicia obibant de die. Id quod etiam de Hebræis monstrat Agellius *i* expenso vsu Dauidis, qui manè se astiturum Deo, & causam suam acturum aduersus hostes coram incorrupto iudice confirmat. Idémque se iam Regem in matutino interfeciisse omnes peccatores terræ, lata aduersus eos iusta sententia contestatur. Quorsum autem tam constans, & vbiuis ferè receptus vsus obeundi de die iudicia, nisi quia iudicium non debet esse negotium perambulans in tenebris, sed in eo clara luce, nihil timendo sententiæ latæ per quoscunque criticos notitiam, est ambulandum.

d lib. 1. de foro Rom. c.11.in fin.
e l.de antiqno ord. iudicior. c.7.
f lib.4.
g lib.28.
h lib.39.
i in psal. 5. v.3.

Eodem modo differendum est de loco iudicij qui erat maximè patens, nempe in publicis portis: id enim Scriptura passim tradit & de Hebræis & de aliis. Cain dictum est *k*, *Statim in foribus peccatum tuum aderit.* id est illico iudicaberis & damnaberis. De muliere forti dictum est *l*; *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.*Inter alia innocentiæ suæ argumenta Iob *m* illud profert; *Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in*

k Gen 4.
l Prou. 31.
m Iob 31. 21.

a 19.mor. c.13. *porta superiorem.* Sunt huiusmodi alia sexcenta quæ S. Gregorius *a* eo pertinere putat, vt significaretur, lites & iurgia litibus adiuncta extra vrbes ablegari. [Mos, (inquit,) veterum fuit, vt seniores in porta consisterent, & causas introeuntium iudicarent, quatenus tanto esset pacificus vrbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non licerer.] S. Hironymus ad illud Zachariæ *b*, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Rationem enim cur iudicia in portis exercerentur, fuisse ait, [ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium. Iudices in portis residebant, vt tam vrbanos quàm rusticos in exitu & introitu vrbis audirent; & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.] Existimarim tamen non minùs aptè philosophaturum, qui dixerit idcirco iudicia in vrbium portis institui solita tanquam in loco patentissimo, & Soli maximè expositio atque omnibus frequentato, vt omnibus de iudicij æquitate constaret, & nemo clanculum opprimeretur, data omnibus tutari volentibus facultate pro reo agendi: ex quo fieret vt nemo inauditus ac indefensus, (quod in occultis confessibus timendum foret,) tanquam reus traduceretur.

b cap. 8.

Sed quid attinet sensum Ethnicorum de iniquitate damnationis hominis inauditi ex eo vsu expiscari, cuius finis à variis varius est assignatus, cùm extent strues & acerui testimoniorum, quibus hoc ipsum disertè proditur? Clemens Romanus *c* splendidè his verbis hoc tradit. [Contemplamini iudicia secularia, quorum potestate videmus trahi parricidas, adulteros, venefícos, sepulchrorum violatores, latrones: hi enim statim vt ab eis qui reos in iudicio sistunt, quæstiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipso an ita se res habeat: ille verò si ait, non statim mittitur ad supplicium, imò pluribus diebus cum multa deliberatione ac consultatione, & interiecto velo, inquiritur in eum. Postremò, qui suffragium de capite contra eum laturus est, sublatis manibus solem testatur, innocentem se esse, ac mundum à sanguine hominis illius. Itaque isti quamuis Gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque sciunt vindicari à Deo eos, qui innocenter condemnati sunt, tamen cauent: vos verò qui scitis quis noster Deus sit, & qualia eius iudicia, quomodo poteritis iudicium vestrum per violentiam & impetum pronunciare, cùm illico illud pateat Deo?] Audi non priùs ab Ethnicis damnatos reos quàm præcessisset interrogatio an res ita se haberet, & multa per plures dies exercitatio quæstionum, idque velo interiecto. Quorsum hoc? An ad iudicij maiestatem? Constat ex eo fine testandæ maiestatis, & conciliandæ reuerentiæ prætenta fuisse sacris liminibus vela quorum sæpè meminit Sanctus Paulinus *d*, vt cùm ait,

c 2.const.lt. c.51.aliàs 56.

d Natali 3. S.Felicis.

Aurea nunc niueis ornantur limina velis.

e Natali 6. S.Felicis. Et alibi *e*.

——Qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus.

Leonem III. varia huiusmodi vela alba, holoserica, Tyria, rubra ad Sancti Petri & B. Mariæ sacras ædes appendisse scribit Anastasius. De huiusmodi velo loquebatur Sanctus Clemens *f*, cùm admonebat ne quis velo atrij domus Domini, quippe Sancto manus abstergeret. Et S. Hieronymus cùm laudat Nepotianum de sollicitudine, vt vela semper essent in ostiis. Nec in foribus duntaxat totius templi vela erant ex fine proposito, sed etiam ante altaria, & ante

f epist.2. ad Iacob.

sacrarium,

sacrarium, vt multis exemplis illustrat Rosuedius ad S Paulinum *a* expendens nominatim quæ dicerentur *Amphithyra Hunnica*: quale auro ornatum à Chosroë missum ad S.Sergij sacrarium operiendum scribunt Euagrius *b* & Nicephorus *c*. Et verisimile est fuisse velum, quod hinc inde reduci posset, ac prospectum vel aditum quasi per geminas ianuas concedere ab Hunnis certo gentis artificio confici solitum. Ex eodem fine conciliandæ maiestatis ac reuerentiæ, quia quod omnibus pater faciliùs vilescit, prætendi solita ostiis Regiorum conclauium vela; quæ purpurea fuisse,& cortinarum quoque nomine dicta affirmat Iacobus Rœuardus *d*: quem tamen vela rationem tituli habentia ad occipiendam possessionem ab aliis velis non distinxisse nullatenus dubito. An igitur ex hoc fine interiectum iudiciis velum? Num idcirco celata velo tribunalia,quod iudices priusquam sententiam ferrent non dignarentur reos facie sua, sed iis à conspectu repulsis per interpositas tantùm personas cum eis agerent, existimantes se polluendos conspectu hominis scelere insimulati? Sicut olim tempore minusculæ ætatis Sancti Gregorij, Iudæi nullo modo admittebantur ad conspectum Rom. Pontificis.

a Natali 3. S.Felicis.

b lib. 6. c.20.

c lib.18. c.12.

d lib 5. variar.c.11.

Morem illum reos à conspectu iudicum repellendi habeo ex Sancto Chrysostomo *e* ad illud, *Vocauit Dominus Deus Adam*, vbi sic habet. [Vel ex ipsa interrogatione hac dignum est, vt obstupescamus ad eminentem Dei misericordiam: non solùm quòd vocauit, sed quòd per seipsum vocauit; id quod homines facere nunquam ferrent inter se, licèt eandem naturam sortiti sint: scitis enim cùm iudices in alto solio sedent, suppliciisque malefactores afficiunt, nec suo eos responso dignantur, hoc ipso ostendentes illis quanta ignominia sese aspersérint suis flagitiis: & iudex quidem respondet, sed alius quispiam à iudice hæc excipiens, reo annunciat, & iudici quoque quæ reus dixerit. Et hic fermè vbique iudicantium mos est. Verùm Deus non sic agit, sed quomodo? Et vocauit Dominus Deus Adam.]

e hom. 17 in Genes.

Tametsi Chrysostomi verba significant æuo quoque ipsius, atque adeò inter Christianos, quales tunc magna ex parte iudices erant, viguisse morem illum iudicandi obducto sipario: tamen non erat is mos recèns inductus, sed deriuatus ab Ethnicis, in quorum sellas subiuerant Christiani. Ita igitur esse videri potest quod de obductione veli siue cortinæ inter iudicandum tradebat Clemens.

Sint hæc omnia non inuerisimilia; genuina tamen ratio velum obducendi tribunalibus erat, vt audito per tertium reo, & qui eum tegebat patrono, soli iudices intra secretarium oppasso velo rem maturè considerarent, & causæ momenta excutientes quàm diligentissimè,possent tutò & iustè de reo pronunciare. Sic in actis SS.Claudij & Asterij ac Neonis Lysias Præses auditis SS. Martyribus pronunciaturus de eis [introgressus obduxit velum, & pòst exiens ex tabella recitauit sententiam.] Quæ verba desiderantur in actis quæ Surius exhibuit *f*.Habentur enim in illis actis horum SS.Martyrum quæ Baronius anno 285. repræsentauit. Similiter lacuna est in actis S. Euplij Diaconi, quæ apud Surium leguntur cùm de eius S. Martyris damnatione per Caluisianum Consularem agitur. Apud eundem verò Baronium anno 303. ita habetur. [Caluisianus intra velum interius ingrediens, sententiam dictauit, & foras egressus, afferens tabellam legit. Euplium Christianum edicta Principum contemnen-

f 13.Augusti,

tem,

tem, Deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animaduerti iubeo.]

Ex his locis apparet cur velum obduceretur iudici ad ferendam sententiam. Id quod perspicuè etiam liquet ex Sancto Basilio *a*, qui se inauditum damnatum expostulans, ait, [Si qui rerum in hoc mundo potiuntur quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi; cortinas obducunt,& expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multúmque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multúmque ingemiscentes,ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt quòd non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio, condemnationis inferant sententiam: quam oportebat maiore diligentia, cura, pluriúmque consultatione dignum reputari, si quis sese à fratrum amicitia, iam longo tempore confirmata auellere conetur?]

a Epist. 79.

E contrario autem cùm res magnam deliberationem non exigebat, sed breui expedienda erat causa, indicebatur iudicium leuato velo, vt Imperatores Honorius, & Theodosius edixerunt circa iudicia de naufragiis; quorum mentem plerique Iurisconsulti non perspexerunt, sed perspexit Bartolus *b* qui hanc ei legi rubricam præfixit. [Cum de naufragiis quæritur, summatim examinabitur.] Miserati enim sortem eorum Imperatores, noluerunt, vt in causis iuris ambigui longas moras necti intra velum deliberando, & causam discutiendo priusquam sententia ferretur, sed confestim decidi negotium velo non interiecto. Vir doctissimus Petrus Monodus in affecti operis Hierologij fragmentis scriptum reliquit videri sibi ex hac iudicialis veli consuetudine tractum verbum *reuelandi*, cuius primaria significatio ad tribunalia pertinet, in quibus sententia aduersus reos extra velum ferebatur, reuelatis, id est publicè expositis eorum criminibus. Addebat haustum hinc inde videri titulum libri Apocalypseos, quem ad iudicium à supremo iudice Christo in secundo aduentu instituendum spectare primariò, concors est Doctorum sententia. Erit autem magna huius iudicij & cæterorum disparitas: neque enim, vt hîc in iudiciis capitalibus assolet, longæ consultationes ad causæ discussionem interponentur, sed in momento, in ictu oculi canente tuba ex 1. Cor. 15. vti moris est cùm præco sententiam promulgat, leuato velo, id est summariè feretur damnatio, vel præmium pro benefactis decernetur: quamuis enim apud nos graues causæ ob fusciositatem iudicum longas moras deposcant, tamen vbi Christus sapientia patris iudex est, iudicium est Apocalypsis, seu reuelatio: in quo sensu eam vocem vsurpasse videtur Apostolus Rom. 2. dicens ad impium, *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Tametsi singularis, nec fortassis scopo Apostoli consentiens, tamen ingeniosa & acuta obseruatio.

b l. de submers. tit. de naufrag.

§. 16. *Sigillatim de improbata apud Græcos inauditi damnatione.*

Satis de Ethnicorum in hanc rem sensu vniuersè; nunc sigillatim aliquas inter eos gentes attingamus, & quid illis visum de iniquitate iudicij inaudita parte altera aperiamus. Græcorum sensum monstrat responsum Phocionis,qui cùm reus maiestatis ageretur,& per cõfertam plebem inimicam auditione prohiberetur, atque adeò etiam defensione, tantùm denique voce contendit, vt perciperetur dicens, *Iurène an iniuria me damnatum vultis?* Respondentibus illis; iure. Reposuit. *Hoc quî præstabitis nisi me audieritis?* Initium orationis Prohæresij apud Eunapium in Iuliano *c*, bellè respondet dicto Phocionis. [Si-

c in fine.

quidem,

quidem,(inquit Prohæresius,)impunè licet calumniari, fidémque acquirere inaudito altero, esto sit ita Themistoclis ciuitas.] Quasi diceret, si omnia iura vultis euersa, & omnem honestatem profligatam, ita sanè fiat vt homo inauditus damnetur. Annumero Ethnicis Prohæresium reclamante licet Iureto *a*, qui eum Christianum facit; quia Ethnicum fuisse effusus in eius laudes Eunapius homo Ethnicissimus persuadet. Et nominatim hunc de eo sensum firmat magicum memoriæ in eo miraculum, & auditores pectus illi circumlambentes, manúsque ac pedes deosculantes præ afflatu magico quem eis inhalabat. Hic igitur Ethnicis citra dubium accensendus clarè damnat sententiam ferri inaudita parte altera. Eiusdem furfuris homo (quippe & Ethnicus & magus Apollonius Tyanæus, referente Philostrato *b*, vbi vidit Domitianum ex præconceptis suspicionibus accingi ad damnationem & inauditi,& indefensi,contestatus est probrosissimum & iniquissimum esse,& contra omnia iura pugnans, damnare inauditos, & quibus sui ipsorum defensio sit negata: tantum denique tribuere accusatoribus, vt non audito reo qui impetitur, sententia de eo feratur. Nihilo melior Apollonio Lucianus *c*, confirmat iniustum, sceleratum, impium, in summa damnosum rebus communibus esse calumniatorem: quia iustus æqualitati studet qua iustitia continetur. [Qui verò clanculum absentem insectatur, æqualitatis metas egreditur: quippe auditorem sibi totum asserit, aures eius anteuertit, obstruit, & inuias responsuro calumniis refertas, efficit. Ea sanè extrema est iniuria, vel optimorum legumlatorum iudicio Solonis, & Draconis, qui iureiurando Senatum Athenienſem adstrinxere, vt pari beniguitate, gratiáque, tam reum quàm actorem iudex audiat, dum alterius causam honestiorem intelligat: Scelestum & crudele iudicium esse si quid statuatur antea quàm cum accusatione comparata sit defensio. Ad hæc sibi malè propitios Deos reddunt iudices isti, qui cùm accusanti aures liberè indulserint, reo denegant, aut præstigiis capti delatoriis mussitantes condemnant.]

a ad libellum 1. S. Ambrosij.

b lib.7.vitæ c 14.

c dialog. de calum.

Ac ne Solonis & Draconis optimorum Legislatorum fides vacillet, addit Lucianus optimi Poëtæ scitam sententiam, imò legem sacrosanctam.

Nec nisi librato dirimat sententia litem,
Parte quid ex vtraque queat examine causa.

Nimirum Vates intelligebat ex omnibus nullam esse neque grauiorem, neque audaciorem iniuriam quàm indicta causa quenquam mortalium damnare. Id verò ex omni parte calumniator molitur, vti cum furore ac vecordia hominis coram quo res agitur indefensorum partes suas clancularia sectione arceat.

Optimus Vates à Luciano allegatus Phocyllides est, eius quippe sunt versus illi,quorum,principium est, μήτε δίκην. Eóque respexit Tullius *d* admonens amicum; [obserno illud μήτε δίκην præsertim à te à quo nihil vnquam vidi temerè fieri.] Hoc effatum Tullius ibi vocat ψευδησιοδεῖον, quia falso attribuitur Hesiodo, cùm sit Phocyllidis, quem sapientem fuisse testatur Aristophanes in Vespis, cuius illa sunt

d lib.7. ad Attic.

Ἦσαν σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκε πρίν ἄν
ἄμφοῖν μυθον ἀκούσῃς
Οὐκ ἂν δικάσαις.

Hæc latinè sic sonant,

Sapiens fuit quisquis dixit
Prius ac partem audias vtramque
Ne iudicem agas.

a serm. 44. Ab Euripide *a* idem sic effertur in Heraclidis ex Stobæo

Τὶς αὖ δίκην κρίνειεν ἢ γνοίη λόγον
Πρὶν αὖ παρ' ἄμφοιν μῦθον ἐκ
μαθὴ σαφῆ.

Latinè sic dixeris,

De lite quinam iudices, aut quî queas
Pernosse rem prius atque partem audiueris vtramque?

b lib. 7. c. 2. de sapienter dictis & factis. Apud Lacedæmonios Lycurgus Valerio teste *b* legem tulit, ne quisquam inauditus & indefensus damnaretur. Idem cautum ab Athenienſibus & iureiurando à iudicibus firmatum, referente Demosthene *c* qui addit; [Verba illa iuramenti, *eadem ratione vtrumque esse audiendum*, non hoc modo volunt, nullum præiudicium esse afferendum, aut par vtrique studium præstandum, sed illud etiam eum reo cuique defensionis ordinem quem ipse voluit ac delegit esse permittendum.] Tantum abest vt reus opprimi debeat, & inauditus ac indefensus damnari possit. Eiusdem iuramenti de audientia à iudice vtrique parti præstanda meminit Plato *d* verbis illis. [Quo pacto quispiam aut ius rectè dicere, aut homines decenter iudicare possit, qui non vtrumque aduersariorum audierit? Sermones enim quemadmodum purpura & aurum, meliùs diiudicantur si conferas inuicem. Nam cuius rei gratia vel dicendi tempus aduersariorum vtrique conceditur, aut cur iudex vtrosque se similiter auditurum iurat nisi existimasset legislator, causas hoc modo iustiùs & meliùs à Iudicibus posse iudicari? Tu verò mihi videris ne vulgare quidem istud dictum audiuisse. Quídnam illud? Iudicium non antè feras quàm audiueris ambos. Atqui hoc non ita celebraretur nisi rectè decentérque dictum esset.] Medos hac in parte fuisse accuratos demonstrat quod Codinus *e* his verbis habet; [Horum (Medorum) iudices ferebant epilotica, seu superulas, & in capite lineum tegmen phaceolidem appellatum. Ex quolibet phaceolio pendebat à sinistra parte margellium, siue fimbria ex margella, alteram aurem eius qui gestabat, obtegens. Quo significabatur aurem quidem rectam accusatoribus dari, tectam verò aurem accusatis, sed absentibus reseruari. An id eos docuit, vel ab eis didicit Alexander, quem S. Basilius *f* collaudat, quod alteram auriculam reo seruandam esse admoneret. Hoc ibi tactum duntaxat luculentiùs sic refertur apud Simonem Magistrum ex eodem S. Basilio *g* in epistolis. [Necesse est iudicem alteram aurem ei qui abest reseruare, sicuti Alexander fecit: etenim illum ferunt, cùm quidam obtrectaret familiari suo, alteram quidem aurem præbuisse calumniatori, alteram verò manu diligenter obturasse, quo nimirum declararet, oportere eum qui iustè iudicaturus est, non totum se à vestigio vni parti tradere, sed partem auditus integram atque sartam, ei qui non adest, seruare.]

c orat. de corona initio.

d in Demodoco.

e Itē apud Medos ac Persas lib. de offic. Constantinop. c. 6. n. 47.

f epist. 54.

g orat. 10. quæ est de inuidia.

Medis ac Persis pleraque fuere communia. Itaque Persas, vt de Medis vidimus inauditum quempiam damnare horrificum duxisse, docet Brissonius *h* allegans affatus Cybeles ad Arsacem Reginam, qui ab Heliodoro *i* describuntur in Æthiopica historia. Percupidam enim necis Charicleæ innoxiæ Reginam admonet Cybele opprimendam esse veneno; nam si apertè impeteretur conatum

h lib. 2. de Reg Pers.

i lib. 8.

tum irritum fore, cùm legibus Persarum nemo capitali sententia feriri posset indicta causa, & quidem adhibitis in consilium proceribus & regni Magistratibus, spes non affulgeret causa discussa & innocentia deprehensa damnaturos innoxiam. Et ita reipsa non ita multo post ex iisdem Persarum legibus de procerum & Iudicum consilio tentauit Regina instituto iudicio perdere quam exosam habebat ob subsecutam casu fortuito mortem Cybeles quæ improuidè hauserat venenum per ancillæ pocillatricis errorem quod Charicleæ apparauerat.

§. 17. *Ius Romanum contra inauditi damnationem.*

Romani hac in parte fuere religiosissimi: collaudat eos ex hoc capite Philo *a*, dicens, redeuntibus è prouinciarum administratione, iudicibus, si accusarentur à Prouincialibus cum de aliis sceleribus, tum de suppliciis quæ indemnatis irrogassent; [Tunc æquos se præbendo iudices, & auditis examinatisque partibus de nemine iniudicato, ferebant sententiam, nec in gratiam, nec in odium pronunciando, sed quod iustum videretur.] Verri, sanè Præsidi iniquissimo Tullius id crimini dat *b* quòd inauditos causâ indictâ damnasset. At Festus præses, vt scribit Lucas *c* Regem Agrippam de Pauli vincti rebus docens, vsum Romanum à belluini illius Siculorum prædonis moribus procul abfuisse his verbis tradit. *Vir quidam est derelictus à Felice vinctus, de quo cùm essem Ierosolymis, adierunt me Principes Sacerdotum & Seniores Iudæorum postulantes aduersùs illum damnationem. Ad quos respondi, quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem priùs quàm is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Erasmus Iudæos eximens impudenti postulatione quam præferunt verba vulgatæ editionis quæ habet postulatam ab eis Pauli damnationem, obseruat Græcè haberi δίκην, quæ vox *causam* & *litem* significat. Itaque sensum esse putat, Iudæos postulasse cognitionem & discussionem causæ per Festum. Quis enim, (inquit Erasmus,) à Iudice postulat rei damnationem indictâ causâ? Postulabant ergo Iudæi, iuxta Erasmum, vt lis agitaretur saltem specie tenus, sicque Paulus ficto iuris prætextu damnaretur: sed aberrat omnino Erasmus à veritate; quem enim latet Iudæos aduersus Christum postulasse damnationem indicta causa & obtinuisse? Idipsum ergo nunc contra Paulum quoque deposcunt, vt ex Festi responso est manifestum: erit enim planè ineptum, & extra rem si dicantur Iudæi causæ cognitionem aduersus Paulum flagitasse. Neque sanè illis posset Festus denegare quod à Romanis non solere prætermitti contestatur. Quamuis autem δίκη interdum cognitionem, & discussionem causæ sonet, tamen aliquando executionem quoque cognitionis iudicialis, & mulctæ irrogationem significat, itavt idem fit δίκη quod κατάδικη, quomodo etiam disertè hîc scriptum haberi in duobus codicibns affirmat ad hunc Actorum locum Theodorus Beza meritò Erasmum hac in parte abiiciens, & postulatam Pauli indicta causa damnationem confirmans, vt proinde aptè postulato quadret responsum Festi negantis id sibi licere vetante vsu Romano. Collaudat hanc Festi æquitatem Lucifer Calaritanus *d*. [Sed hæc, (inquit,) sic ego sæpè repeto, tanquam etiam ipse cùm interdum vacas à furoris stimulis, non consideres omnibus te modis ita à iustitiæ regula exorbitasse, & nec in Actibus Apostolorum videre potueris, petentibus Iudæis ad Paulum necandum beatum, hominem Gentilem Præsidem Festum minimè cœtui Iudæorum commodasse assensum, sed tam

a l. in Flac.

b Actio 2.

c Act. 25.

d lib. 2. pro S. Athanasio.

ipsos, nec non & Paulum se in vnum auditurum esse pollicitum: Gentilis seruauit æquitatis ius, tu verò destruxisti: aut æquitas est damnare inauditum, interficere absentem, audientiam verò negare iusto.]

a Act. 16. Apostolus ipse *a* eum morem Romanum pro se allegauit expostulans quòd se ac Silam socium cæsos & indemnatos in carcerem contrusissent. Rursúsque

b c. 22. alibi *b* queritur quòd se accingerent ad flagella homini Romano ac indemnato inferenda. Vtrobique est ἀκατάκριτος: quæ vox perspicuè fert defuisse discussionem per allegationem vtriusque partis, hinc accusatore criminationem vrgente, inde reo impactam sibi dicam depellente: cæteroqui enim si *indemnatus* sonaret *non damnatum*, haudquaquam quadraret ea vox in Pauli expostulationem. Et liquet, Paulum fuisse ab eis damnatum, id est, pœnæ addictum, quod ex vsu Romano non licebat fieri indicta causa.

Dixit ex hoc perpetuo Romanorum more Romæ degens Poëta ex persona

c Actu 2. Medeæ *c*,

Qui statuit aliquid parte inaudita altera
Æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.

d in legat. Caio Imperatore quid truculentius? Legatur Philo *d* & eius vitam totius improbitatis cloacam fuisse constabit. Is tamen reueritus patrium morem inuariatum, quamuis percuperet Flaccum perdere, non est ausus inauditum damnare. Audi Philonem de Flacco. [Lamponem & Isidorum sensit aduersarios, & quidem non ex æquo, sed longè præualentes, non modò iure quo fidebant, verùm etiam fauore summi Principis ac Moderatoris rerum humanarum, quem videbant Flacco inimicissimum, sed tunc sumpturum personam iudicis, ne videretur eum prædemnare ante iudicium, si non expectata accusatione, defensioneque ob priuatam simultatem ferret in eum capitalem sententiam.] Nimirum agnoscebat Caius quantumuis Brutus & exlex, si aduersus perpetuũ Romanorum morem damnaret inauditum, immanis se truculentiæ & belluinæ crudelitatis notandum. Itaque speciem iudicis assumpsit audiens & accusatores & reum.

e lib. 10. Milef. Planus Madaurensis *e* hoc ius Romanum referebat illis verbis in hanc rem insignibus. [Nec ad instar barbaricæ feritatis, vel Tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus, & in pace placida tam dirum seculo proderetur exemplum.] Dirum exemplum vocat damnare inauditum, quod cùm barbaricæ feritatis esse statuat, amolitur planè ab vsu Romano, & amandat, ad gentes efferat immanitate truculentas, si tamen huiusmodi quoad hoc erant aliquæ ritu ferino viuentes extra Romanum imperium obducta prope luce rationis, & obliterata naturæ lege insculpta mortalibus auditionem damnationi præmittendam decernente. Fuit eiusdem cum Apuleio furfuris Iulius Firmicus Maternus, non is cuius extat commentarius de errore profanarum religionum (vt

f ann. 337. Baronius *f* optimè perspexit,) sed alius fatariorum fatuitatibus addictus Mathematicus. Is igitur ex vsu Romano, cuius benè sciens erat, sic statuit;

g l. 1. c. 2. *g* [Qui quærere aliquid, aut audire noluit, nec iudicium aurium suarum vera respondentibus commodauit, veritus scilicet ne rigidas cogitationes suas fides veritatis infringeret, iniquè facit si notandum putat quicquid potuit, vel non potuit obtusa mentis intentione percipere. Iniusti sunt enim semper, sicut nouimus, Iudices qui de incognitis sibi pronunciant rebus. Non habent etiam

iudicandi

iudicandi authoritatem qui ad statuendum aliquid imperita licentia temeritatis adducantur: neque ad effectum sententiæ inexaminatis partis allegationibus proferuntur, &c. qui verò nec audire voluit, nec iudicare, frustra sibi pronunciandi vindicat partes, quia eius rei, cuius experimentum capere noluit, non est idoneus vt possit notare substantiam.] Quid plura? Legum gnarum Eusebium sub Constantio indicta causa damnatum Ammianus *a* inclamasse ait latrocinium illud esse non iudicium; & accusatorem ac solemnia flagitasse aduersus Constantij feritatem, sub quo præmiserat non defensos periisse complures. Solemnia vocat discussionem causæ rei allegationibus, si quas habet, prolatis & maturè perpensis: Nam solius accusatoris interuentus æquum iudicium non constitueret: vt enim alibi ait idem Ammianus *b*. [Quis innocens esse poterit si accusare sufficiat?] Hoc ipsum aliis verbis dixit S. Eugenia Patri suo Philippo Augustali cùm adhuc latens sub Monachi Eugenij persona apud Patrem atroci calumnia per Melanthiam pulsata præoccupato iudice contrusa in carcerem & nexa catenis ad grauia supplicia quæ expedita erant abriperetur inaudita. [Oportebat vos (ait patri Eugenia) non tam faciles aures præbere accusatoribus, neque cùm primùm audiissetis, tam citò condemnare; sed ambobus priùs auditis, deinde ferre sententiam.] Sic illa ad Romanum Iudicem ex vsu Romano.

a lib. 14.

b lib. 18.

Perantiquum apud Romanos fuisse eum morem constat lege 12. tabularum damnari quemcumque capitali iudicio vetante quin priùs audiretur, vt Tullius agens pro domo sua retulit, ac etiam Saluianus *c*. Idem sæpè traditur in antiquis prudentum responsis quæ in Pandectas & Codicem Iustinianæum sunt relata. Solemnis maximè in hãc rem est lex *de vnoquoque* ff. de re iudic. qua cauetur ne quis absens, aut non citatus dãnetur, vt videlicet causa dici & reus audiri possit. Et in titulo Digestorũ ac Codicis *de in ius vocando* necessitas citationis ob prædictam causam infigitur; éstque ea necessitas tanta, eo quòd cognitio ad iudicandum necessaria ab auditione rei pendeat, vt passim citatio habeatur fundamentum iudicij, & inter substantialia eius numeretur. Id quod latissimè prosequitur & illustrat Hippolytus de Marsiliis *d* exponens longo commentario legem illam *de vnoquoque*, & breuiùs alibi: annuúntque passim DD. præsertim Alexander de Imola *e*, Mynsingerus *f* & Schurff *g*, ac optimè Gigas *h* tractans crimen læsæ maiestatis. Ac etiam in crimine læsæ maiestatis requiri citationem idem Author *i* confirmat, ita vt ne princeps quidem, etiam Summus Pontifex possit sententiam ferre absque citatione, quæ est multorum Iurisperitorum doctrina apud Hippolytum ad legem annotatam *k*; & apud Rodulfinum in tractatione de absoluta Principis potestate *l*. Etiam in notoriis si possit suppetere defensio requiri citationem demonstrat Iacobatius *m*. Tam arctæ autem necessitatis vt citatio adhibeatur, quod omnia Romana iura clamant, non alia est ratio quàm quod nemo damnari debeat inauditus & indefensus, & quòd nulla causa debeat esse ἐπρομόλιος δίκη, in qua scilicet altera tantùm pars audiatur, quæ aliter dicebatur ἐρήμη δίκη deserta causa, vel accusatio absque defensore, vt est apud Paulum Iurisconsultum *n* vbi absurdè aliqui legunt *hermodicium*, vt Budæus in prioribus ad Pandectas annotationibus monuit *o* cùm esset legendum si vox Latina fabricanda erat ex duplici Græca *eremodicium*. Erat autem genus litem obtinendi illaudatum, vt significat in Ioue Tragœdo Lucianus, quia accusatorem

c lib. 8. de prouid. ad finem.

d singul. 75.

e consil. 107. volum. 5.

f obseru. 6. cent. 6.

g cons. 9. & 38. cent. 1.

h p. 3. q. 6.

i ibid. & q. 10.

k n. 12.

l p. 2. l. 11. c. 7.

m lib. 2. de Concil. art. 4. n. 52.

n l. *etsi sine do'o*, ff. de minorib.

o & l. *proferendum*, Cod. de iudiciis.

torem vincere deserta à defensore causa, ac proinde causa indicta supponit vnam tantùm partem auditam esse, in quo euentu iudicium non potest non laborare iniquitate.

§. 18. *Iura Christiana contra inauditi damnationem; ac primùm ex Pontificibus.*

Iam Christiana iura vt ad illa denique veniam, nihil seueriùs, nihil studiosiùs, nihil frequentiùs inculcant, quàm vt nemo inauditus damnetur; eámque ob causam interdicunt damnatione absentis & indefensi. Tradunt hoc benè multi Summi Pontifices sacrorum Canonum conditores; tradunt sacra Concilia; tradunt SS. Patres quos Ecclesia agnoscit Magistros. Subscribunt Iurisperiti Canonum interpretes, qui ex Pontificum & Conciliorum ac SS. Patrum oraculis iura perunt. Attingamus hos omnes perpaucis.

a epist. vnica.

Theleſphorus Papa *a*, [Accusatori omnino non credi decernimus, qui absente aduersario causam suggerit, ante vtriusque partis iustam discussionem.

b epist. 1. ad Episc. Sicil

Zephyrinus *b*. [Absens nemo iudicetur, quia & diuinæ & humanæ hoc prohibent leges.]

c epist. 2.

Fabianus *c*, [Nullus vnquam præsumat accusator simul esse & iudex, vel testis: quoniam in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, & accusatores ac defensores atque testes.]

d epist. 2.

Felix I. *d* [Absente aduersario non audiatur accusator; nec sententia absente parte alia à Iudice dicta, vllam obtineat firmitatem.]

Iulius Papa rescribens Orientalibus pro S. Athanasio, [Caueant Iudices Ecclesiæ ne absente eo cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit; quippe & rationem pro actione reddent in Synodo, & vt proditoris calumnia, nec eorum postea vox audiatur.]

e lib. 2. hist. c. 16.

Liberius in eadem Athanasij causa, referente Theodoreto *e*, cùm vrgeret eum Constantius vt inauditum Athanasium damnaret, respondit intrepidè. [Fieri non potest vt quemquam condemnemus de quo non sit factum iudicium.] Et mox ait esse à Christiani hominis officio alienum iudicare inauditum, quod queritur fecisse aliquos proposita esca temporali. Addit damnationem inauditi redolere truculentiam Nabuchodonosoris, qui damnauit eum de quo nullum fuerat factum iudicium. Meminit constantiæ Liberij & apertæ (vt ait) recalcitrationis aduersus Constantij arbitrium Ammianus *f* sic dicens; [Athanasium per subscriptionem abiicere sede sacerdotali, paria sentiens cæteris, iubente Principe Liberius monitus perseueranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare nefas vltimum sæpè exclamans.]

f lib. 15.

Zozimus Papa in causa Pelagij nondum tunc comperti hæretici vetuit præcipitari damnationem, mandauítque audiri accusatum; vsum verò contrarium crudelitati tribuit. Tametsi Scripturas quibus eius sententia farta est iam suprà produxi, iuuat tamen luculentum planè locum repræsentare nulla ex parte accisum. [Non omnis (inquit) qui aures vestras ventus ingreditur nuntius est veri; ideóque animo præsule, & in excubiis constituto semper opus est, ne totum famæ, totum testibus liceat. Recensete sacras litteras & diuina fabularia: maximam partem falsi testes occupauere, vbi Sanctorum aut accusationem aut pericula reperimus: maximam dico, imò totam, cùm in ipsum Dominum nostrum Saluatorem totius mundi hostiam & Pontificem salutarem falsi testes insurrexerunt, qui se eius blasphemiam audiuisse confingerent.

Æstimate

Æstimate quid iam possit præterire fallaciam, quæ in Deum fidei, imò in ipsam fidem ac veritatem periuriis impetum fecit. Hæc ideò scripsimus, vt de cætero si qui absentes, minúsque noti de quolibet talia ex libidine mentientur, fixi sint pedes vestri aduersus arietem fraudulentiæ. Vnde & lucernam pedibus suis, ac lumen semitis suis vir sanctus exorat; scilicet ne inter fallaces tenebras sint cæca nobis, & errabunda vestigia. Et in Euangelio. Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi ab ipso audierit priùs, & cognouerit? Etiam in veteri Testamento: Non credas auditui vano, & non consenseris cum iniquo fieri testis iniustus. Et ne fortè multitudini detrahentium ante examinationem iudicij crederetur, addit dicens: Non eris cum pluribus in malitia, & non accipies per eos peccatum. Et iterum alibi, Priusquam interroges, ne vituperes quemqnam, & cùm interrogaueris, corripe iustè. Et iterum. Quæ viderint oculi tui, loquere. Et in Actibus Apostolorum aduersus Principes Sacerdotum & seniores Iudæorum postulantes absentis Pauli Apostoli damnationem, iustissimam sententiam Gentilis Festus Tribunus protulit, quam conuenit etiam nos in facie credentium obiicere verecundiam, dicens: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Si hanc igitur moderationem extra septum fidei nostræ positus tenuit contra sacerdotalem pudorem inclinatio, crudelitas de absentibus in absentes: quotus quisque immunis inuenietur à vulnere, si ad omnem ferientis ictum credulum pectus exeritur?]

Pelagius Papa scribens ad Sindulam Magistrum militum, rescindit quæ à Lucidio aduersus absentem aduersarium gesta erant, tantùm quia aduersarius aberat, nec auditus erat. At talia leges non recipiunt, ait Pelagius.

S. Gregorius I. scribens ad Felicem in causa Ioannis Episcopi *a*; [Oportet vt gloria vestra animos suos contra eius inuidiam non accendat, sed studeat inire iudicium, in quo vna eadémque cognitione, & momenti, & proprietatis causa valeat distingui: nam nos venire ad iudicium cupienti, præiudicialiter scribere quædam non possumus: quia ita nos vni parti accommodare decet auditum, vt tamen alteri, præsertim inauditæ allegationis, sine dubio rem integram reseruemus. Et ideo agite sicut diximus, vt negotiorum vestrorum merita veritate cognita iudicij censura definiat.] *a* lib. 7. indic. 2. ep. 43.

Adrianus I. in Capitulis Ingelramo Metensi datis *b*, [Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere interrogandi ac proponendi, adiiciendíque potentia præditos ab eo vt ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec priùs litigantibus sua velit sententia obuiare, nisi quando ipsi, peractis omnibus iam nihil ampliùs habuerint in quæstione quod proponant; & tandiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perueniatur. Frequenter ergo interrogari oportet, ne aliquid fortè prætermissum remaneat quod annecti conueniat. Sunt nonnulli qui indiscussos, potestate tyrannica, non canonica authoritate damnant: & sicut nonnullos gratiâ fauoris sublimant, ita quosdam odio inuidiáque permoti humiliant, & leui opinionis aura condemnant, quorum crimina non approbant. Ideóque communi decreto *b* cap. 5.

censemus

censemus vt quandocunque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis, causa eius audiatur, vt non occultè iudicetur aut condemnetur.]

Nicolaus I. scribens ad Gallionem Senonensem: [Reuera iustus mediator non est qui vno litigante & altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat.] Rursúsque; [Indicas Hermannum Episcopum super quibusdam frequenter fuisse accusatum, pro quibus quia ex parte ipsius persona deest, nos vni parti ad discrimen alterius credere procul dubio non possumus.] Idem ad Hincmarum. [Necesse est secundùm sacrarum Scripturarum documenta ac secundùm iustitiæ tramitem, & accusatum & accusatorem simul adesse, & vnam partem quantacunque & qualicunque prædita sit authoritate sic prorsus audiri, vt alteri parti nullum præiudicium irrogetur.] Et scribens ad Episcopos in Concilio Syluanectensi pro restitutione Rothaldi, negat Rothaldum potuisse damnari, cùm nihil ei fuisset obiectum. Nec quamuis obiectum fuisset, damnari potuisse confirmat cùm nemo affuisset qui pro Rothaldo ageret & obiecta posset repellere, præter *accusatores qui quæcunque voluerint dicunt.* [At scimus (inquit Nicolaus) iustum mediatorem non esse qui sic vnam partem audit, vt alteri parti nihil reseruet. Præsertim cum Dominus pro absente & non audito per Moysem præcipiat, non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum.]

Adrianus II. scribens ad Synodum Duziacensem multus est in hac re. Adscribo partem, qua laudat sanctum Gregorium epist. ad Felicem, sic scribentem. [Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire. Hinc etiam ad Marinum quendam Scholasticum scripsit, dicens; Quia sicut præfati sumus, causarum origo & qualitas omnino nobis ignota est, pronunciare aliquid definitiuè non possumus; ne, quod reprehensibile nimis est, de rebus non benè cognitis proferre sententiam videamur. Vnde & Sanctus Leo, sedis & doctrinæ Apostolicæ decus dicit in epist. sua Flauiano Constantinopolitano pro Eutychete presbytero hæretico: Quoniam nos, qui Sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia, nihil possumus incognitis rebus in cuiuspiam partis præiudicium definire, priusquam vniuersa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Hinc & beatus Iob dicit; Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam. Inde etiam in Pentateucho Dominus dicit. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam & videbo vtrum clamorem qui venit opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Ecce Dominus omnipotens, cui nihil absconditum est, sed omnia ei manifesta sunt etiam antequam fiant, cur hæc & alia multa per se inquirere dignatus est, nisi vt nobis exemplum daret, ne præcipites in discutiendis seu iudicandis negotiis essemus, & ne mala quorumquam prius quisquam præsumat credere, quàm probare. Cuius exemplo monemur ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus aut temerè quoquo modo iudicemus.]

§. 19. *Idem ex Conciliis a lib. 6. initio.*

Pontificibus subnectamus Concilia, velut capiti suo compaginatum corpus. Concilium Chalcedonense referente Facundo Hermianensi *a* agnouit quod contendimus. [Cùm eandem magnam Synodum prædictus Ibas Episcopus adiret, conquerens ac deplorans iniustitiam se ab Eutyche, & falsa crimina pertulisse, atque in Ephesina secunda Synodo non dicenda, absentem, & innoxium

innoxium, sicut idoneorum documentorum testificatio demonstrabat, sub Dioscoro, Eutychis atque Eutychiani dogmatis defensore, fuisse damnatum, & in quadraginta mansiones per diuersas distractum prouincias viginti & amplius carceres mutasse. Hæc acclamantibus Episcopis, & dicentibus, absentem nemo condemnat, malè fecerunt qui eum præter canones damnauerunt. Quæ aduersus absentem facta sunt euacuentur; hæc omnes dicimus, nemo condemnat absentem.]

Synodus Tricassina sub Ludouico II. adducta in capitularibus Caroli Calui *a*, approbat decretum Ioannis VIII. quo accusationes occultas omni ratione prohibuerat, eo quòd sæpè contingat vt ea ratione inauditi opprimantur, & tametsi innoxij, condemnentur. In quam rem, vt monstret accusationem debere esse apertam, adducit illud Apocal. 12. *Cecidit de cœlo accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum Agni.*] *a* cap. 7.

Concilium Lateran. I. *b* [Debet igitur esse præsens is contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentauerit: & exponenda sunt illi capitula de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi seipsum. Et non solùm dicta, sed etiam nomina testium sunt ei, vt quod vel à quo sit dictum, appareat publicanda: necnon exceptiones & replicationes legitimè admittendæ, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur.] *b* cap. 8.

Concilium Triburiense *c*, [Deus omnipotens cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius, (vt in epistola Euaristi Papæ scriptum legimus, quo nos à dubiis & incognitis sententiam proferre compesceret, mala Sodomæ noluit audita iudicare priusquam manifestè agnosceret quæ dicebantur; vnde ipse ait, Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint. Quo exemplo moniti, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temerè indiligentérque indiscussa quæque quoquo modo iudicemus: sed exemplo Domini, descendamus, videamus, & iusto examine criminosos diligenter perscrutemur, sicut ipse Sodomam, vt videamus vtrùm clamorem populi compleuerint, necne: nam mala audita nullum moueant, sed ante audita diligenter inquirat.] *c* cap. 22.

Concilium Viennense, Præside Clemente V. vt habetur Clement. *Pastoralis*, cùm Henricus Imperator Robertum Siciliæ Regem inauditum & indefensum damnasset, irritam decreuit damnationem; [quæ non à discretione marre virtutum, sed à nouerca iustitiæ, voluntaria scilicet iudicantis præcipitatione processerat.] Et inferiùs. [Dicíne ergo sententia meruit, quæ à iudice qui per Regem tutò aditi non potuit, & in loco notoriè, (vt præfertur,) non tuto, in absentem, nec citatum legitimè, & inauditum, per consequens & indefensum, non maturo fuit iudicio, sed præcipitio, & de tanto præsertim crimine promulgata?]

In Capitularibus Caroli Magni *d* & aliorum Regum Francorum, (quæ Benedictus Leuita præfat. libro 5. præmissa in variis Synodis edita docet, & assuisse Apostolicam confirmationem in calce libri 7. traditur,) damnatio absentium ac inauditorum, disertè prohibetur. Ex aliis antiquis synodis alia dabit Turrianus *e*. *d* lib. 7. c. 145. & 271. *e* lib. 3. contra Magd. c. 8. §. 20. *Patres ad eandem mentem.*

Veniendum est ad Patres qui secundùm Pontifices & Concilia insignem au-

thoritatem obtinent in Ecclesia tanquam fistulæ Spiritus sancti. Protuli iam suprà non paucos, & quidem primæ notæ, Clementem Romanum, Luciferum Calaritanum, Basilium, Chrysostomum, Theodoretum, Saluianum, S. Gregorium. Nunc attexo alios, vel ex eisdem alia.

a c. 1. Apolog. Tertullianus *a* cum Christianum nomen damnaretur inauditum, exclamat his præter cætera. [Quid hîc deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis dominabitur potestas earum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? Cæterum inauditam si damnent, præter inuidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire quod auditum damnare non possint.] Et paulò inferiùs. Non potes dementiam dicere, qui reuinceris ignorare. Si certum est denique nos nocentissimos esse, cur à vobis ipsis aliter tractamur, quàm pares nostri, id est, cæteri nocentes? Cum eiusdem noxæ eadem tractatio deberet interuenire. Quodcumque dicimur, cùm alij dicuntur, & proprio ore, & mercenaria aduocatione vtuntur ad innocentiæ suæ commendationem. Respondendi, altercandi facultas patet, quando non liceat indefensos & inauditos omnino damnari.

Sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum, sed illud solùm expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, & non examinatio criminis.] Iacobus Ræuardus *b* censet Terttullianum respexisse ad l. primam de requirendis reis, paulò ante à Seuero latam.

b lib. 1. var. cap. 7.

c in Octauio. Minutius *c* summam agnoscit fuisse Christianos persequentium Ethnicorum iniquitatem qui nollent Christianos cognoscere, vt possent damnare, quia cognitos damnassent nunquam.

d initio legationis. At henagoras *d* fusè demonstrat, si iudicij æquitas seruetur, non esse rumoribus inhærendum, sed reo audito, & causâ ritè discussâ, procedendum esse ad damnationem, idque vniuersaliter aliàs seruatum, vt erga Christianos retineatur, exposcit.

e Apolog. 1. Athanasius *e*, [Decuit inprimis cùm huc veniebatis cum ipso accusatore adducere quoque vobiscum Presbyterum Macarium: ita enim iudicia constitui debent, secundùm sacram Scripturam, vt reus & accusator simul appareant. Postquam autem nec Macarium adduxistis, neque Reuerendissimus Episcopus noster Athanasius ad iudicium receptus est, postulauimus, vt saltem nobis interesse liceret, vt nobis præsentibus certa inquisitio haberi posset, vt ad istum modum rebus actis iure fidem vestris iudiciis haberemus. Verum & hoc nobis pernegatum, & soli cum præfecto Ægypti vnà cum accusatore id agitis quod libet. Profitemur igitur nos videre in vestris actis malitiæ suspicionem, animaduertimúsque vestrum aduentum nihil aliud in se habere quàm conspirationem & insidias; eáque de causa epistolam hanc vobis dedimus monumentum, testimoniúmque istius rei aliquando futurum in vera & legitima Synodo, vt omnibus innotescat quòd inaudita altera parte ea quæ libuit intra vos egeritis, & nihil studuisse nisi vt conspiratione nos opprimeretis.] Et inferiùs. [Quum res ita ageretur ab iis, tanquam è Concilio iniuriosorum recessimus: quod enim libuit, fecere. Sed tamen ea quæ inauditâ altera parte fiunt, nihil habere roboris nemo omnium mortalium ignorauerit: hoc enim & lex diuina præcipit, hoc quoque cum insidias pateretur B. Apostolus, & reus esset, postulabat.

postulabat. Oportebat, inquiens, Iudæos ex Asia coram te adesse, & accusare si quid habent: quo tempore & Festus ponentibus Iudæis easdem contra Paulum insidias, quales ego nunc patior, ita loquutus est. Non est moris Romani gratiæ aduersariorum donare hominem, qui nondum accusatores ante oculos suos habuit, aut respondendi locum de crimine adeptus est,]

Lucifer Calaritanus duobus pro S. Athanasio libris frequens & multus est in confirmanda veritate pro qua satagimus. Gemmas aliquot inde educo *a*. Vrget Constantium qui S. Athanasij inauditi damnationem vrgebat; sic itaque illum affatur. [Debuimus damnare innocentem, debuimus dare contra absentem inauditum sententiam? Et quomodo cùm hoc feciſsemus, potueramus reperiri Christiani?] Et inferiùs. [Nunquid non luxerunt illico tristes venenis Diaboli in se inseminati, amarissimi fructus tui, vt dicere tentasti damnandum fuisse inauditum?] Et rursus infrà. [Nos statim vt cœpisti Episcopis imponere necessitatem damnandi absentem, illico diximus te iniustitiæ cultorem, iustitiæ verò esse persecutorem.] *a* lib. 2.

Lactantius *b* agens aduersus ineptè religiosum, & nimia superstitione impatientem, ait certum sibi esse quòd talis libro [vix lecto fortasse principio, affligat, proiiciat, execretur, séque inexpiabili scelere contaminari, atque adstringi putet, si hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis iure postulamus, vt non priùs damnet, quàm vniuersa cognouerit: nam si sacrilegis & proditoribus, & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædemnari quenquam incognitâ causâ licet, non iniustè petere videmur, vt si quis erit ille, qui inciderit in hæc, si leget perlegat: si audiet, sententiam differat in extremum. Sed noui hominum pertinaciam, nunquam impetrabimus: timent enim ne à nobis reuicti manus dare aliquando, clamante ipsa veritate, cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt ne audiant, & oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quo planè ipsi diffidentiam suæ perditæ orationis ostendunt, cùm neque cognoscere, neque congredi audent, quia sciunt se facilè superari. Et idcircò disceptatione sublata; *b* lib. 5. c. 1

Pellitur è medio sapientia, vi geritur res.

vt ait Ennius. Et quia student damnare tanquam nocentes, quos vtique sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt; quasi vero maior iniquitas sit probatam innocentiam damnasse, quàm inauditam. Sed, (vt dixi,) verentur ne si audierint, damnare non possint.]

S. Basilius copiosè ac crebro improbat inauditi ac indefensi damnationem. Aliquot loca adscribo. Scribens ad Italiæ & Galliæ Episcopos *c*, [Nulla est apud Iudices iniquos cani capitis reuerentia, non iam vlla conspicitur religiosæ pieratis exercitatio, nulla conuersationis initur ratio, quæ ad Euangelij normam ab adolescentia ad senectam vsque legitimè perficiatur: sed cùm nemo sceleratus sine certis indiciis condemnetur, Episcopi sola intercedente calumnia, & nulla euidenti probatione assertis ac corroboratis criminationibus, suppliciis traduntur. Nonnulli ne nouerunt quidem accusatores suos, neque tribunalia viderunt, neque delati sunt primùm, sed nocte intempesta abrepti in exilium fugati sunt, solitudinis calamitatibus ad mortem vsque traditi.] *c* epist. 70.

Idem Basilius scribens ad Monachos suos *d*, [Temerè ora sua aduersus conseruos reserarunt. Mendacium sine timore effutitur, veritas obscurata est, & *d* epist. 71.

qui quidem accusantur, mox sine iudicio condemnantur; qui verò accusant, sine omni examinatione fidem inueniunt.] Et mox; [Ob eam vobis causam scribere conatus sum, obsecrans vestram in Christo dilectionem, vt calumnias quas vna pars obiicit, non mox vt prorsus veras admittatis, propterea quòd, vt scriptum est, neminem iudicat lex, nisi primùm audiat & cognoscat quid statuat.] Tandem in calce epistolæ; [Syncerum nobis, & quod nullis sit calumniis corruptum conseruabitis pectus, & si quid criminis nobis obiicitur, illius à nobis rationem exigetis, & vbi veritatem apud nos deprehenderitis, non dabitis locum mendacio: si verò nos in reddenda ratione deficere senseritis, tum demum accusatoribus nostris tanquam veracibus fidem habebitis.]

a epist. 75. Ad Neocæsarienses *a*. [Delationis opus manifestum habet Magistrum ac doctorem, qui cùm ex multis sit malefactis notus, ab ista tamen deferendi malitia designatur, ita vt ex hoc peccato nomen inuenerit: vos verò mihi permittite vt liberè loquar, vtrasque aures delatoribus nostris reseratis, ac quidquid illi ad vos deferunt, sine omni examinatione admittitis, nemine existente qui falsum à vero discernat. Quis vnquam in accusandis vitiis nemine contradicente defecit? Quis deferendo mendacij conuictus est, non coram constituto eo quem falsò detulit? Quídnam dici potest, quod credibile non sit auscultantibus, si dum criminator, ita vt asserit, habere contendit, criminis accusatus nec adest, nec calumnias audit? Nec ipsa vos vitæ huius consuetudo hisce in rebus erudit ac docet, quòd qui futurus sit æquus ac nulli parti addictus iudex, non debeat se totum præoccupanti permittere, sed & defensionem expectare eius qui defertur, vt ex collatione eorum quæ ab vtrisque partibus dicuntur, veritas elucescat. Iustum iudicium iudicate, vnum hoc est ex præceptis

b epist. 77. ad salutem necessariis. Scribens *b* ad Damasum & alios Transmarinos Episcopos, [Quorumdam malitia factum est, vt in calumnias quibus traducimur abrepti & præoccupati indignos nos amica visitatione iudicaueritis. Ecce iam literis vos ipsi prouocamus, & causas huius quæ nobis adscribuntur, fatemur, parati vestram hac in re institutionem amplecti: hoc tantùm orantes, vt si quos admiseritis qui nos traducant ac vituperent, in conspectum nostrum, coram vestra pietate constituantur: nos enim si conuincamur, peccatum nostrum agnoscemus, & vobis post eam reprehensionem à Domino non imputabitur, si communionem nostram tanquam peccatorum declinaueritis: deinde & præmium habebitis, si nos reprehenderitis, & qui occultam nostram malitiam parefeceritis. Si verò antequam nos condemnaueritis, nos quidem nihil inde dispendij accipiemus: propterea quòd omnium pretiosissimum bonum nostrum, charitas videlicet, qua erga vos præditi sumus, lædi nequit: vos autem & hoc ipsum nobis amissis patiemini, & Euangelio repugnare videbimini, dicenti; Num lex nostra iudicat hominem, nisi primum audierit, cognouerítque quid faciat? Qui verò calumnias nobis quidem offundit, non autem quæ dicit certò probat, videbitur sibiipsi mali nominis accersere appellationem, ex eo quòd verbis iniquè & absurdè vtitur. Quo namque alio nomine delatorem vocare conueniet, quàm ea appellatione, quam ex te ipsa cui studet, sibi ipse imponit? Neque igitur qui nos vituperat, Diabolus sit, sed accusator: imò neque accusatoris nomen accipiat, sed frater sit, in dilectione nos admonens, &

ad

ad emendationem reprehensionem nostri inducens ; nec vos sitis conuiciorum, sed redargutionum probatores & examinatores ; neque nos sine remedio relinquamur , nondum patefacto nobis quod deliquerimus.]

S.Ambrosius *a* multus est in confirmanda necessitate discutiendi causam , ac audiendi legitimè , reum agens cum Siagrio Veronensi in causa Indiciæ puellæ falsò delatæ. Idem latè confirmat *b* versans illud Christi Ioan. 5. *Non possum à me facere quicquam.* Quod à Christo in Iudicis persona dictum considerat, eóque referri vult , vt sensus sit Christum iudices docuisse exemplo suo, vt non pro arbitrio , sed pro causæ ritè discussæ meritis rem definiant , auditis vtrimque causæ firmamentis. Quod ex illis Christi verbis eruit ; *Sicut audio , sic iudico.*

a epist. priore initio.

b in ps. 118. serm. 20.

S.Chrysostomo impositum est ab aduersariis , vt apud Photium *c* videre est in breuiculo calumniarum, quarum est insimulatus, quod idem accusator & testis & iudex fuisset: At hanc fuisse virulentissimam impostura,nec sanctum virum nisi ritè discussa & audita vtrimque causa, iudicandum censuisse, apertè habetur ex prima ad Innocentium Papam epistola , vbi expostulans de sua absentis damnatione ait ; [Obsecro vt scribas , quòd hæc tam iniquè facta & absentibus nobis , & non declinantibus iudicium , non habeant robur , sicut neque sua natura habent : illi autem qui iniquè egerunt , pœnæ Ecclesiasticarum legum subiaceant : nobis verò qui nec conuicti , nec redarguti , nec habiti vt rei , literis vestris & charitate vestra , aliorúmque omnium , quorum scilicet & antea societate fruebamur,frui concedite. Si autem aduersarij nostri, qui ita iniquè egerunt , adhuc fingant crimina quædam , propter quæ nos iniustè eiecerunt , non datis nobis neque commentariis , neque libellis , neque manifestatis accusatoribus ; agemus & tuebimur etiam nos libenter causam, monstrabimúsque illos ipsos , non nos reos esse eorum, quæ nobis impingunt, sicut & planè innoxij sumus : & contrà , quæ ab ipsis facta , contra omnem sunt honestatem , contra omnes leges , contra omnes Ecclesiasticos Canones. Et quid dico Canones Ecclesiasticos ? neque in Gentilium iudiciis , neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata sunt vnquam ; neque Scythæ Sauromatæ vnquam iudicarunt : iudicium dandum vni parti , absente ea quæ accusatur , & vitante non iudicium , sed inimicitias , & inuocante multa millia iudicum , & protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream , depulsurámque crimina & ostensuram suam innocentiam.]

c Cod. 59.

Idem D.Chrysostomus ita in hanc sententiam loquitur initio cygneæ vocis, (sic enim appello lucubrationem scripto tantùm exaratam,cùm in extrema vita Cucusi ageret , qua probat neminem lædi nisi à seipso.) [Iudices seculi huius negotiorúmque communium , etiamsi vehementer viderint eum , qui primas negotij partes prosequitur perorantem , & largissimis dicendi fontibus inundantem : expectant tamen etiam respondentis ad hæc prosequtionem , & audiunt eum cum patientia : nec prima allegatione mouentur ad sententiam proferendam , etiamsi iustissima videantur esse quæ dicta sunt ; seruatur enim apud audientiam eorum secundo quoque integerdicendi locus : quoniam quidem hæc est iudicum disciplina , prius ex vtraque parte causam diligenter agnoscere , & ita sententiam promulgare.] Itaque imponebatur S.Chrysostomo quod passus est , iudicatus enim est inauditus & absens *d*. Et idem à Theophilo

d Metaphr. in Chrysostomo.

philo Alexandrino violentissimi spiritus homine, in odium S. Chrysostomi passus est Heraclides Episcopus Ephesi, vnde pugna & cædes, negantibus ciuibus Bisantinis iustum esse de absentibus & inauditis ferre iudicium.

S. Cyrillus Alexandrinus iniquitatis damnat damnare non audita vtraque parte. Disertè id habet in cap. 6. Ioan. expendens Nicodemi verba de audiendo reo priusquam iudicium feratur. Scribens verò ad Theodosium *a* commendat Cœlestini Papæ iudicium in Nestorium à patientia, & iteratis prouocationibus ad respondendum. E contrario grauiter incusat Ioannem Antiochenum ob damnatos barbaricè ac tyrānicè Patres Ephesinos & inauditos & indefensos. Sic ibi præter cætera. [Quid prohibebat, antequam venissent ad ciuitatem Ephesiorum, literis nos accusare, manifestúmque facere de quibus aduersum nos conquerendum sibi putarent. Deinde vbi Ephesum venerunt, quid impediebat quominus congrederentur nobiscum, accusaréntque cum fiducia, & ad apologiam nos vocarent, atque ita simul cum aliis vel culpa liberarent rectè sentientes ac loquentes, vel iustæ condemnationi subiacerent.]

a in Apolog.

In causa Theodori Mopsuëstheni idem S. Cyrillus, referente Facundo *b*; [Dixit, quia cùm non esset in promptu persona quæ culpæ supponeretur, incerta capitulorum redargutio fieret, & qui hæc agerent in incertum cutrentes & aërem verberantes inuenirentur.] Ex eodem in epistola ad Domnum alia notauit Turrianus *c*.

b lib. 10. c. 4.

c l. 3 contra Magd. c. 8.

Isidorus Peluſiota ad iudicij æquitatem deposcit causæ disceptationem, quæ reo non audito ne concipi quidem potest. Eius verba sunt; [Tum denique recta iustitiæ regula seruatur, (ô virtutis illius, quæ à perfecto requiritur verissimum examen,) cùm accusationem disceptatio sequitur, disceptationem probatio, probationem sententia, pro criminis qualitate supplicium constituens.]

Theodoretus est in hac parte immensus: quòd enim grauatum se iudicio Ephesino sentiret, & inauditum se, damnatione perculsum, flagrare de hæreseos infamia videret, animi sui vulnus variis epistolis aperit. Videndus nominatim epistola 70. *sub finem*, epist. 81. *initio*, epist. 83. *sub initium*, epist. 86. *ad medium*, epist. 89. *in fine*, epist. 90. *sub medium*, epist. 91. *sub medium*, epist. 94. *in fine*, epist. 113. *in medio*, epist. 119. *sub initium*, epist. 137. *sub medium*, epist. 138. *sub initium*, epist. 239. *sub medium*, epist. 140. *ante medium*, epist. 145. *initio*. E perpaucis locis decerpo nonnulla illustriora epist. 81. [Imperatoris decreto Cyresticæ regionis finibus egredi vetor; causa verò huic quæ videtur damnationi opposita, est nulla, nisi quòd Episcoporum Synodos congrego. Et neque accusatione patefacta, neque actore apparente, neque reo conuicto, prolata est sententia. Et huic nos acquiescimus, parata oppressis præmia non ignorantes. Festum sanè noui, Romanorum is præses erat, Iudæorum administrationi præpositus, cùm diuini Pauli cædem fi agitarent Iudæi, palam respondisse. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Atque hæc dicebat homo, qui Christo Domino non credebat, sed idolorum errori seruiebat: ego verò nec interrogatus vtrum Synodos congregem, & quid mali ea res afferat vel Ecclesiasticis rebus, vel publicis perinde, vt qui grauissimè deliquerunt ab iis arceor ciuitatibus, vel potiùs cæteris

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

teris quidem omnibus omnes patent ciuitates, non Arij modò & Eunomij sectatoribus, verùm etiam Manichæis & Marcioniſtis, & Valentini ac Montani morbo laborantibus; atque adeò Gentilibus & Iudæis: ego verò qui pro dogmatibus Euangelicis pugno, ab omni excludor ciuitate.] Epiſtola 140. agens gratias ob præſtitam inaudito, & tamen damnato opem; [Nos, (inquit,) talia paſſi ſumus, non ſolùm à manifeſtiſſimis hoſtibus, verumetiam à germanis, vt putamus, amicis, (ab illis nimirum appetiti, ab illis proditi,) qualia nullus aut perpauci veterum pertulerunt: quis enim tale iudicium audiuit vnquam? quis reum, quem vltra quinque & triginta manſiones poſitum detinebat, iudicibus vt abſentem iudicarent imperauit? Quis crudelis adeò & immanis iudex fuit, vt reos iudicaret, quorum vocem non audierat, nec iudicaret modò, ſed condemnaret? Et quidem valdè crudeliter ac immaniter: Nam cùm iuſſerit Dominus eum qui peccat è fratribus, & conſilium non patitur, poſt vnam & alteram, ac tertiam admonitionem, haberi deinceps ſicut Ethnicum & publicanum, rectiſſimi & iuſtiſſimi iudices ne illa quidem quæ Ethnicis & publicanis impertiunt, fidei conſortibus conceſſerunt: illos enim & vident, & alloquuntur interdum maximo etiam cum honore, ſi quam ſpeciem gerant dignitatis: nos verò & tecto, & aqua & rebus omnibus excludi iuſſerunt.]

Negat aliquoties vt epiſtola 80. & 138. damnationem inauditi, atque adeò indefenſi pro vllis ſceleratiſſimis vnquam valuiſſe. [Quis talem, (ait poſteriore illo loco,) aut tantam iniquitatem audiuit vnquam? Quis abſens homicida damnatus eſt? Quis nuptiarum inſidiator non præſens condemnatus? Quis effractor; aut veneficus, aut ſacrorum expilator, aut qui aliud quidquam legibus vetitum commiſerat, & ad iudicium venire cùm vellet eſt prohibitus, & iudicum ſententiâ procul abſens eſt confoſſus? Verùm in illis quidem tale nihil factum eſt: iubent enim leges, (vt ante iudicem actor & reus propè ſtent ex aduerſo, & apertas probationes expectet iudex, atque ita demum vel dimittat vt innocentem, vel puniat vt obnoxium. Erga nos verò contraria facta ſunt omnia. Nam ne ad celeberrimam illam Synodum veniremus regiæ litteræ vetuerunt: æquiſſimi verò iudices abſentem condemnarunt, non æqualiter ius dicentes, ſed oblatos ad accuſationem noſtram libellos magnoperè laudantes. Et neque lex diuina, neque hominum reuerentia violentiam inhibuit: ſed imperabat quidem præſes veritatem reſpuens, breui duraturæ ſeruiens potentiæ: obtemperabant autem homines eiuſdem nobiſcum ſententiæ, & communia habentes dogmata, quique res noſtras plurimum laudarant; ſed tempus illud quorumdam proditionem, aliorum timiditatem patefecit.]

Petrus Chryſologus *a* ab Eutychete interpellatus negat ſe poſſe in illud negotium penitiùs deſcendere inaudito Flauiano eius aduerſario. [Si enim, (inquit,) tibi diſplicet quoniam ſcripſiſti electum iudicium, nos quomodo de his iudicare poterimus, quos neque vidimus propter abſentiam; & quid intellexerunt, eorum taciturnitate neſcimus? iuſtus mediator non eſt, qui ſic vnam partem audit, vt nihil alteri parti reſeruet.]

a in calce epiſt. ad Eutychetē.

Facundum iam dedi, allegantem & ratum habentem S. Cyrilli ſenſum de non damnando inaudito. Nunc eundem ex ſua perſona loquentem audiamus *b*. [Vbi probari poteſt quiſnam etiam verè fuerit hæreticus, ab vniuerſali Synodo

b lib. 10. c. 45.

non

non prolata accusatione damnatus ? nam patres nostri cunctos quos expulerunt hæreticos priùs admonuerunt sapere meliora ; deinde condemnationem, si non resipiscerent, comminati sunt : dantes eis etiam tractandi secum inducias, sicut necessarium videbatur. Attestantur nobis exempla maiorum.] Et inferiùs. [Si dum viueret idem Theodorus, aduersus eum testes adducerentur, non oportuit in iudicium non deuocatum pro sola testificatione damnare : si verò conuentus, vel reatus, conscientia, vel contumacia indictum præstolari nollet examen, iam non testibus de absente, sed ipsi de se iudicanti potiùs crederetur. Nulla verò correctione, siue conuentione præcedente damnatus, de iniquitate iudicum iure quereretur, & acceptabiliter diceret, quòd malignè vel temerè aduersus absentem falsis testibus credidissent. Propter quod in eadem sancta Synodo pro Reuerendissimo Iba clamauerunt Episcopi sæpè dicentes, Malè fecerunt qui eum præter canones damnauerunt : quæ aduersus absentem facta sunt euacuentur. Hæc omnes dicimus ; Nemo condemnat absentem.]

a epist. 187. Sanctus Bernardus *a* acriter corripit Henricum Senonensem quòd quendam Archidiaconum deiecisset inauditum. [Vbique, (inquit, apud vos pro ratione voluntas, totum pro imperio, nihil ex timore Dei. Qui de vobis non rident inimici, non conqueruntur amici ? Quomodo deuestistis hominem, non dico iudicio non conuictum, sed nec verbo conuentum ? Quantos hoc verbum scandalizabit ? quot ora ad subsannandum ? quot corda ad succendendum mouebit ? Itane putatis periisse iustitiam de toto orbe, sicut de vestro corde, vt homo sic ablatum perdat Archidiaconatum ?]

b epist. 306. Et scribens ad Cardinalem Hostiensem *b*. [Protoplasti super graui & singulari peccato ad confessionem requisiti sunt ; Niniuitæ ad pœnitentiam expectati sunt ; Sodomitæ non de auditu, sed magis de visu puniti sunt. Mecum eo differentiùs, quo contemptibiliùs actum est. Non sum reputatus qui ponerer ad rationem, qui inuitarer ad satisfactionem, qui causam requirerer, qui pro me respondendi facultatem acciperem. Non conuentus iudicatus sum : non conuictus condemnatus sum. Et nunc audite, si dignamini, excusationem nostram.] Breuissimè, sed optimè, agens cum Eugenio Papa *c*. [Nisi agitentur causæ, audiantur partes, inter partes iudicare quis potest ?]

c lib. 1. de consid. c. 10.

Petrus Blesensis informans Episcopum. [In iudiciis nunquam ad rumusculos mouearis, nec tibi obrepat furtiua suspicio. Dominus Iudam quem proditorem nouerat, quia non conuincitur, non condemnat, parcit mulieri in adulterio deprehensæ, eo quòd non appareat accusator. Non Sodomam subuertit, donec descendat & videat, vtrùm clamorem opere compleuerint. Ego, inquit, sicut audio, sic iudico ; cuius audire est scire. Tu verò non nisi ex assertione partium & rationabili animi motu censeas ad sententias procedendum.]

§. 21. *DD. Canonum contra inauditi damnationem.*

Dedi ex Pontificibus & Conciliis ac Patribus in rem nostram satis multa. Ex eorum dictis conflatur ius Canonicum, quod peculiare est genti Christianæ, cuius sensum post prolatos Hebræos & Ethnicos exquirendum susceperam. Itaque vix est necesse continuatis huc fontibus satagere pro riuulis. Vix, inquam, est operæ pretium Iurisperitos Canonicos allegare, quanquam vltrò accurrunt omnes siue ad Gratianum 3. q 9. siue ad c. *qualiter*, de accusat. & ad cap. 1. de causa possess. aut ad Clementinam *Pastoralis*, de sententia & re iudicata. Quæ & alia decreta canonica agglomerant & illustrant atque confirmant Doctores Canonum.

Canonum. Videndi nominatim Glossa ibid. & ad Extrauag. 1. de dolo & contumacia; Franciscus Capiblanco de officio bonorum; Antonius Augustinus *a* ad Capitulum V. Adriani ad Ingelrammum, ad §. *absentem verò aduersario*, & §. *Nec sententia*.

a tom. 2. pragm. 1. c. 2. à num. 22.

Quia verò quod omnibus sapientibus videtur nemo sanus in dubium reuocet, perspicuè liquere puto ex tanta sacrorum testium nube, quanti apud omnes Christianos esse debeat audire eum cui accusatio impingitur, & meritò flagrasse infamia professores institutorum Christianorum, qui æstu inconditi affectus abripi se extra orbitam sunt passi, damnantes inauditum. Sic Constantinus infamiam sibi & æternum luctum conciuit Crispo filio inaudito ad Lupæ delationem neci dato. Nec aliter impegit circa S. Athanasium ac suos, vt denique his verbis fatetur Theodoretus *b* postquam eum excusare frustra tentasset. [Nemini certè mirum videri debet quòd Imperator in fraudem illectus, tam illustres viros solum vertere coëgit: nam fidem adhibuit Episcopis, qui occultare studebant veritatem, illustrem quandam vitæ speciem præ se ferentes, qua Imperatorem dolo deluserunt. Neque sanè eos fugit qui sunt in sacris literis eruditi, Dauidem Prophetam reuera deceptum fuisse. Quem non Pontifex, sed verna, & verbero. (Sibam dico, qui falsum crimen contra Mephiboseth detulit ad Regem, illiusque agrum, suum ita reddidit,) veteratoriè circumuenit. Atque ista quidem dico, non quo Prophetam insimulem, sed quo pro Imperatore respondeam, ostendámque humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam simul non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.]

Quàm infames apud Christianos, qui inauditos damnarunt.

b lib. 1. hist. c. 33.

Constantio Constantini filio idem probrum affricat Lucifer Calaritanus sparsim totis duobus libris pro S. Athanasio. Nec reticuit hanc eius infamiam Ammianus *c*. Iustinianus quoque si Procopij historiæ arcanæ *d* fides præbeatur, immaniter sorduit, quòd nunquam, (proh nunquam) causa cognita & auditis partibus iudicauit, sed audito delatore actutum sententiam tulerit. At turpe profectò est Doctori cum culpa redarguit ipsum. Meminisse oportuerat Iustinianum *e* quæ variis Codicis sui locis inferri mandauerat. Verùm Iustinianus, (si eundem heri sui proditorem Procopium audimus,) tam fœdè & immaniter in permultis violauit iustitiam, vt mirandum videri non debeat eum hac quoque in parte deterrimum Christianum fuisse, & tanto scelere, quod Liberius Papa referente Ammiano *f extremum nefas* appellauit conscientiam sauciasse. Subscribunt Liberio omnes Christiani Doctores agnoscentes hanc culpam & esse atrocissimam, & cum iustitiæ violatione coniunctam, atque adeò restitutioni obnoxiam quomodocumque admittatur: nam & iudex hac se noxa contaminat cùm damnat prorsus inauditum ac ne citatum quidem: & cùm damnat, non dat defensioni locum. Quomodocunque & quicunque iudex talia præster, non est iudex Christianus, cuius est exemplo Dei, & de Sanctorum omnium sensu audire reum priusquam damnatione feriatur, ac proinde eum priùs citare & admonere.

c lib. 14.
d pag. 39. & 64.

e lib. 1. C. de custod. reorum l. *absentem*. C. de accus. *f* lib. 15.

§. 23. *Determinatè exprimenda damnandi causa.*

Quia verò perinde est non monere, aut citare reum, & generatim tantùm, nullâque damnandi causa determinatè expressa ferre sententiam, ideirco addendum est ad antedicta, graui item scelere se impiare eum qui reo decernit pœ-

nam, illud tantùm generatim & confusè denuncians reo, mulctari ipsum, quia aliquid gessit mulcta dignum, nihil distinctè exprimens: tunc enim reus non plus potest se purgare, quàm si nihil ei dictum esset. Itaque iudex ad eum modum condemnans, non potest truculenti iudicis notam defugere, planéque censeri debet inauditum damnasse, quandoquidem auditus reuera non est circa quæ oportuit, nec audiri potuit nesciens determinatè quid peccauerit, & qua ex parte vmbonem defensionis prætendere debeat qui est totus scopus auditionis. Vel ipsi Ethnici doceant quid hac in parte æquitas iudicij ferat. Vt enim populus ex aliis disceret sapere, ipséque reus intelligeret quid vitare debuisset, ac si vita superet, quid eum deinceps fugere oporteat, qui finis est irrogandæ mulctæ, saltem ex parte, causam damnationis prostare iubebant. Exempla quædam in hanc rem partim Ethnicorum, partim nostrorum protulit Annæus Robertus *a*, nimirum Charicleæ quæ apud Heliodorum ad supplicium ducitur phatmaceutriæ ream inclamante præcone. Pupacis apud Nicetam Choniatem *b* damnati ab Imperatore eo quòd fugientem Andronicum excepisset, id quod præco validè inclamabat cùm duceretur Pupaces. Vthazanis quem Sapores Persa addixit supplicio præcone causam damnationis publicè promulgante, vt scribit Nicephorus *c*. Æquè apud Lampridium Turinus iussu Alexandri Seueri Imperatoris necatur præcone inclamante, fumo pereat, qui fumum vendidit. Iustinianus ex Agathia *d* cùm in Rusticum & Ioannem animaduerteret, præco magna voce clamabat docens puniri quòd cædem patrassent. Apud Vlpianum *e* & in Gordiani rescripto eundem priscum vsum notare licet. Hæc ex Roberto, quibus addo alia.

a lib. 2. rerum iudicat cap. 10. pag. 69.
b lib 4. imperij Manuelis Cõneni.
c lib 8. hist. c. 36.
d lib. 4. histor.
e lib. *si duo patroni.* ff. de iureiur. l. *fustibus* C. ex quibus causis infam. irreg.

Detractus è spectaculis in arenam paterfamilias canibus obiectus est cum hoc titulo, *Impiè locutus Parmularius*. Thracem enim Mirmylloni parem munerario imparem dixerat, vt refert in Domitiano Suetonius *f*, apud quem etiam in Nerone *g* statuis Neronis, quem veluti parricidam ad supplicium poscebant, titulus est ad collum appositus. Seruus cruci suffixus est, *cum literis causam necis eius* prodentibus, vt Dio *h* prodidit, id est cum titulo causæ eius, vt S. Marcus agens de Christi crucifixione appellauit: S. Matthæus causam ipsius scriptam dixit. Attalus Martyr ad supplicium abductus est præcedente Christianitatis titulo, vt loquitur Eusebius *i*. Tertullianus contra Scapulam agens de Pudente Præside vocat *elogium* & alibi *k*, pro eo quod est notare criminosos congruentibus titulis, dicit *sententiis elogia dispungere*. Qua eadem ratione apud Suetonium in Caligula vitio vertitur quòd *inspecta non fuissent custodiarum elogia*, id est, schedæ damnationis causam continentes. Quòd si aliquando noxij non præferebant scripto comprehensam damnationis causam, præconis tamen voce vulgabatur. Sic Spartianus in Seuero. [Fustibus cum sub elogio eiusdem præconis occidit.] Flaccus de Mena.

f cap. 10.
g cap. 45.
h lib. 54.
i lib. 5. histor. c. 1.
k cap. 44. Apol.

Sectus flagellis hic Triumuiralibus
Præconis ad fastidium.

Cui scilicet vel quandiu durabat flagellatio, vel quoties variis locis repetebatur, inclamanda erat causa.

l lib. 1. de cruce cap. 27.
m ad c. 6. Palacti n. 4.

Alia in hanc rem exempla subministrant Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium 20. Ianuarij. Gretserus *l* & Daniel Malonius *l*, qui duo obseruant vsum hunc inde manasse, quòd boni iudices constare vellent quòd pœnæ addicerent

addicerent noxium non abs se factum gratis aut ex damnandi libidine quod esset immanitatis plenum ; sed id extorsisse delicti à reo admissi atrocitatem ; ideóque celatam noluisse causam cur ita sæuirent in eiusdem naturæ participem.

Quid multa ? Ipse iudicum Iudex inter ferendam extremam & irretractabilem damnationis sententiam , non celabit reos causam immensæ molis malorum quam in sua capita deuocarint , vt proinde hallucinatus sit rythmicus ille versificator qui ad imaginem à Iacobo Iacqueri Taurinensi anno 1401. Geneuæ depictam in templo PP. Dominicanorum hos rythmos adscripsit, vt refert Blatero nuperus, qui de prostrata integro iam sæculo religione Catholica , nomine *Geneuæ* restitutæ (scilicet) secularem habuit orationem.

Iudicabit iudices Iudex Generalis ;
Hîc nihil proderit dignitas Papalis,
Siue sit Episcopus, siue Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
Hîc nihil proderit quicquam allegare,
Neque excipere, neque replicare,
Nec ad Apostolicam sedem appellare,
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.
Cogitate, miseri, qui vel quales estis,
Quid in hoc iudicio dicere potestis,
Idem erit Dominus , iudex, actor, testis.

Haudquaquam erit ita , mi homo. Non erit idem iudex, actor, testis, sed agente & contestante vnicuique sua conscientia, iudex æquissimus feret sententiam.

Nec causam tacebit , vt affirmas , sed propalam aperiet coram vniuerso orbe terrarum. Quid enim aliud ferunt illa Christi iudicantis tonitrua ? *Ite maledicti in ignem æternum : Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Particula causalis enim manifestè præfert damnationis causam , quæ maledictionem deuocarit in impiorum capita : idcirco namque non sicut iustis dicetur, *Venite benedicti Patris*, quia gratia Dei vita æterna , ita dicetur reprobis. *Ite maledicti Patris*, sed absolutè *maledicti* : quia Deus non puniet reprobos sua voluntate , sed ob causam ab ipsis positam , vt Origenes *a* animaduertit. Et indidem S. Bernardus *b* rationem docuit cur Deus vocetur pater misericordiarum, non item iudiciorum. Alia imagine id esse à Iobo expressum cùm dixit impios flante Deo periisse , notauit S. Gregorius *c* : qui enim flat, aërem extrinsecus hausit quem postea foras promit concalefactum. Hæc omnia eò pertinent, vt constet Deum non punire lubentem, vt S. Chrysostomus *d* tradit , sed pœnam æternam irrogare adactum à reprobo , qui causam damnationis suæ volens posuit, quam Deus vult innotescere, & palam, & apertè efferri, vt constet perditionem impiorum ex ipsis esse. Imò scripto comprehensam exhibebit, non in charta , sed in tabulis cordis damnatorum , vt Deus iudicans vincat , & iustificetur in sermonibus suis , quibus damnationis sententiam proferet. Nam vt rythmo rythmum non minus solemnem reponam ;

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus iudicetur.

En *proferetur*. Cui autem nisi reo & omnibus qui astabunt Angelis & hominibus

a hom. 9. in diuersos.
b serm. 5. de Natiuit. Dom.
c moral. c. 15.
d lib. 3. de prouid. sub finem.

bus. Hæc erit vna omnium sors. Autor sermonis ad Concilium Rhemense coram Eugenio Papa insertus S. Bernardi operibus, scitè hoc his verbis dixit. [Omnes nos repræsentari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque rationem de his quæ gessit in corpore suo siue bonum siue malum. Fratres aliam Synodum pronuncio vobis vbi Dominus Deus sedebit in iudicio, & ibi omnes nos oportet repræsentari, & ibi Deus iustè iudicabit orbem terrarum. Hîc includitur iniustitia in marsupio (nisi fortè quod dici nefas est, mentiatur Apostolus) siue sit Papa, siue Cardinalis, siue Archiepiscopus, siue Episcopus, siue diues, siue pauper, siue doctus, siue indoctus, vt referat vnusquisque rationem de his quæ gessit in corpore siue bonum, siue malum.]

Referre rationem idem est quod secundùm gestorum qualitatem patefactam reo & omnibus, damnatione percelli, vel præmia æterna decerni.

a Orat. 4. de fato.

Et hac in parte diuinam bonitatem demiratur S. Chrysostomus *a* quòd cùm pro potestate perdere posset si videretur homines quantuncunque innoxios, tamen ne noxios quidem plectere velit, nisi de irrogatæ pœnæ causa ab ipsis deriuata apertè constet, non modò in supremo iudicio cùm agetur de summa rerum, sed hîc quoque. [Vbi de facto constiterit, (ait de Deo Chrysostomus) & ibi rationē reddiderit rei quā facturus est, facit quod vult. Sicut Sodomitarum ciuitates deuastaturus non ita simpliciter in eos ignem demisit: sed quid agit? Auditur Sodomorū & Gomorrhęorū clamor, & nihil adhuc agitur. Descēdit vt videat, neque sic subsistit, sed mittit Angelos, qui tibi ostendant malitiam inhabitantium ciuitatem, quo nulla relinquatur occasio blasphemandi Deum, etiam impudentibus, sed manifestetur quod iustè deleantur tam inhospitales, tam inhumani, tā pręuaricatores, tam ignari iustitiæ, tam euersores communium legū naturæ, tam pleni omni malo. Quid tā benigno misericordique Deo æquale? Nos vindicaturi sæpè dedignamur rationem reddere; ipse autem nisi te priùs docuerit, nisi te priùs admonuerit, nisi rationem à te acceperit, vt iustè pœnam irroget, non animaduertit in eos qui iam olim meruerunt pœnas, paratus vbique rationem reddere & non dedignatur iudicari. Vbique Propheræ huiusmodi sermonibus pleni sunt; vbique iudicia Dei cum hominibus audiuntur.]

Idem ergo par est facere bonos & æquos iudices in quacunque damnatione, vt Card. Tuschus *b* rectè monuit. Et qui secus faciunt, his quidē quos sine causæ expressione diuexant, patiētiæ laudē conciliant ei affinem, quā Satan Iobo, sibi autē dedecus & infamiā apud probos æstimatores. Nā Iobum D. Chrysost. *c* ignorasse calamitatis suæ causam his verbis tradit agens de illius adamātis, illius patientiæ petræ (sic Iobum nominat) eximiis virtutibus. [Idem ipse (Iobus) nesciebat propter Deum ista se pati, & tamen pro hoc coronabatur, quod cùm causam nesciret, patienter hoc ferret.]

b lit P. concluſ 803. n. 2. & littera M. concl. 403. n. 2.

c epist. 7. ad Olympiad.

Itaque indignissimè ac truculentissimè Hetæriarchas in Eretarchū versus, peruersum illū iudicandi vsum adhibuisse deprehensus est, vt quos iniuria & per calumniā oppessos veller, mulctaret in silētio, vt serpēs mordēs non in sibilo, tantū denunciās eos certis grauari accusationibus, quæ ipsis multatis detegi nō possent, ne in eorū à quibus accusati fuerant cognitionē venirent, & criminatores deprehenderent. Qua opprimēdi & calūniandi, nō enim regendi impotentia, nihil iniustius fingere liceat: ita vt viri sapientia & religione præstātes ad eū belluinū & tyrannicū iudicandi modū cohorruerint, & vox faucibus hæserit præ stupore. Nilsil sanè

sanè possit vel calũniatoribus accidere opportunius, vel impotentis iræ Præsidi cõmodius ad explendã libidinem perdendi eum quem exosum habuerit, quàm si barbara illa agendi ratio teneatur, & ad summum non nisi generatim significetur esse grauia quædam, quorum quis sit insimulatus, & quorum causa vexationi sit subiiciendus, non tamen posse aperiri quæ illa sint, ne qui noxium detulere deprehendi valeãt à criminoso. Cedo quàm optimum, quàm irreprehensibilẽ & sanctum voles hominem; nego posse illum aduersus hanc malignitatem tegere innocentiam: quis enim excuset aut purget quod nescit? Quos verò maledicentiæ suæ limites ponet calumniator, cui securitatem præstat altum de persona criminante & de criminatione silentium? Quare abiicienda est, & cum omni detestatione repellenda tam truculenta, támque ferina agendi ratio.

§. 24. *Induciæ ad purgationẽ ac defensionem concedæ.*

Neque verò satis esse debet æquis iudicibus non celare reũ damnandi causam, sed tempus insuper ac facultatem concedant oportet ad suam, (si fortè suppetat,) purgationem atque defensionem: perinde enim esset damnare inauditum, ac non concessa abluendi impactas noxas facultate donare, idque in Ecclesiasticis iudiciis omnino seruandum esse grauiter admonet S. Damasus *a* scribens ad Stephanum Mauritaniæ Primatem, & Africana Concilia, esséque eas inducias reo concedendas, probat ex secularibus iudiciis rectè constitutis, quæ ex legum præscripto sic obeuntur. Optimè item in eam rem philosophatur S. Ambrosius scribens ad Constantium Episcopum, quem quomodo de Illyriis quibusdam suspectis erroris iudicare debeat, his verbis admonet.] Difficilè quidem imbuti animi infidelitatis venenis abolere possunt impietatis suæ glutinum, si tamen in iis virus infaustum inoleuerit: nec facilè iis credendum putes, nerui enim sunt & quidam artus sapientiæ, non temerè credere, maximè in causa fidei, quæ rarò perfecta est in hominibus. Tamen si quis est qui licet suspectæ sit infirmitatis, & annunciantis affectus purgare habitam de se opinionem velit, permitte vt satisfecisse se putet: indulge aliquantulum; cuius enim excluditur satisfactio, auertitur animus: nam etiam medendi periti cùm vident notas ægritudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant, nec deserunt inualidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt palpant delinimentis, ne aut intermissa ægritudo desperatione animi grauescat, aut crudior medicinam respuat, eo quòd ad maturitatem peruenire nequeat si indigesta insolens rerum huiusmodi medicus adhibeat manus. Siquidem & pomum cùm immaturum exagitatur, citò deperit.] Conclamat validè aduersus præclusam sibi defensionis facultatem Abulensis vt apud eum videre est in præfatione primæ partis defensorij.

a epist. 4.

§. 25. *Doctrina proposita valet pro omnibus & reis & iudicibus, per se loquendo.*

Omnia quæ hactenus constituta sunt de necessitate audiendi reum, eíque damnationis causam exprimendi, & inducias ad abluenda crimina concedendi, ad omnes æquè iudices extendenda sunt per se loquendo. Quibus paucis verbis tria attingo in hanc rem obseruatu digna: nam nonnullis Doctoribus visum est, rata quidem esse oportere omnia prædicta si agatur de pœna mortis; at si sermo sit de pœna extraordinaria infligenda reis quos indicia sufficienter grauent, vt torqueri possint, contendunt nihil esse necesse auditionem vel defensionem concedere. Et idem de insignibus latronibus docent Monticellus *b* Bertazolius iunior *c*, & Gratianus Falconius *d*. Sed nullum horum admitti debet; & quicunque reus inauditus, aut negata causæ damnandi notitia, vel defensio-

b in praxi crim. reg. 24. n. 24.
c consil. 30.
d Reg. 268. n. 4.

nis facultate damnetur, inhumanum est per se loquendo, ac, vt Liberiùs loquebatur, nefas extremum. Perperam igitur vniuersalis doctrina superius tam multipliciter stabilita arctatur à nonnullis ad pœnam mortis, cùm sit par ratio de pœna quacunque, vt carceris, exilij, exautorationis, spoliationis bonorum, & cæterarum, vt rectè agnoscunt Petrus à Nauarra *a*, Lessius *b*, Sayrus *c*, ac passim cæteri consentaneè ad decretum Pontificium quod extat c. *qualiter & quando*, & vniuersaliter sanciens reum priusquam damnetur, non modò esse audiendum, & exponenda damnationis capita, ac causas, sed etiam facultatem suiipsius defendendi esse ei concedendam.

a l. 2. de rest. c. 3 n. 195.
b l. de Iust. c. 29. n. 102.
c in claui l. 12 n. 26.
d de accusat. in 6.

Aliam restrictionem vniuersalis doctrinæ propositæ adhibent nonnulli existimantes eam ratam esse oportere pro iudicibus inferioribus, de supremis tamen qui scilicet soli Deo innocẽtiam debeant, aliud esse. Certè Princeps tametsi ad iudicium exigatur scientia publica, potest tamen ex priuata damnare, iuxta Couarruuiam *e*, & alios quosdam Iurisperitos. Quidni igitur alias æquè forenses remoras possit præcidere? Nihilominus Caietanus *f* cui adscribuntur Lessius *g*, & Luisius Turrianus *h* aliique passim, negat licere Principi cuicunque ex sola scientia priuata damnare quenquam, eo quod iure gentium ad sententiam iudicialem quæ publicum quid est, publica iudicantis scientia, ex allegatis & probatis hausta sit necessaria, vt scientia sit commensurata scientiæ: Respublica enim non transtulit in Principem potestatem quam in suos habet, nisi sub onere saluum retinendi commune illud ius gentium. Vnde Princeps sub illo tacito pacto admissus non potest illud infringere, (per se loquendo, vt mox exponam,) damnando ex sola scientia priuata, sed debet adhibere publicam iure positiuo apud omnes gentes recepto ac vigente necessariam ad damnandum. Hoc si verum est, vt est sanè verum, pro eo iudicij adiuncto quod iure tantùm positiuo necessarium est ad damnationem legitimam, quanto magis fatendum est verum esse de iis, quæ sunt iudicio substantialia, & iure naturali requisita, nimirum vt reus audiatur, & sciat quorsum damnetur, habeátque facultatem ad abluenda crimina? Non est planè quod quisquam mortalium sibi hac in parte de quantacunque, ac vel Pontificia, vel Imperiali aut Regia potestate abblandiatur, cùm ipsi summi Pontifices disertè contestati sint *i* nihil se posse aduersus partem inauditam statuere, aut in facultate suimet defendendi reo neganda; vel quod inde consequitur in reticenda damnationis causa, qua ignorata defensio præcluditur. Scribit sanè Ioannes Bodinus *k* Henricum II. Galliæ Regem cùm seruum Italum in carcerem coniecisset, nulla adiecta causa, Iudices vinctum illum exoluisse, nec vllis Regiis mandatis adduci potuisse vt eum damnarent: tametsi Rex religiosè ac sanctè iurabat nequam illum deprehensum à se fuisse in scelere turpissimo, succenseréntque iudicibus quod sibi affirmanti fidem non haberent. Quia tamen damnandi causa determinata reticebatur, iudices pro innoxio habuerunt, & carcere exemerunt, tametsi postea iussu Regis in flumen Sequanam noctu demersus est, ne insolétia facti populum perturbaret damnatus est per violentiam cui species legitimi iudicij per constantiam & infractum iudicum pectus obesse nequiuerat. Latè aduersus restrictionem vniuersalis doctrinæ superiùs propositæ, hîc impugnatam agit Rodulfinus tractans absolutam Principis potestatem *l*; & annuit Azor *m*, necnon Franciscus Capiblanco *n* ac Farinacius *o* allegans innumeros, & dicens

e cap. 1. de cauſ. poſſeſſ. & proprietat.
f in metho. do hiſtor. pag. 238.
g c. 2. de Iuſt. à n. 94.
h diſp. 48. de Iuſt. dub. 4.
i à n. 85.
k p. 2. l. 11. c. 7.
l t. 2. de offic. bon. pragm. 1. c. 2. n. 22.
m l. 2. q. 9. crim. q. 39. n. 18.
n l. 2. qq. crim. q. 39. n. 18.
o l. 2. qq. crim. q. 39. n. 18.

ita

ita omnes tenere. Ac annuentibus omnibus iis qui defensionis facultatem cui auditio & noxæ notitia supponitur iure naturali deberi statuunt, vt suprà retulimus.

§. 26. *Quando per accidens, fas non audire reum, & inducias ad purgationē negare.*

Aliam restrictionem vniuersalis doctrinæ superiùs propositæ aliquoties adhibui quæ sola probanda est. Dixi igitur eam vniuersalem doctrinam valere per se loquendo, quia cùm crimen est ita manifestum, vt planè constet nulla defensione tegi posse, nec vllam reo superesse viam tuendi sese, (quod regulariter absque auditione rei non contingit,) tunc frustra necterentur moræ in reo audiendo & dandis ad se purgandum induciis. Idque spectauit S. Leo IX. cùm Gregorium Vercellensem ob grauissima crimina de quibus planè compertus erat, absentem licèt ac inauditum damnauit, vt scribit Hermannus, & ex eo Baronius anno 1051. *a* Alios item Pontifices eandem ob causam aliquando absentes damnasse, nec inducias ad rei purgationem frustra tentandam concessisse, ait Bernardus *b* in Gregor. VII. Apologetico. Et hæc videntur esse præcedentia ad iudicium peccata, in quibus negandam esse audientiam contestatur S. Bernardus *c* alludens ad Apostolum qui Timotheum admonebat *d*, quorumdam peccata manifesta esse, & iudicium præcedere; quædam verò peccata subsequi humanum iudicium, quorum priora discussione non egent, cùm ex se, & ante omnem discussionem innotescant. Videndi pro hoc puncto Lessius *e*, Franciscus Syluius *f*, Malderus *g*, Laymannus *h*, Filliucius *i*, Richelius & Abulensis ad illud Deut. 1. *Audite illos.*

Habet verò præsertim locum hæc restrictio cùm periculum esset in mora, quando videlicet timerentur graues turbæ, aut publica pernicies ægrè vel etiam nullo modo postea impedibilis, ni maturè præcaueretur, & reus absque remoris subitò multaretur: tunc enim post crimen certò & euidenter compertum fas foret in reum animaduertere recisis moris inducíarum ad se purgandum, & præstandam ei audientiam ad illum finem. Quod notarunt Syluester *k*, Nauarrus *l*, Rodulfinus de absoluta Principis potestate disputans *m*, Morla in iuris emporio *n*, Petrus à Nauarra *o*, Petrus Ærodius *p*. Factis id ipsum firmarunt plerique veterum. De Agesilao scribit Valerius *q*, [cùm aduersus rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, leges Licurgi continuò abrogauit, quæ de indemnatis supplicium sumi vetabant: comprehensis autem & interfectis sontibus, easdem è vestigio restituit, atque vtrumque simul prouidit ne salutaris animaduersio vel iniusta esset, vel iure impediretur. Itaque vt semper esse possent, aliquando non fuerunt.] Frustra fuit eam legum ad horam abrogatio cùm in illis adiunctis nulla esset earum obligatio. Itaque, quod ait Valerius nisi legibus abrogatis iniustam futuram animaduersionem, accipiendum est de iniustitia in speciem duntaxat. Romani certè in tali euentu, leges nihil morati, indictâ causâ, quem ciuium reum iudicaret damnare Dictatori permittebant, vt Tullius *r* author est. Eo ipso enim quod creatus erat Dictator, supponebatur extremum periculum, in quo euentu leges de ordine iudiciario silere dicimus. Ob proportionalē causam Carolus Magnus, vt scribit Æneas Syluius *s* cum Westphalos magnis cladibus affectos perdomuisset, iique sæpe periuri fidem Deo datam suscepta religione Christiana, & Carolo desponsam subiectionem rebelles facti perfregissent, vt eos denique comprimeret, & grauissima mala alioqui instantia auerteret, instituit

a num. 1.
b c. 22.
c lib. 1. de consid. c. 10.
d 1. Timoth. 5.
e cap. 29. de Iust. n. 100.
f 2. 2. q. 67. art. 3. concl. 6.
g tract. 6 de Iust. c. 1. dub 14.
h lib. 3. tract. 6. c. 2. n. 7.
i tract. 40. c. 6. n. 176.
k v. homicid. 1. q. 2.
l in summa c. 25. n. 10.
m c. 6. n. 92.
n p. 1. tit. 2. q. 2.
o l. 2 de rest. c. 3. n. 192.
p l. 2. rerum iudic. tit. 9. §. 16. & tit. 12. §. 3.
q lib. 7. c. 2.
r lib. 1. de leg.
s in Cosmogr. cùm de Europa c. 36.

tuit arcanos iudices viros probos & integerrimæ ac probatæ virtutis, quos grassari in innocuos verisimile non foret. Hos instruxit facultate damnandi, & supplicio afficiendi quoscunque comperirent noxios, nulla citatione præuia aut defensione præmissa, ac ne accusatione quidem priùs audita. Id iudicium ad suam vsque perduraſſe ætatem scribit idem Æneas Syluius notans vocari *Iudicium vetitum*, & per Scabinos administrari. Extra huiusmodi limitationem quam compertissima sceleris euidentia cui nullam defensionis viam supereſſe sit liquidissimum, aut iustus indeclinabilium alioqui grauissimorum malorum metus infert, abstinendum est peruersione ordinis iudiciarij, qui à rei auditione iudicium sumens, inducias ad abluenda crimina, & causæ discussionem interponi exigit.

§. 27. *Allocutio ad Iudices.*

Concludo dissertationem compellatis in digressu quotquot de aliis pronunciant, & ad pœnam inauditos vel indefensos abripiunt, admonens inprimis illos si internum iudicem suum, cuius lancinatione nullius est belluæ morsus acrior, audire detrectent; si, inquam, conscientiam & accusantes in eius tribunali cogitationes, quarum est strepitus vocalissimus, vt videre est apud Victorem Cartennensem *a*, & Franciscum Petrarcham *b* obstructis auribus nolint exaudire, meminerint iudicij à Iudice supremo & incorruptissimo obeundi, iuxta illud Iobi monitum; *Vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.* Aderit aliquando dies, nec vt mundo toti aliquantulum remotus sit, procul reuera est ab vnoquoque nostrûm, sed imminet & instat in ianuis: Dies, inquam, aderit quo de iudicibus iudicetur, & Iustitiæ ipsæ vt Psaltes *c* loquitur subiaceant iudicio. Ego, (inquit Deus per Dialogismum cum Dauide agens,) iustitias iudicabo. Quod tametsi de iustissimo & incorruptissimo Dei iudicio dictum potius videatur, vt rectè ibi admonet Bellarminus, tamen à Iacobo de Valentia aliisque non paucis aptatur ad iustitias quæ sunt futuræ diuini extremi iudicij obiectum, inter quas eminent iudicia publica, quibus vulgus nomen *iustitiæ* tribuit à debito iuris exquisitè in ea functione retinendi. Cùm autem è contrario in huiusmodi functionem, quam suaptè natura iustissimam esse oportuerat, irrepit iniustitia, præsertim excisione eorum, quæ sunt iudicio substantialia, cuiusmodi sunt audientia reo data, & causæ damnandi expressio, vt suppetat ei defensionis, suique purgandi facultas, tunc sine dubio horrendum Dei iudicium de talibus iudiciis & Iudicibus est expectandum.

a lib. de pœnit.
b lib. 2. de rem. dialo. 66.
c psalm 74.

Eo oppressos in iudicio, & per iudicij iniquitatem afflictos ablegabat Sapiens *d* ad leuandum mœrorem verbis illis, quæ peruelim in Iudicum libris stylo ferreo exarari, vel celte sculpi in silice ad postes locorum, in quibus ferunt sententiam. *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem: Et dixi in corde meo, Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Magna omnino iniquitas, & velut emphasis sceleris, vt in ipso iudicij loco, vbi exercenda esset iustitia, omnino contrarium fiat eius ad quod institutum est iudicium: vt quod cum S. Cypriano *e* dicebamus initio, inter leges ipsas delinquatur, inter iura peccetur, innocentia nec illic vbi defenditur, reseruetur. Hæc non modò est per excellentiam & antonomasticè iniquitas, sed etiam *impietas ἀσέβεια*: nam & rempublicam quæ parentis dulcissimæ loco esse debuerat, & Deum ipsum, cuius vicinam præfecturam Iudex obit, violat ea agendi ratio. Quod verò solatium fortissimum aduersus eum mœrorem subministrat Sapiens? Non aliud sanè

d c. 3. Ecclesiastis.
e epist. 2.

quàm

quàm quod petitur ex iudicio de iudiciis iudicum seculi per incorruptum & omniscium ac vsquequaque perfectum Iudicem coram quo sistentur causæ dmnes denuò discutiendæ, ac retractandæ, vt iudex homo qui iniquitate iudicium fœdauit, vel à loco iustitiæ tentantem subingredi iustitiam repulit, pœnas det opinione nostra maiores, & quæ Deum iusti iudicij acerrimum æmulatorem suique mœroris (vt ἀνθρωποπαθῶς dicam) ex iudiciorum indignitate concepti vltorem deceant.

In eandem sententiam terribiliter tonat potiùs quàm loquitur Esaias *a*, expressiùs etiam denuncians quàm Ecclesiastes horrendum iudicis Dei de hominibus iudicibus iudicium. Iuuat eum per partes audire. *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit.* Optabat scilicet iustitia subite sedem, suam, & locum sibi destinatum inire: sed Iudices qui videbantur regere populum (ita enim rectè Daniel huiuscemodi iudices appellat) qui, inquam, nomen Iudicum ementiebantur, & in loco iudicij ac Iustitiæ operabantur iniquitatem, iudicium & iustitiam repulerunt, nec fuerunt appropinquare ad eam plateæ partem in qua erat iudicij exercitium. Itaque subditur, *quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuionem, & qui recessit à malo, prædæ patuit.* Non tantùm corruit veritas & in obliuionem traditur cùm homo innoxius mendacibus calumniis opprimitur & innocentia falsiloquiis conspurcatur; sed etiam cum veritas premitur & erumpere prohibetur. Hoc est cùm non auditur, qui reus prætenditur, nec pro se dicere, & indemnem se præstare permittitur. Hoc enim est veritatem repelli & corruere in platea iudicij ac fieri in obliuionem. Accedit quod in scripturis facere veritatem, vt alibi *b* ex D. Augustino latè traditur, est operari, quod bonum est ac iustitiæ consentiens: & è contrario malè agere est mendacio pollui. Admittitur ergo turpe mendacium cum iudicium peruertitur: idque nominatim admitti denegatione audientiæ, & negatione defensionis, notauit Abulensis expendens illud; *Non suscipies vocem mendacij.* Planè namque mentitur qui illum in quem vibranda est damnatio, audiendum esse inficiatur. Eóque recidit quod luculenter tradit Theodoretus *c*, veritatem non posse attingi à Iudice nisi audita parte vtraque; atque adeò quicquid in iudicio aliter præstet, veritatis exsors est, & ad mendacium pertinet. Ex ea ergo mendacij inuectione per audientiæ at defensionis negationem, reus prærensus qui reuera innoxius erat per iniqui iudicis malignitatem prædæ aduersarij patuit.

a cap. 59.

b l. de æquiu. c. 1.

c epist. 89. & 145. in fine.

Sed quid Deus ad eam sceleris atrocitatem? Eloquatur Esaias qui pergit in hæc verba. *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium, & vidit quia non est vir:* valens scilicet & volens perrumpere, iniquitatem, & quod iustum est iustè iudicare:) *Et aporiatus est quia non est qui occurrat, & saluauit sibi brachium suum, & iustitia eius ipsa confirmauit eum. Indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli, sicut ad vindictam quasi ad retributionem.* Non egent ista nostris glossematis: sunt enim expedita & plana omnique vitro pellucidiora: illis autem quæ ex Salomone adduximus consimillima, nisi quod Salomon forassis agit potiùs de vltione in extremo iudicio reponenda, quanquam neque excludit eam quæ hîc ante obitum persæpè infertur, de qua potius agit Esaias. Vtrobique autem horrendum est incidere in manus Dei viuentis qui abusionem concreditæ ad iudicandum potestatis & iu-

dicij peruersionem damnatione eius qui auditus pro se satisfacere & indemnis abire potuisset, feret acerbissimè, vt verba Esaiæ sanè magnificè exprimunt.

Itaque altè occinendum & validè inclamandum est iudicibus omnibus quod Episcopis iudicantibus ingerebat Nazianzenus *a*. [Vos qui thronos coronatos consequimini, & ob fluxas eminentias elari estis iustitiam illam extremam & ineuitabilem intuemini, omnino nihil vsquam esse quod illam effugere possit considerantes.] Nam hîc quidem vi muneris & potestatis in alios, tuti estis, etiamsi ad gemitum pauperis obsurdescatis, nec præ gratia qua apud vos valent potentiores, aures innoxiis per eos oppressis reserare dignemini : at apud iudicem Deum, non sic, sed procul excusso omni fauore, & omni gratia Dei ipsius gratiam excludente emerget ac splendebit in vestram confusionem oppressa veritas, ac in vestris capitibus seriùs ocyùs agente Deo hæc faba cudetur. Sic se solabatur Theodoretus iniquo (vt ipse quidem refert) iudicio oppressus, & absens ac inaudirus peruersitate impietatem æquante damnatus. Vnde scribens ad Eutrechium præfectum *b*, post alia in eam damnandi absentis ac inauditi iniquitatem adducta, subdit ; [Actionem sine vadimonio instituerunt. Sed oportet æquos Iudices reo alteram aurem seruare. Quòd si aduersariorum sermonibus vtramque præbent, & ex eorum arbitrio sententiam promunt, amplectemur iniuriam regni cælorum conciliatricem, & forum illud expectabimus, in quo non accusator futurus, nec patronus, nec testis, nec discrimen dignitatum, sed dictorum factorúmque iudicium, & congrua meritis retributio : omnes enim stabimus (inquit) ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum.]

a orat. de Episcopis n fine t 2. Græcol.

b Epist. 91.

Florentius de Montmorency Vicarius Generalis Societatis IESV.

CVm' Opusculum P. Theophili Raynaudi Societatis Nostræ cui titulus. *Gemitus Columbæ de Iudiciis seculi.* Tres eiusdem Societatis Theologi quibus id commisimus, recognouerint ; & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Romæ 28. Iunij 1649.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

A

ABBATIS Floriacensis versus Porphyriani. pag. 217
Abrahami Bzouij crassa hallucinatio. 137. 138
Abulensis simplicitas, tractando obscœna. 52
Academiarum decisiones, quanti sint. 273
Achilles Tatius, scriptor impurus. 46
Acta Apostolorum & Apostolicorum conficta. 160
Adalbertus damnatus. 15
Acta Martyrum. 321
Adami nomen, tetragrammaton. 210
Adam vocatus antequam damnaretur. 337
Adamus Sasbout, an auror operum ei adscriptorum. 163
Adhelardus S. oppressus iniquo iudicio. 336
Aëlredi opera, S. Bernardo supposita. 129
Aëlredus quem sibi censorem optarit. 269
Adolescentia, turpitudines scriptorum non tegit. 58
Adriani, curiosa studia. 36
Adriani Florentij, bonitas in censendo. 291
Adulterationis librorum, scelus. 181
Adulteratio per erasam tum rescriptam sententiam. 175
Æaci de Claudio iudicium. 342
Ægidio Romano suppositа quædam. 122
Ægyptiaci dies, qui. 35
Ægypti expilatio, quid mysticè. 198
Ægyptij iam olim Chymici. 227
Æthiopibus cur summa iudicij sedes, vacua. 337
Æthiopicæ literæ, hierogliphycæ. 214
Affectus auersi, à Censore declinandi. 278
Agobardo, quæ suppositа. 122
Alano Copo adscripti Dialogi. 117
Alberto Magno suppositi libri. 122
Albertus Pighius Caluini lectione fermentatus. 263
Alchymia v. *Chymia.*
Alcorani impugnatores. 203
Alcoranus an prohibitus. 200. & seqq.
Alexander Deglatein, laudatus. 216
Alfonsi à Castro concitatio in libros Ethnicorum. 186
Allegoriæ, de Ethnicæ litteraturæ purgatione. 198
Allocutiones hæreticorum noxiæ. 9

Alphabetum Græcum à Gnosticis adhibitum. 212
Amadisij libri fabulosi. 69
reiiciendi vt spurci. ibid.
Amalarius, autor operis de Officiis, quis. 123
Ambrosij quàm multi libri deperditi. 322
Ambrosius quem operis sui Censorem dixerit. 267
Ambrosius haud plagiarius. 267
Amicus, iudex inidoneus. 279
Amor infatuans. 280
Anastasius Bibl. sua scripta subiicit Nicolao I. 275
Anastasius Sinaita, librum suppositit S.Flauiano. 117
Andreæ Saussay, coniectura de speculo Vincentij. 169
Andreæ Duuallij lapsus. 127
Andreas Mestralus occupatus pessimè, id est, operosissimè. 216
Andreas Monachus, falsarius. 120
Anepigraphi libri an vetandi. 231. & seq.
Angeli Politiani petulcitas. 59
Ansberto quæ supposita. 125
Anselmus sua scripta subiicit Rom. Pontifici. 27
Anselmo Cantuar. multa supposita. 25
Antiquarij dicti, Catholici. 240
Antiquitas, veræ Ecclesiæ nota. 240
Antonius Sanctarellus, spoliatus. 166
Apes imitãdę in malorũ secretione. 256
Apes Poëtæ. 49
Apocalypsis vnde iuxta Petrum Monodum. 352
Apocryphi libri, qui. 159
Apocryphi libri, sedes Satanæ. 177
Apollinaris scripta, omnino multa. 7
Apollonius Tyanæus, Magus Panurgus. 30
Apostolorum libri confícti. 160. 161
Aposiopeses in horrẽda narratione. 33
Aqua ad Chrysopœiam. 226
Aqua obliuionis, Diadocho, quæ. 187
Aquæ in vinum mutatio in calice, an certa. 253
Aquila pulsus secundò ex Ecclesia, cur. 35
Archilochi mordacitas. 86
Argumenta librorum inania: 228
Aristotelis libri adulterati. 170
Aristotelis Metaphysica, Lutetiæ damnata. 14
Armacani, recens Canonismus: 77
Armeni Scripturæ adulteratores. 170
Arnoldus Bonæ Vallis scripsit de oper. Cardinal. 136
Arnoldus de Brixia, cuias. 17
nauus adulterator Patrum. 174
Arrij spurciloquia. 65
Astrologia Magiæ Comes. 32
Astrologia quanti sit ad rem Medicam. 343
Athanasij liber de passione imag. adulteratus. 172
Athanasio supposita Opuscula Theodoreti. 126
& alia nonnulla. ibid.
Athei ex hæresi, quàm multi. 21
Atheismus, sedimentum hæreseos. 17
quàm teter. 18
ipsis Ethnicis abominãdus. 18. 19. 20
calũnia de Atheismo Christianorũ. 19
clancularius Atheismus, triplex. 20
Auditores in scholis Religiosorum, cur plures, 77
Auerroës, damnosus Ecclesiæ. 200
Augustini libri, peruersè exagitati. 326
Augustino supposiri, sermones ad Eremitas. 118
Augustino multa supposita. 127. 128
Augustinus ad sibi impositа, est Prosper. 117
Aurelius Victor, Christianis vtilis. 195
Aureolus nouitatum amans. 250
Auritus tantùm Iudex, peruersus. 306
Aurum, effici per artem potest. 224
Authentica censura, quæ. 270
Autolyci, in Christianos ob nouitatem accusatio. 241

Autor & compilator, quî differant. 247
Autores, Magiſtri orbis terrarum. 307
Autores noui, haud reiiciendi. 255
Autoritas priuatæ cenſuræ quanta. 268

B

BAlduini Hannonij ſimulatio. 176
Baptiſtæ à Porta, Magia cuiuſmodi. 30
Barbariſmus quid proprie. 58
Barthol. Torres, exercitiorum S. Ignatij laudator. 293
Bartholomæi Spinæ, fraus. 157
plagiarius. 166
Bartholomæus Vrbinas, ſpoliatus. 166
Baſilius ſæpè expreſſus ab Ambroſio. 167
Baſilius quos voluerit ſuorum ſcriptorum Cenſores. 266
Baſilio ſuppoſita quodam. 128 129
Bellarminus ob librum de Gemitu col. paſſus calumniam. 112
Bellarmini ſcripta perperam vocata in odium. 222
Bellarmini liber de ſcriptoribus, perutilis. 121
Bellarmini Cardin. inſignia decora. 80
Benedicti 2. retractatio iniquæ ſententiæ. 310
Berengarij liber ſuccenſus. 14
Bernardus in Abelardum ſeuerus. 105. & ſeq.
Bernardo multa ſuppoſita. 129. & ſeqq.
Bernardini Roſſignoli opus, *Stimuli virtutum*. 141
Item hiſtoria SS. Thebæorum. ibid.
Beroſus Annianus, cuiuſmodi. 164
Bertramus Autor libri de Euchariſtia, quis. 132
Eius liber iure notatus. 132
Beſtialitas Hæretica ex PP. 92. & ſeqq.
Beza an iure ſpurciloquos arguerit. 67
Bibliothecæ inſtructiſſimæ, deperditæ. 322
Bionis ſales. 86
Blaſphemiæ Thalmudicæ. 206
Boëtius Symmachum optauit Cenſorem. 266
Bohemi encomio verſatili, laudati. 214
Bona malis admiſta, non purgant mala. 163
Bonauenturæ ſuppoſitus liber Collationum. 133
Boulartius Canon. Regul. laudatus. 153
Brunonis opera, variis adſcripta. 133
Buridanus ſe pluries deceptum fatetur. 251
Byzantinæ turres ſeptem. 282

C

CAbala quid. 207.208
Cabalæ notio apud Cenſorem ineptum. 305
Cæſaris de Bus, in ſua iuuenilia ſanctus ardor. 46
Cain citatus, priuſquàm damnaretur. 337
Calpunius Lanarius, æmulus Hieronimi, quis. 198
Caluinianus à Caluiniano vapulans. 115
Caluini & Lutheri collatio. 263
Caluini in eludendo Auguſtino nequitia. 62
Caluiniſtæ cur librorum ſpurcorum patroni. 68
Calx per Græcos farinæ Latinorum immiſta. 182
Camerarij Sectarij pudoratum iudicium.

cium. 60
Canis Scaliger. 4
Canisij catechismus, primus liber, Societatis. 236
Captiuæ expurgatæ, mysterium. 198
Cardani Semiatheismus. 26.27
polypus circa fidem & religionem. 26
delirium de strumis per Reges Galliæ curatis ob aromata. 27
varij crassi eius errores. 27
impietas in Patrem, cui factus est Cham. 27
Caroli Magni opus de Imaginibus, quale. 163
Cassianus, an in aliena persona errores fuderit. 61
Cassiani errores, tantùm materiales. 219
Cataeriani libri, qui. 36
Catecheses Cyrilli nomine vulgatæ, verè sunt eius. 143
Catherinæ Senensis Epistolæ adulteratæ. 173
Catholici, dicti Homousiastæ. 248
item dicti antiquarij. 240
Catholici lectione Hæreticorum fermentati. 263
Catholicorum censuræ, per hæreticos sparsæ. 311
Cato, Autor distichorum, quis. 134
Catus picam vorans suo cum exitio. 90
Causæ propriæ, nemo iudex idoneus. 280
Causa damnandi, manifestanda. 287. & seqq.
Censores priuati, quales deligendi. 266
Censorum superbia auersanda. 283
Censuræ derisæ ob præcipitationem Censorem. 285
Chiromantia explodenda. 38
Christianis obiecta peruicacia. 196
item nouitas religionis. 241
Christiani Beluacensis Doct. Paris. pœnitentia. 76
Christo adscriptus liber. 159
Chronicon Flauij Dextri, quale. 139
Chrysostomi opus in Acta, genuinum. 24
Chrysostomi zelus in libros Hæreticorum. 12
Chymicus labor circa aurum, in praxi ferè illicitus. 227.228
Chymici libri de Chrysopeia, an ferendi. 224
Citatio Adami. 337
Ciuilis potestas, quanta circa libros. 277
Clagerorum iudicia absurda. 345
Claudianus autor carminum de Christo, quis. 134
Claudij iniqua iudicia, in cœlo improbata. 342
Clemens Alexandrinus adulteratus. 172
Clemens Romanus, adulteratus. 171
Columba, typus Spiritus sancti. 333
Compilator, vt differat ab autore. 247
Concionatores supponentes sententias. 174
Conciones subductæ. 166
Conscientiæ iudicium. 343
Consolatio plagium passi. 180
Constantij iudiciorum, iniquitas. 338
Constantini lex in Hæreticos, & eorum libros. 11
Constantini Caetani figmenta. 145
Conuitium inferens, non patiens, miser. 87
Coperniei temeritas, circa motum terræ. 252
Curiosi libri apud Lucam, qui. 9.31
Cypriano quæ supposita. 135
Cyrillus cur libros Hæreticorum legerit. 265
Cyrillus à murco Truncatore liberatus. 134

D

DAcrianus, ipse est Blosius. 137
Damna à malis libris. 3.
Damnatio inauditi, ferina. 286. & seqq.
Damnatio libri mali, ferenda patienter. 318
Damnatio non conuicti, ferina. 291
Dauid malè damnat Miphibosethum. 349
Desiderius Viennensis calumniam passus. 185
Descensus Dei ad iudicandum, quid. 339. 306
Designanda damnationis causa. 287. & seqq.
Deus, ratio prima. 337
Deus recens quo interdictum, quis. 245
Diaboli denominatio, vnde. 286
Dictio, vagina sensorum. 58
Diocletianus cur Chymicos libros vastarit. 227
Disceptatio Dei cum peccatoribus. 342
Diuinatorij libri, abiiciendi. 38.39
Doctorum multitudo, iusto maior. 272.& seq.
Doctores multi, indocti. 273
Doctores omnes, etiam simul sumpti, fallibiles. 274
Doctrina ex se probabilis, manet talis, etiam damnata. 329
Dominicus libri de corpore Christi autor, quis. 138
Domitij Calderini impietates. 20
Donatus Virgilij Interpres, Christianus & Sacerdos. 158
Durandus amans nouandi. 250
Dionysij Alex. de libris hæreticorum legendis sententia. 264
Dionysij Corinthij querelæ. 172
Dionysius exiguus allatratus. 328

E

EDmundus Richerius, quid pro spurcis scriptoribus. 66.67
idem patronus obscœnitatum. 260
Eligij liber Augustino suppositus. 128
Eloquentes quidam, spurciloqui. 57
Ennij aurum in stercore. 258
Enochi liber, adulteratus. 170
idcirco expunctus è Canone. 171
Ephemeridum cõsultores Romani. 35
Epicuri libri, combusti. 19
Epilotica Iudicum Medorum. 354
Epiphanij scripta, vitiata. 172
Epiphanius in hæreticos, austerus. 87
Episcopi ius in discussione doctrinæ, 271
Episcopi in profanis studiis nimij, improbati. 189
Epistola ad Hebræos, cur absque autoris nomine. 236
Epistolæ de cœlo demissæ. 160
Epitaphium Ioannis Nepesini per numeros. 211
Erasmus, alter Lucianus. 22
inanis eius gloriatio de sua Moria. ib.
Luthero viam aperuit. 23
eius impij ioci. ibid.
in dogmata fidei, incursus. ibid.
exagitatores Erasmi. 24
dictus cœli ac terræ Censor. ibid.
temeritas in censura Patrum. 176
natalium spurcorum ac vitæ breuiculus. 25
Eruditio admista non purgat obscœnitates. 51.& seq.
Eretarchæ ex Hetæriarchis. 288
Ethnici, vetustati Religionis inhærebant. 240
Ethnica literatura vtilis. 183
Ethnici mordentes Christiana, vtiles. 193
Ethnici multi plagiarij. 165
Ethnicorum iudicia, quàm considerata. 305

Ethnici Sacerdotes, librorum censores. 277
Euangelium *secundùm Matthæum*, non *Matthæi*, cur. 236
Euangeliorũ Codex, pro Christo. 307
Eugubinus in Theologicis Ethnicos allegans notatur. 197
Eunapius Christianos mordens, illis proficit. 193
Eunomij furta. 169
Eusebius Emissenus pro Brunone Signiensi. 138
Eusebius Cæsariensis frustra purgatus. 219
Eutychius C.P. verè errauit circa resurrectionem. 12
Exscriptorum laudes. 309.310
Exercitiorum S. Ignatij liber, vellicatus. 293
Expositiones nouæ Scripturarum, suspectæ. 242

F

FAlsitas, celari auida. 238
Falsationis librorum, scelus. 181
Fama autoris per censuram iniquam violata. 307
Fama autoris à libro vno. 308
Fatarij Astrologi, explodendi. 33
Fausti, errores tantum materiales. 219
Federicus Aug. fluuij ictu absorptus. 336
Festinatio lenta, Iudici adamanda. 284
Feüardentij fraus. 174
vltio de Suaresio, qualis. 175
Fidei noua illustratio, licita. 244
Filius Thersites, matri speciosissimus. 280
Filia temporis, veritas. 329
Flauij Dextri Chronicon, quale. 164
Fœminæ Caluinianæ, in Scripturam ipsam ferocia. 221
Formatarum literarum ratio. 213
Fragilitas lectorum, libros aliquos subducit. 220
Franciscus Ribera spoliatus. 166
Franciscus Rabelesius, Apostata, Atheus. 22
Fritinnite, quid? 333
Friuophili pro Philosophis qui. 26
Fulgentius Astigitanus autor librorum Mythologicorum. 139
Furta concionum. 166

G

GOætia, improbata. 30
Galatinus defensus. 207
Galatinus plagij accusatus. 166
Galenus derisus. 270
Galeni votum de librorum censura. 278
Gelasius, Indicem expurgatorium confecit primus. 5
Gellius D. Augustino laudatus. 7
Gelasij I. concitatio in libros Hæreticorum. 13
Gemitus columbæ, quid. 333
Genethliacorum vanitas. 35.& seqq.
Gentilium in Christianos probra, vtilia. 196
Germanus Constantinop. purgat Gregorium Nyssenum. 150
Gerson suppositi non pauca. 144. & seq.
Gerso discussus circa censuram priuatam. 268
Idem circa censuram publicam discussus. 270
Gnosticorum turpitudines. 54
Gobelini Personæ opus, cuius fuerit. 117
Græci, veterum scriptorum adulteratores. 173
Græci calcem farinæ immittentes. 64
Grammatica pro literis quibusuis humanioribus. 192
Grammatica malè confusa cum Grommatica. ibid.
Grammaticorum mordacitas. 85
Grammatici plagiarij. 169
Gregorius Nyssenus adulteratus. 172

Gregorius Vercellenſis, damnatus abſens. 286
Gregorius Protoſyncellus, Autor libri V. capitum. 140
Gregorius Theologus quàm non lenis, in tempore. 104
Gregorij Magni opera malignè vexata. 327
Gretſeri Opera in malos libros. 17
Grunnij Corocotræ Teſtamentum. 7
Gulefridus Viterb. ſuum opus ſubiicit Pontifici. 276
Guigonis Scala S. Bernardo ſuppoſita. 130
Gulielmus Manderſton, plagiarius. 165
Gulielmus Abbas, autor epiſtolæ ad FF. de monte Dei. 130
item libri de amore diuito. 131
Gulielmus Conuentrienſis multarum ſuppoſitionum cauſa. 126
Gulielmi Gibieuſi, noua libertas. 252
Gulielmi Pariſienſes, duo. 141

H

HÆreſes materiales variorum Patrum. 218
Hæretici nouatores doctrinæ. 239. & ſeqq.
Hæretici ſcriptores, mordaces. 85
Hæretici adulteratores Scripturæ. 170
Hæretici gypſum lacti immittunt. 64
Hæreticorum aliqui libri, indemnes, quia innoxij. 220
Hæreticorum in Scripturis probra. 91. 92. & ſeqq.
Hæreticorum ſermo viuus, noxius. 9
ſcripta venenata. Ibidem.
meritiſſimò proſcripta. 9. & ſeqq. vel truncata. 260
Hæreticorum inter ſe pugnæ. 114
Hæreticorum fraus in ſupponendis libris. 162
Hebræa lingua, cur dicta *ſancta*. 52
Hebræi certos libros ſacros Iunioribus vetabant. 221
Heliodori Epiſcopi infamia à ſcriptis Eroticis. 46
Henricus Wagnereck, laudatus. 28
Henriquez malè notatus. 304
Hieronymus à Florentia, à quo ſpoliatus. 166
Hieronimus, cur paſſus mordacitatis calumniam. 102
exoſus omnibus Sectatiis & hæreticis. 101
Hieronimo multa ſuppoſita. 142. & ſeq.
Hieronimi in Hæreticos, aſperitas. 86. item in Ruffinum. 120. & in ex leges Monachos. 121
Hieronimi flagellatio ob Ciceronem. 191
Hieronimi libri malè habiti. 325
Hilarius in hæreticos auſterus. 98
falſa eius palinodia. 118. ſcripta imperita. 261
Hilarius Diaconus, Orbis Deucalion. 124
eſt autor Commentariorum Ambroſij in Paulum. ibid.
Hildefonſo ſuppoſita. 143. 146
Hipponacteum præconium. 85
Hipponactis acerbitas. 86. ei carò ſtetit. 113
Hiſtoria Barlaami Damaſceno tributa, cuius reuera ſit. 137
Holcoto ſuppoſitus, liber pro Inſipiente. 142
Homerus malè improbarus. 5
nomen ſuum preſſit. 235
eius furta. 16
Homoouſion, vox, quando cuſa. 248
Hoſtis laus, libera ſuſpicione. 280
Hugonis Folietæ & Victorini quædam confuſa. 121
Humaniora ſtudia à Patribus laudata. 183
Humilitas, virtutum theſauro phylacium,

cium. 283
necessaria Censoribus. ibid. & 284
Hymnus *Te Deum* cuius Autoris. 124
Hypogrosticon, cuius sit. 127

I

IAcobi Merlini petulcitas in Gelasium P. 172
Ictus fluuij, rectio violeuta & animi impotentis. 53
Ignatio Martyri, suppositæ quædam Epistolæ. 118
Ignatij S. de non respondendo infamatoribus, iudicium. 83
Ignorare præstat quàm turpiter scire. 17
Ignorantia plerumque vtilior. 51
Inauditus, non damnandus. 286. & seqq.
Indicta causa damnare, barbarum. 287. & seqq.
Indocti censura, indignissima. 269
Indoctis accensendi, qui aliàs doctissimi. 270
Inducíæ ad purgationem, concedendæ. 289
Infames materiæ quæ. 228
Infans farre contectus, Christianis obiectus. 196
Ingenia præclara, nouant multa. 251
Ingenia pruriginosa, amant nouare. 249
Ingeniorum seruitus indigna. 250
Ingratitudo in autores iniquè notatos. 307
Insipientia quorundam, bestialis. 251
Insitio Ethnicarum literarum, faciendæ. 199
Interpretatio Scripturæ, qualis esse debeat. 242
Intellectus inflexio per voluntatem. 279
Inuidia odij particula. 282
Ioachimus Abbas, cuius Ordinis. 276
Ioci felliti, improbati. 48
Ioci in sacris, quàm peruersi. 25
Ioannes Annius, an impostor. 164
Ioannes Apostolus an Chymicus. 221
Ioannes Bona, S. Bernardi cribrator. 152
Ioannes Fischerus autor libri de Sacramentis. 117. suppositus ei alius.
Ioannis Gastri plagium. 166
Ioannes Hieros. an autor Catecheseon. 143. an libri de Instit. 144
Ioannis Launoij ineptiæ. 146
Ioannis Mansur confusio cum Ioanne Mesue. 137
Ioannis Meldunensis, Romantius. 47
Ioannes Rho, laudatus. 85
Ioannis V I. Imperatoris otia curiosa. 216
Iosephus Scaliger castigatur. 4. mordet S. Hieronimum. 102
passim alios. 115
Irenæi hæresis materialis. 218
Irenæus cur hæreticorum libros legerit. 265
Isidorus nota plagij liberatus. 167
Isidorense thus è libris hæreticis combustis. 15
Iudæ Machabæi tessera. 212
Iudæi capsarij nostri. 204. 205
Iudices seculi, odium deposuere. 281
Iudaismi vafer instaurator. 61
Iudicandi munus quàm arduum. 306
Iudicia gemituum materia. 335
Iudicia Ethnicorum, valdè attentè lata. 305
Iudicia de libris præpostera. 6
Iudicium merè doctrinale, cuius sit. 266
Iuliani Apostatæ vafrities. 61. 63
Iulianus Pomœrius Autor lib. de vita contemplatiua. 152
Iulianus Toletanus de locis pugnantibus, 299
exsolutus iniqua damnatione. 316
Iuo non parcens Paschali Papæ. 314
Iupiter inducens ad spurcitias. 57
Iustinus Martyr confusus cum Iustino Historico. 147

Iudicia cur ad vrbium portas. 350
cur de die tantùm. 349
Ius gentium contra inauditi damnationem. 344
Iuuenalis ſpurcitiæ. 68

L

LAborantes in doctina, lacerati. 285
Labri Conſtantinopolitani lemma. 214
Lacedæmoniorum Ilotæ. 115
Lactantio ſuppoſita. 147
Lacus Lucernanus. 111
Lacus abſque peribolo vetitus Hebræis. 222
Laus aſtuta velamentum malitiæ. 282
Lectio abſque ſtylo ſomnus. 310
Lectoris affectus ſaporem indit lectioni. 280
Legatorum immunitas, eſt iuris gentium. 344
Leges in Magos etiam apud Ethnicos. 31
Leges Ciuiles pro literis humaniori-bus. 185
Leo Iſaurus Bibliothecæ immenſæ vaſtator. 322
Leonis Magni zelus in libros Hæreticorum. 13
Lenitas in Medico noxia. 110
Liberi autorum, libri eorum. 281. & 116
Liber de conſolatione, an Tullij. 117
Liber de bono viduitatis, verè Auguſtini. 147
Liber de operibus Chriſti Cardinalibus, non eſt Cypriani. 234
Liber ſepulchrum animæ. 9
imago autoris. 10
Liber bonus, famæ perennis conciliator. 308
Libri multis veteribus malignè attributi. 157
Libri Canonici, deperditi. 321
Libri de mirabilib. Script. verus autor. 128
Libri Magici omnino perdendi. 31
Libri aliqui confixione digni. 2. & ſeqq.
Librariorum laudes. 309
probra eorundem. 310
Licentiatorum iura quænam. 272
Linearum ſumma, cur olim notata. 172
Lipſij frigus in obſcœnis legendis improbatum. 40
Literæ humaniores à Patribus laudatæ. 183. & ſeqq.
Literæ Ægyptiacæ, cuiuſmodi. 213
Literæ ſingulæ cuius numeri notæ. 212
Literæ nomine S. Petri à Stephano III. datæ. 175
Loca Scripturæ pugnantia in ſpeciem. 175
Loca Patrum conficta. 174
Longinus, ſpirans bibliotheca. 269
Loqui in aliena perſona, an excuſet. 60
Lothophagi nobis, qui. 188
Lucas Holſtenius, laudatus. 136
Luciani ſannæ in Chriſtianos, vtiles. 195
Luciferi Calaritani generoſitas. 99
Lucilij Vanini ſubdola impietas. 20
Ludouic. IX. Thalmudij damnator. 206
Lutherus Scripturæ adulterator. 170
Sordes Scriptorum eius. 79
Lutheri & Caluini collatio. 263

M

MAchabæorum teſſera. 212
Machiauelli Atheiſmus. 27
Magia aliqua nitens, & illimis. 29. 30
panurgica deteſtanda. 30
Magus quid Perſis. 28
Magi Panurgi complures. 30
Magi, ſacra impiis admiſcent. 63
Mahumetanorum qui libri vetiti. 200
Maiores quatenus ſequendi. 241
Mala allegoricè, adumbrant bona. 123

Mali libri, quinam? 6
Maledicentia moderatè retundenda. 88
Maledictio Semei cur peſſima. 212
Manichæi à S. Leone exagitati. 13
Manichæi ſuam nouitatem iactantes. 210
Manſur cognomen S. Damaſceni. 137
Manuale S. Auguſtini, eſt S. Anſelmi. 121
Marcellus Ancyranus, malignè confixus. 293
Marcion, ſtrenuus Scripturæ corruptor. 170
Mariæ Deiparæ epiſtolæ, cuiuſmodi. 118. & 148
datæ ad eam ſuppoſitæ. ibid.
Marini Papæ querela de vulgato libro ſe inſcio. 277
Materiæ inopinabiles quæ. 228
Mathematici conuerſio. 33
Marraniſmus Ioſephi Scaligeri reiectus. 4
Medici Chirurgi, imitandi. 91
Meditatio gementis, quid. 334
Melanchthon Alchymiæ ex Scriptura patronus. 226
Melchior Goldaſtus ſpurciloquij patronus. 66
Melchioris Cani, tricæ in S. Ignatij exercitia. 293
Mendacium proficiens veritati. 197
Metaphraſtes num Ludimagiſter. 148
vnde dictus Metaphraſtes. ibid.
an idem cum Simeone Magiſtro. 149
Metochitæ hiſtoria, fruſtum Glycæ. 156
Michaëlis Baij modeſtia. 321
Michaël Rabardæus an dubius in fide. 293
Micrologus, liber, non ſcriptor. 131
quis eius autor. ibid.
Minerua incongruè locata in Lupanari. 63
Miniſtri iuxta nomen ſuum Lanij. 221
Mithæcus cur Lacedæmone pulſus. 49
Mixturæ additæ Cabalæ, reiiciuntur. 208
Moyſes tantùm ſcriba Geneſeos. 226
Molliculi ad omnem tactum horrentes. 111
Monachi ab Ethnicis exagitati. 193. 194
Monethelitæ in libris ſupponendis, naui. 162
Mordacitas ſcriptorum, iuſtè repreſſa. 25
Mores antiqui pro optimis. 246
Mores puri & ſcripta impura non cohærent. 49
Mori opera ſub alieno nomine. 235
Moſcopuli Grammatica S. Baſilio ſuppoſita. 129
Mutatio aliqua approbanda. 241
Mutatio ſententiæ, probanda, 316
Myſtica Theologia inſerta Gerſoni, cuius ſit. 142

N

NAturale conſcientiæ iudicium. 343
Neceſſitas legendi librum malum, excuſat. 264
Negotiatio Cabaliſtica multiplex. 209
Nemeſius autor libri de homine, quis. 150
non negauit gratiam præuenientem. ibid.
Neſtoriani, ſtrenui in ſupponendis locis. 162
Neſtorij truncantis fraus. 301
Nicodemus pro auditione damnandi. 344. & 348
Nicolaus, S. Bernardi ſecretarius, planus. 120
Nicolaus Eymericus, an impoſtor. 164
Nimia operum lima, improbata. 319
Nimia iuſtitia, quæ. 290. 291
Nocte lata ſententia, nulla. 349
Nomen autoris libris præfigendum. 231. & ſeqq.
Notæ quid. 209

Noteriacon quid? 209
Noua rerum fidei illustratio, licita. 244
Nouitas reproba quænam. 245.& seq.
Nouitas doctrinæ in causa fidei, auersanda. 2
Nouitas quælibet in causa fidei improbanda. 239
Nouitatis cuiusdam gratia. 246
Numerus linearum libri cur notatus. 172
Numerorum expensio Cabalistica. 210
Nummularij probati. 257
Nunnius Barretus malignè notatus. 80

O

OBscœni libri Ethnicis improbati. 40.& seqq.
Christianis multo magis. 41
Patrum concitatio in eosdem libros. 41.& seqq.
damna ab his libris. 43
eorum autor, etiam mortuus, exitialis. 44
an eius pœnæ crescant cum nouis damnis. 44.& seq.
qui benè denique sapuerunt eos perdentes. 46.69
Obscœna verba non fuissent in statu innocentiæ. 52
Obscœni libri, iure truncati. 259
Obstinatio obiecta Christianis. 196
Oculatus sit Iudex non auritus. 306
Odium exoculat. 281
Odium Bupalium, quid. 85
Odio habendum vitium, non persona. 109
Odoni suppositus sermo de Cathedra. 150
Oecolampadius falsarius. 132
Oecumenius haud plagiarius. 167
Ogerius autor sermonum do cœna Domini. 151
Onirocritici, supersunt pauci. 37
reiiciendi. 38
Opera Patrum, deperdita. 322
Optatianus Porphyrius, quis. 217
Oratores plagiarij. 169
Orbis iniuria in bonorum autorum læsione. 309
Origenes contra Genethliacos. 36
Origenes, habitus Magorum patronus. 32
alia eius probra. 103
Origenes quomodò legendus. 258
Origenes, Pachomio hæreticus. 12
Origenes an adulteratus. 172
Origenis monitum de libris Ethnicis. 198
Origeni suppositæ scriptiones. 151
Origenistarum nouitates, vnde. 244
Osculum Florentinum quale. 10
Otia curiosa, quæ. 226
Oua subuentanea libri Hæreticorum.
Ouidius, cur multatus. 40
eius sunt Priapœia. ibid.

P

PAchomij reuerentia adgnomen Dei. 12
Papatus, quis. 160
Paracelsi temeritas. 250
Parisiensis procella in FF. mendicantes. 76
Parisiensium grauitas in examine doctrinarum. 285
Paschalis Mancij de Cani iudicio, iudicium. 293
Paschalis Papa calumniosè notatus. 151
Paschasio Rathberto suppositi libri. ibid.
Patres adacti tractarunt obscœna. 54
Patres à doctrinæ nouitate abhorrentes. 239.& seqq.
Patribus dolosè suppositi. 162
Patrum scripta sæpè adulterata. 171
Pauli ad Senecam epistolæ, confictæ. 118
Pauli nomine, obtrusi libri. 160
Paulus cur nomen suum pressit scribens ad Hebræos. 236.237
Peccatum iniquæ censuræ quantũ. 312

Pedo Pompeius, contra Claudium. 343
Peregrinus pro Vincentio Lyrinensi. 235
Peripatetici iuxta Origenem Athei. 22
Perronij Cardinalis de Bellarmino iudicium. 223
Petri Alphonsi conuersio, vnde. 205
Petri Fabri de suis | abigeis querelæ. 166
Petri Monodi obseruatio. 352
Petri Rami temeritates. 250
Petro Damiani, supposita varia. 152
quos elegerit Censores. 166
Petronius Bononiensis confusus cum spurciloquo. 152
Petrus Blesensis in criminatorem suum, fortis: 107
Petrus Babyon autor Comm. Ansel. in Matth. 126
Petrus de Marca, laudatus. 122
Petrus Lombardus, an cuculus. 165
Philo à S. Ambrosio expressus. 167
Philoponus plagiarius. 169
Philoxenus Censor infortunatus. 268
Phlegontis libri sunt Adriani. 117
Phocyllides vates optimus. 353
Photij euitati stropha. 213
Pica glutita, Catum strangulauit. 90
Pij secundi retractationes. 46
Plagiarij genius vilis 169. summè probrosus. 180
Plagiarij multi veteres ac noui. 165
Plagium quid propriè. 165
Plagium palliatum. 166
Plagulæ truncatæ malum iudicandi fundamenlum. 299
Plato de librorum Censoribus quid statuat. 278
Platonis libri adulterati. 170
Poësis obscœna, eliminanda. 40
Poëtæ plerique obscœni. 50
Politicorum Atheismus. 21
Pomponatij probra. 25
librum eius, discipulus ipsius Contarenus impugnauit. 25
combussere Veneti. 26
Pontificiis Censoribus, specialiter obseruanda. 286
Pontificis Romani maiestas, allatrata ab Ethnicis. 196
Pontifices contra inauditi damnationem. 358. & seqq.
Pontificum de Indice Expurgatorio sollicitudo. 5
Pontificum maturitas in damnando. 313
Porphyriani versus, qui. 217
Posseuini liber, Gambaro suppositus. 40
Præfecti Augustalis circa libros PP. malignitas. 173
Præcipitatio in iudiciis improbata. 284. & seqq.
Primus Cabilonensis pro Ioanne. 144
Priuilegium pro Monasterio S. Medardi, cuius sit. 140
Probabilitas doctrinarum peruadenda Censori. 304
Probationes dogmatum ex Ethnicis friuolæ. 197
Profani libri malè suppositi. 158
Profundum fidei, | aqua obliuionis. 187
Prohæresius fuit Ethnicus. 353
Protagoræ, impij libri combusti. 19
Prurigo scribendi, improbata. 320
Psalmus ipsi Dauid, non Dauidis, cur. 236
Pseudepigraphi libri an vetandi. 231. & seq.
Pyxis spiritus intingendo Basilij calamo. 86

Q

Quæsitorum Hispanorum, iusta retractatio. 316
Quæstionum tumultuosarum suppressio. 230

Quæstus ex reliquiis captatus. 182
Quæstus spes, suppositionum parens. 164
Querela de exsectione librorum. 167
Querelæ de plagio. 166
sæpè iniustæ. *Ibidem.*
Quærelæ de scripturæ acerbitate, sæpè inanes. 111. & seq.
Querelæ de Exscriptoribus. 310
Querelæ de spoliato Hesselio. 163
Querela Marini Papæ de vulgato libro se inscio. 277
Querelæ rabularum fori de Thoma Sanchez. 53
Querelæ Scaligeri de Indicibus Expurgutoriis. 4
Queruli modi fritinnitus. 333
Quinisextæ Synodi autoritas. 178

R

RAbardæus an dubius in fide. 293
Rabbinorum Christo posteriorum, deliria. 204
Raderi pro truncatione obscœnorum apologia. 260
Raritas quid, iuxta nouam doctrinam. 254
Ratio substantialis, quæ. 337
Ratrannus, an pro Bertramo. 132
Raymundus Iordani, olim Idiota. 153
Raymundi Lulli zelus in Auerroëm. 200
Raymundus Lullus senior, cum Neophyto confusus. 153
vexatur calumniosè quoad multa. Ibid.
Recentes DD. perspicaciores. 246
Reformatio Ordinis, damnata nouitatis. 254
Reformatione egent aliqui Ordines. 112
Regulæ breuiores, an S. Basilij. 128
Regulæ fusiùs disputatæ an S. Basilij. 139
Rei sub Pascha laxati. 135
Religiosi eiusdem Ordinis, non habendi vt plures. 282
Religiosi, possunt in se scripta, repellere. 82. & seqq.
Remigius autor Commentarij in Paulum, quis. 153
Restitutio damnorum per iniquum Censorem. 314
Retractationes quibusdam suppositæ. 118
Retrogradi versus. 215
Reuocatio iniquæ censuræ, necessaria. 313. & seqq.
Ricardus Anglus exscriptor nobilis. 309
Roberti Vallensis sollicitudo pro Alchymiæ defensione. 224
Romanis inauditi damnatio exosa. 355. & seq.
Romanæ sedis sententia, mutata in melius. 314
Romani Pontificis maiestas demorsa ab Ethnicis. 196
Rom. Pontifex Censor doctrinarum supremus. 275
Ruffino supposita pleraque. 154
Ruffinus interpolator veterum. 172
Rupertus demorsus. 328
Rutilius mordens Christianos, prodest. 194

S

SA non benè notatus. 304
Sacerdotes Ethnici, librorum Censores. 277
Saluiani in malè moratos, asperitas. 108
Saluiani opus sub confícto nomine. 234
Saraceni Ethnicis finitimi. 199
Saraceni vulgari Alcoranũ nolunt. 202
Satyricus in prosa scriptor, quis dictus. 91

Scandalosa

Scandalosa doctrina, quæ. 223
Scandalum hæreticorum ex confixis libris Catholicorum. 311
Scholæ Religiosorum cur plus frequentatæ. 77
Scholasticæ tricæ nocuerunt Ecclesiæ. 229
Scholastici Dolani in Magistrum nequitia ingeniosa. 120
Scribendi studium restinguere, peruersum. 309
Scriptionis librorum commoda. 8
Scriptores obnoxij inuidiæ. 283
Scriptor polygraphus non semper optimus. 7
Scriptorum Christianorum inter se iurgia. 87
Scripturæ an nouis interpretationibus exponendæ. 242
non obtorquendæ. 243
possunt de nouo illustrari. 244
Scripturæ lectio non concedenda promiscuè. 221
Scripturæ verecundia in efferendis obscœnis. 52
ea tamen effert, cum opus est. 56
Sebastiani Munsteri fraus. 162
Seductio per affectus. 279
Senatusconsultum aduersùs libros Atheorum. 19
Senecæ ad Paulum epistolæ, cuiusmodi. 118
Sensus proborum omnium, stultrè abiicitur. 3
Sepulchra animarum, libri. 9
Seruitus ingenij, pecuina. 250
Seueritas scribendi, demorso innoxia. 110
Seuerus, dictus Doctor Doctorum. 277
Signa verborum, quid Symmacho. 210
Simeon Theologus iunior, quis. 149
Simiæ, fœtuum amantissimæ. 280
Sixto Pontifici supposita Sexti Philosophi opera. 162
Smaragdus illustrator Regulæ Benedictinæ, quis. 155
Solis contestatio per Iudices. 305
Solœcismi Christianorum, qui. 58
Somnia quatenus consideranda. 37
Sophistæ antiqui, plagiarij. 169
Sorades Poëta spurcissimus. 68
peremptus. 73
Specus Cellæ Abbatis. 111
Specula Vincentij, an eius singula. 169
Statius laudatus contra malos censores. 5
Studia partium, plena incommodis. 303
Studium nimium literarum Ethnicarum, improbatum maximè in Episcopis & Religiosis. ibid. & 190
Sublimitas iniqui Censoris non tollit obligationem restitutionis. 315
Suidæ lexicon, cuius. 155
Suppositiones librorum multiplices. 116. & seqq.
Suspiciones plagij auertendæ. 181
Sybillini libri cur suppressi. 34
Sybillini libri solis Pontificibus patebant. 221
Symbolum Apostolicum, tricando confixum. 294. & seqq.

T.

TAtiano supposita harmonica Euang. 125
Tempora subinde mutantur. 328
Tempus ad purgationem, concedendum. 289
Tempus multa reuelat. 329
Tempus litteris annotatum, 210. & seqq.
Tessera Romana S.P.Q.R. quid ferat. 213
Thalia Arrij. 65
ex Sorade expressa. 68

Thalmudici

Thalmudici libri sæpè damnati. 206
sunt pandectæ Hebræorum. 205
Theodoretus, damnatus inauditus. 287
Theodorus Iuges, spurciloquij patronus. 66
Theodorus Bibliander, explosus. 5
Theodori Bibliandri spurcæ notæ in Alcoranum. 201
Theodori Mopsuësteni, impij libri. 18
Theodulphus an autor Carminis in ramis palmar. 156
Theognosti criminatio repulsa. 61
Theologicæ sententiæ nouæ, non semper malæ. 248
Theophylactus malè plagij notandus. 167
Theophili Alexandrini cautio. 28
Thomæ Aquinatis adulteratio. 273
conficta paliodia. 118
eius librorum damnatio. 325
reuocata. 274
Thomas Sanchez laudatus. 58.55
purgatus à calumnia. 53.& seqq.
Thomas Anglicus sæpè confusus cum Angelico. 121
Thomas Kempensis verus Autor libri de Imit. Christi. 145
Themistius, orbis terrarum Magister, dictus. 307
Thessalus Medicus nouator. 250
Theurgia, improbata. 30
Timotheus pro Saluiano. 234
Tostatus iudicij iniquitate grauatus. 290
Tragœdia *Christus patiens* est Apollinarij. 141
Tremellius Sectarius plagij notatus. 165
Tridentina Synodus à Richerio malè peruersa. 260
Tullius malè aliquando improbatus. 5
Turres septem Byzantinæ. 282
Tychonius iudice Augustino, expurgandus. 260

V

VAlla cur à Viue laudatus. 51
Vallæ mordacitas. 85
Varietas librorum & tenuium & insignium necessaria. 8
Varro πολυγραφώτατος. 321
Vdalrico Augustino supposita Epistola. 163
Vela cur oppassa Iudicibus. 351. & seq.
Velamen malitiæ, aliqua laus. 282
Veritas filia temporis. 329
Veritas non amat latebras. 236
Versus conuersibiles. 216
Versus recurrentes. 215
Vestis leprosi lanea, vel linea. 262
quæ combusta. 14
Veteres mores, id est probati. 246
Vetustas falsam religionem non iuuat. 241
Wicleffi librorum sordes. 78.79
Vigilius Africanus cum Tridentino confusus. 127
Vigilius, autor disputationis Laodicenæ. 118
Vigilius nomine S. Athanasij, vulgatus. 235
Vincentij Lyrin. opus sub confecto nomine. 235
Vincentius Bellouacensis an plagiarius. 168
Virga laurea harioli. 6.7
Virgilius malè improbatus. 5
Virgilius vt Ennium legeret. 258
Vlpiani truculentia prodest Christianis. 195
Vlricus Argentini autor Compendi Theol. 157

Voces nouæ, etiam in sacris, non semper reprobæ, 247
Votum Ludouici Viues de lege in plagiarios, 179
Vtilitas librorum bonorum, 2
Wieleffi librorum sordes, 78.79
Vulgi iudicium, corruptissimum, 6

Z

Zoilus ob mordacitatem, infamis, 90
Zozimi de necessaria reuocatione præclarum dictum, 317

FINIS.

Menda quædam sic emenda.

PAgina 3. lin.15. *prologon* leg. *prologo.* pag.4.lin.34. *expurgatos* l.*expurgatas.* pag.5. lin.1. *fossarij* l.*foriarij.* Ibid.lin.2. *aquæ sextarij.* l.*aquè Sectarij.* lin.25. *exculta* l.*exculto.* lin.91. *ipsius* l. *Lipsius.* lin.33. *suis* l. *sui.* pag.7. lin.25. *gallinaci* l. *gallinacei.* lin.33. *factos* l. *fartos.* pag.8.lin.16. *tanto* l. *toto.* pag.48.in f. *S. Bahusius* l.*Bern.Bahusius.* pag.50. *cum conscriptis.* l.*cum de conscriptis.* pag. 59. *Hieroymus* l. *Hieronimus.* pag.66. m. *polyerg.* l.*Polycratici.* pag.67. f. *nonnullæ lectionis* l.*nonnulla lectionis.* pag.78.in *Annathanus* l. *Armachanus.* pag.120. *suppositititium* l. *suppositionum.* pag.129. f. *profitens* l.*profitetur.* pag.138. *Edineus* l. *Edinerus.* pag. 143. *Cyparissioa* l.*Cyparissiota.* pag.152. f. *Aimonnius* l.*Aymoinus.* pag.177. f. *Ascribo* l. *Adscribo.* pag.213. f. *Athiopibus* l. *Æthiopibus.* pag.216. *Heraclecta* l.*Heracleota.* pag.217. *similia* l. *similia.* pag.236. *præferebantur* l. *proferebantur.* pag.288. *Nemo certò non* l. *Non nemo certè.* pag. 289. *seneca* l. *Senecæ.* ibid. *dissentire à* l.*dissentire sè à.* pag.294. *ad quarum* l.*quarum.* pag.299. *Coclous* l.*Coclæus.* pag.304. *confixa* l. *confixæ.* pag. 315. *profugium* l. *perfugium.* pag.323. *Cabalistria* l. *Cabalistica.* pag.249. *accurratius* l. *accuratius.* pag. 277. *immoderatorum* l. *immediatorum.* ibid. *examinnator* l. *examinator.*

Raynaudi
Exotemat.
Bibliot. Pontif.

Th
4906